Digitized by Google

LVII.
C.
22.

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
LVII
C
22
NAPOLI

FASTI BELGICI ET BVRGVNDICI.

AVBERTVS MIRÆVS Bruxellenſis,
ISABELLÆ CLARÆ EVGENIÆ
Serᵐᵃ Hiſp. Infanti à Sacris
Oratorij, & S. T. L.
publicabat.



BRVXELLIS,
Apud IOANNEM PEPERMANNVM, Bibliopolam iuratum, Typographumque ciuitatis, ſub Biblijs aureis.

Be

NOBILISSIMO VIRO

D. FRANCISCO DE RYE

DECANO MAIORI
ECCLESIÆ VESONTINÆ,
CAPELLANO ITEM MAIORI
ET
ELEEMOSYNARIO SVPREMO
Sereniſsimæ

ISABELLÆ CLARÆ EVGENIÆ
HISP. INFANTIS,
ABBATI ACINCTINO *&c.*

CLemens I. Romanus Pō-tifex, per Vrbis regiones, Notarios primus diſtribuit, qui heroum Chriſtianorum res geſtas ſolicitè & curioſè, per ſuam quiſque regionem, colligerent. Anterus diligenter collectas in tabulas eccleſiaſticas poſtea retulit. Fabianus denique, ne quid falſum aut ſimulatum irreperet, perſpicaces fi-

doſque Diaconorum oculos Notarijs adiunxit.

Cumque Acta martyrum ſumma cura per *Notarios* S. R. E. perquiſita ac conſcripta, per *Diaconos* recognita, ac demum per ipſos *Romanos Pontifices* probata, in immenſum excreſcerent, breue ex ijs *Martyrologium* eſt confectum, quo dies tantùm & locus paſſionis notaretur. Cuius quidem veteris Martyrologij Romani *Gregorius Magnus* Papa, epiſt. ad Eulogium Epiſcopũ Alexandrinum, diſertè meminit: *Nos, inquit, penè omnium Martyrũ, diſtinctis per dies ſingulos paßionibus, collecta in vno Codice nomina habemus, atque quotidianis diebus in eorum veneratione Miſſarum ſolemnia agimus: non tamẽ in eodem volumine, quis qualiter ſit paſſus, indicatur; ſed tantummodò*

Epiſt. 29 lib. 7.

modò locus & dies paſſionis ponitur. Vnde fit, vt multi ex diuerſis terris per dies ſingulos cognoſcantur martyrio coronati. Sed hæc habere vos beatiſſimos credimus.

Vetus hoc Martyrologium *Ado*, Viennenſis in Gallia Epiſcopus, cũ Rauennę eccleſiaſticorum negotiorum cauſſa verſaretur, à ſancto quodam Epiſcopo nactus, qui id à Romano Pontifice acceperat, ſuo Martyrologio præfixit. Quem quidem theſaurum, cùm ad hunc vſque dié latuiſſet, R.P. *Heribertus Roſueidus*, Soc Ieſu Theologus, vt magni illius Gregorij, Baronij, & aliorum voto fieret ſatis, typis Plantinianis per orbem vniuerſum annis ſuperioribus diſperſit. *In præf. Martyrol. ſui.*

Pontifices Romanos maximi tres Imperatores, gentiumque do-

mitores, Conſtantinus, Theodoſius & Carolus Magnus, poſtea ſunt æmulati. Conſtantinus certè *Euſebio* Cæſareæ in Palęſtina Epiſcopo negotium dedit, vt vniuerſorũ Chriſti teſtium martyrumque dicta, facta, ac triumphos litteris conſignaret. Idem à Theodoſio curatum hiſtoriographi tradunt. Hinc apud Græcos *Menæa*, *Menologia*, *Triodia*, *Horologia*, & alij id genus libri magno numero ſunt enati. Ne quid verò Eccleſijs Latinis, præſertim Galliarum ac Germaniæ, deeſſet, Carolus Magnus *Vſuardum* monachũ Benedictinum (qui Pariſijs, in Pratenſi S. Germani cænobio ſuburbano, doctrina tunc florebat) ad *Faſtos* martyrum ac confeſſorum, vt illos vetuſtiſſimus ſcriptor Tertullianus nuncupat, digerẽdos impulit. Vſuar-

De coro na mil. c. 13.

dum

dum vt *Beda* cognomento *Venera-bilis* præceſſerat, ſic poſtea ſecuti ſunt *Ado* Viēnenſis Antiſtes, *Florus*, Trudonenſis monachus, & *VVandelbertus* Prumienſis. Quorum deinde ſtudio excitatæ ſingulæ ferè populorum Eccleſiæ ſuos *Diuos prouinciales ac tutelares* in tabulas retulerunt, Cyprianæi illius moniti memores: *Dies eorum, quibus excedunt, annotate, vt commemorationes eorum inter memorias martyrum celebrare poſſimus.* Hinc laudandi in primis *Aloyſius Lipomanus*, Veronenſis primùm, pòſt Bergomenſis Epiſcopus, & concilij Tridentini cum collegis Præſes, *Laurentius* item *Surius*, & *Franciſcus Haræus*, qui vniuerſæ Eccleſiæ Sanctorum hiſtorias in volumina digeſſerunt. Prædicandi itē *Ioannes Molanus*, qui Natales Belgi- *Cypriā. epiſt. 37.*

cos, *Philippus Ferrarius*, qui Catalogum Sanctorum Italiæ, *Matthæus Raderus*, qui Bauariam ſanctam, *Siluanus Razzius*, qui Etruriæ, *Petrus Merſſæus*, qui Germaniæ, *Nic. Harpsfeldius*, qui Angliæ Diuos, publicarunt.

Horum veſtigijs inſiſtens, ne quid patriæ noſtræ iſto in genere deeſſet, aulicos inter ſtrepitus, ſubceſiuis horis, noſtrates & exteras hiſtorias, cùm typis editas, tũ manuſcriptas ſtudioſè euolui, antiquitatis ſacræ ac profanæ monumenta ſeriò luſtraui, ſchedas ex publicis tabularijs, priuatiſque amicorum bibliothecis acceptas diligẽter excuſſi, & quæ ſparſim legeram, vnũ in corpus digeſſi. Itaque prima Chriſtianæ Religionis apud Belgas ac Sequanos velut incunabula (qui-

bus

bus ob temporum longinquitatem, & bellorum iniuriam, caligo aliqua erat offuſa) explicui, & noſtros illos Apoſtolos, *Linum, Maternũ, Seruatum, Vedaſtum, Aubertum, Audomarum, VVillibrordum, Bonifacium, Claudium*, & alios plurimos longè clariſſimos Euangelicæ doctrinæ magiſtros, qui pulſa gentilitate, Chriſti ſignis maiores noſtros adſcripſerunt, vno velut intuitu ſpectandos, in theatrum produxi. Et verò, ſi quæ alia Europæ prouincia, habet certè Belgica noſtra, quòd de præſtantiſſimis æternę gloriæ principibus de ſanctiſſimis ad ſempiternam felicitatem ducibus, deq; frequentiſſimis per eoſdem apud nos monaſterijs ac baſilicis glorietur. Nam, vt omnes Germaniæ noſtræ inferioris partes & angulos excu-

tias,nullum ferè locum, ne in extremis quidem horridiſque ſiluis, inuenies,vbi nō illuſtria ſanctitatis pietatiſque veſtigia deprehendas.

S.Omer S.Giſlain. S.Amāt S.Tron.

Vrbes & opida primaria,in his *Audomaropolis, Giſlenopolis, Amandopolis, Trudonopolis*, & alia conditores ſuos loquuntur:pagi,vici, fora,agri, ſaltus,montes,valles, Catholicam & priſcam vbique religionē apud nos ſpirant & oſtēdunt. Plena omnia ſacris baſilicis,ampliſſimis Canonicorum collegijs, copioſiſſimis monachorum cœnobijs, auguſtiſſimis templis, peregrinorum Xenodochijs,pauperum Ptochotrophijs, ægrorum Noſocomijs, pupillorum Orphanotrophijs,ſenum Gerontocomijs,expoſiticiorum Bephrotrophijs. Breuiter, vniuerſa Belgica noſtra Religionem ac pietatem ſpirat;

rat ; quam optimi ſanctiſſimique Principes noſtri, *Albertus* & *Iſabella*, qui ſupremum Capellæ ſuæ regię Præfectum & Eleemoſynariũ Te, *Vir Nobiliſſime*, eſſe voluerunt, ſuo exemplo mirificè auxerunt.

Hæc & alia eò ſpectantia, dum Caluiniani bellum impium Diuis indicunt, & ſacra omnia tollere atque abolerère conantur, ſuccinctis *Faſtorum* tabulis complecti viſum mihi fuit. Neque verò diu deliberandum putaui, cuius nomini fœtum hunc noſtrum dicarem. Tibi, *Vir Spectatiſſime*, qui Clero noſtro aulico præes, debebatur, vtpote in aula conceptus & natus. Si argumentum ſpectemus, non modò *Belgici*, ſed & *Burgundici* ſunt *Faſti*: in qua poſteriore prouincia, tuus hodie patruus, *Ferdinãdus Ryæus*, ſacro-

rum

rũ ſupremus eſt Antiſtes ac Præſes: à quo ſecundum Tu locum, vt Decanus maior Veſontinus, meritiſſimò obtines. Vt de nobiliſſimo veſtro genere, quod tres Velleris aurei Equites generoſiſſimos, *Ioachimum*, *Marcum*, & *Chriſtophorũ*, plurimos belli duces fortiſſimos, & alios heroës innumerabiles Reipublicæ Chriſtianæ dedit, nihil dicam. Fecerunt id alij, & erit fortaſſe, cùm nos quoque faciemus. Habe interea *Vir Ampliſsime*, perpetuam hãc mei cultus atque affectus teſſeram, ac diu ſoſpes viue. Bruxellis, Idibus Iulijs, M.C.XXII.

NOBILISSIMÆ D.V.

ſtudioſiſſimus

AVB. MIRÆVS.

FASTOS BELGICOS, menſium ac dierum ſerie, veterum iſto in genere Scriptorum exemplo, digeſſi & concinnaui: qui nō modò ad ſacram, ſed ad profanam quoque Hiſtoriam noſtratem tibi facem præferent, & varia hactenus incognita aut minùs obſeruata aperient. Hollandia Borealis, pars Friſiæ veteris, ſuos protomartyres *Caſſium* & *Florentium*, Thebææ legionis milites, Veronæ ad Rhenum paſſos, Geldria *Florentium* *Tilenſem* & *Iulium Geldubenſem*, pariter martyres, hîc reperiet. Antuerpia Principem ſuum *Robingum* cum *Bebelina* coniuge, Bruxella *Baldricum* Comitem, Geldria *Megengoſum*, Ciſonienſes *Euerardum*, Gemblacenſes *Guibertum*, alij alios vtriuſque ſexus Principes velut è tenebris erutos inuenient. Friſia ſuam hîc *Veronam*, S. Vrſulæ ac ſodaliũ prœternauigatione celebrem, Hannonia ſuas hîc *Liptinas*, Carolomanni palatio, & ſynodo Bonifaciana olim illuſtres, aliaque loca poſt tot annos detecta leget. Arteſia ſuum *Cereum Atrebatenſem*, Arduenna *Stolam Hubertinam*, perennia Belgicæ miracula, Luxemburgẽſes ſuum *Petrum Thaumaturgum*, Sonegienſes *Landricum* Meldenſem Antiſtitem ſinguli denique populi Diuos ſuos tutelares aliqua luce illuſtratos agnoſcẽt. Sicubi tamẽ lapſus ſum aut hæreo (vt vnus omnia ſcire nō poteſt) tu iuua in partem, & publicè priuatimque gratiam à me exſpecta,

ADonis Viennenſis Chronicon & Martyrol.
Ægidius Bucherius.
Ægidius Leodicenſis.
Ambroſius Epiſcopus Mediolanenſis.
Andreæ Marchianẽſis ms.Chronicon.Obijt 1194.
Anſelmus Gemblacenſis Abbas.
Antoninus Archiepiſcopus Florentinus.
Antonij Gentij mss.varia. Obijt 1543.
Antonij Oiſelij Hiſtoria EE. Bellouacenſium.
Athanaſius Epiſcopus Alexandrinus.
Balderici Nouiomenſis ac Tornacenſis Epiſcopi Chronicon Cameracenſe. Obijt 1112.
Balduini Imp. Conſtantinopolitani mss.
Beda Venerabilis.
Bernardus Abbas Claræ Vallis.
Caroli Sauſſeij Annales EE. Aurelianenſium.
Cæſar Baronius.
Chriſtophori Brouueri mss. Annales Treuerenſes.
Chronica mss. Blandinienſis, Gandenſis ſeu Bauonici, Elnonenſis, Fontanellenſis, Aquicinctini & aliorum monaſteriorum.
Conciliorum Acta.
Cornelius Tacitus.
Cyprianus Epiſcopus Carthaginienſis.
Eginardus Caroli Magni Cancellarius.
Erycius Puteanus.
Flodoardi Hiſtoria Remenſis, & Chronicon à Petro Pithœo editum.
Fulquini Abbatis Laubienſis ms. Chron. Ob. 990.

Grego-

Gregorius Turonenſis Archiepiſcopus.
Hermannus Contractus.
Heribertus Roſueidus.
Hilarius Epiſcopus Pictavienſis.
Hincmarus Archiepiſcopus Remenſis.
Iacobi Guiſij mss. Chronica Hannoniæ. Ob. 1398.
Iacobus Vitriacus. Obijt 1240.
Ioannes Molanus.
Ioannes Iacobus Chiffletius.
Ioannes Gilemannus.
Irenæus Epiſcopus Lugdunenſis.
Iulius Cæſar.
Iulius Cæſar Scaliger.
Iuſtus Lipſius.
Marianus Scottus.
Martyrologium Rom. vetus & nouum.
Notgerus Epiſcopus Leodicenſis.
Odericus Vitalis, monachus Vticenſis.
Onuphrius Panuinius.
Papirius Maſſonus.
Paulus Æmilius.
Petrus Halloſius.
Rhegino Abbas Prumienſis.
Rodulfi Abbatis Chron. Trudonenſe.
Robertus Abbas Montis S. Michaelis.
Seuerus Sulpicius.
Sidonius Apollinaris.
Sigebertus Gemblacenſis obijt 1112.
Simeon Metaphraſtes.
Tertullianus.
Thiofridus Abbas Epternacenſis.

Ter-

Tertullianus de corona militis cap. 13.

Philip. 3 TV peregrinus es mundi huius, ciuis ſupernæ Ieruſalem. Noſter, inquit, municipatus es in cælis. Habes tuos cenſus, tuos FASTOS: nihil tibi cum gaudijs ſæculi.

Idem lib. de præſcriptionibus aduerſus hæreticos cap. 32.

EDant origines Eccleſiarum ſuarum: euoluant ordinem Epiſcoporum ſuorũ, ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem, vt primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeuerauerint, habuerit auctorẽ & anteceſſorem. Hoc enim modo Eccleſiæ Apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt: ſicut Smyrnæorum Eccleſia habens Polycarpum, ab Ioanne conlocatum refert: ſicut Romanorũ, Clementem à Petro ordinatum edit: proinde vtique & ceteræ exhibent, quos ab Apoſtolis in Epiſcopatum conſtitutos, Apoſtolici ſeminis traduces habeant. Confingant tale aliquid hæretici.

FASTI

FASTI BELGICI ET BVRGVNDICI.

IANVARIVS.

Kalendis Ianuarij. Martyrologium Romanum.

S. Evgendvs Abbas Iurenſis, in Comitatu Burgundiæ.

EVGENDVS, ſanctorũ monachorum Lupicini & Romani diſcipulus fuit; qui ſub Chilperico Francorum Rege, Clotharij filio, circa an. 565. vixerunt: vt Gregorius Turonenſis lib. 1. de Vitis Patrum c. 1. commemorat. Fuit autem Abbas mo-

naſterij Iurenſis, ſic dicti à monte Iura hodie *Ioux*, apud Iulium Cæſarem & Plinium noto. Quod monaſterium olim S. Eugendi, nunc S. Claudij nuncupatur, in diœceſi quidem Lugdunenſi, ſed in ditione Comitatus Burgundiæ ſitum; nomenque accepit à S. Claudio Archiepiſcopo Veſontino, qui priuatæ vitæ ſtudio ductus, ea dignitate abdicata, ad Iurenſe monaſterium ſe recepit. In quo annos quinq; cùm expleuiſſet, defuncto Abbate Iniurioſo, communi omniũ monachorum conſenſu, circa an. 640. Abbas eſt conſtitutus: vbi hodieque ſacrum eius corpus religioſè adſeruatur, & frequentiſſimo piè peregrinantium concurſu honoratur.

Vid. infra 6. Iunij.

Acta S. Eugendi ab illius diſcipulo conſcripta exſtant apud Laurentium Surium tomo 1. de vitis Sanctorum.

Ianua-

Ianuarij 2. die.

S. ADELARDVS ſeu ALARDVS, Abbas Corbeienſis.

CORbeia duplex eſt, vna *Gallica* ſeu *Francica*, in diœceſi Ambianenſi, altera *Germanica* ſeu *Saxonica*, in d. Paderbornenſi, vtraque illuſtris Benedictinorum monachorum Abbatia, hodieque florens. Francicam Bathildis Regina Francorum, eiuſque filius Lotharius Rex ad Somonam fluuium fundarunt. Saxonicam ad Viſurgim fl. an. 822. Ludouicus Pius Imperator, Caroli Magni filius, ſuadente S. Adelardo, ædificare cœpit, vt Lambertus Scafnaburgenſis tradit, aut anno proximè ſequenti, vt ex Adamo, rerum Septemtrionalium ſcriptore, Baronius in Annalibus colligit.

Fuit autem Adelardus primùm monachus, pòſt Abbas in Corbeia Gallica, ex Caroli Magni Imp. ſtirpe prognatus. Patria & patrimonium illi fuit *Vſcia*, vulgò *Huyſe*, pagus primo la- *Huyſe.*

 pide

pide ab Aldenarda Flandriæ opido ſi-
Beerthē. tus. Idem & *Berthemium*, agri Loua-
nienſis pagum, in bonis poſſedit.

Vitam eius, à Surio editam, vnus familiarium deſcripſit: quam plerique Paſchaſio Ratberto, ſexto illius in Corbeia ſucceſſori, attribuunt. Ioannes tamen Molanus putat eſſe alterius cuiuſpiam.

Ianuarij 3. *die*.

S. BERTILIA virgo, in Mareolo, prope Atrebatum.

MAreolum eſt Canonicorum regularium Abbatia vetuſta, apud *A*trebates, cuius prędia ſuo diplomate Lotharius Francorum Rex, cum vxore ſua Emma, an. 977. ſtabiliuit. In hoc monaſterio quieſcit S. BERTILIA virgo, illuſtri Frācorum ſtirpe oriunda, quæ viro nobili *Gutlando* cùm à parentibus in matrimonium eſſet tradita, mox de tuenda virginitate, vſuq; tori abſtinendo, ad exemplum Deiparę cum Ioſepho, & Pulcherię Augu-
ſtę

ſtę cum Marciano, in omnem vitam conuenit. Eadem virgo prædium ſuũ Mareōlenſe Epiſcopo Atrebatenſi dono dedit, qui illud hodieque poſſidet.

Sacra virginis oſſa, iuſſu Gerardi II. Cameracenſis & Atrebatenſis Epiſcopi, anno 1081. (non 1181. vt per errorem apud Molanum in Natalibus Sanctorum Belgij legitur) ſunt eleuata. Liber vitæ & eleuationis exſtat Mareoli manuſcriptus.

Iuxta Mareolum etiamnum videntur foſſę, & aggeres, in quibus Romani ſua caſtra collocarunt, tempore Iulij Cæſaris: quorum & Baldericus in Chronico ſuo Cameracenſi meminit.

Ianuarij 4. die.

S. PHARAILDIS virgo, Gandaui celebris.

PHARAILDIS, egregię ſtirpis egregius floſculus, patrem habuit Theodoricum virum nobiliſſimum, matrẽ verò S. Amalbergam. Frater illi fuit

(ſed ex alio patre, videlicet Witgero Comite; duos enim maritos S. Amelberga habuit) S. *Emebertus* Cameracẽſis Epiſcopus, ſorores autem S. *Rainel-dis*, & S. *Gudila*, vrbis Bruxellenſis pa-
Lib. 1. cap. 16. trona: vt ſcribit Baldericus Nouiomenſis ac Tornacenſis Epiſcopus, in Eccleſiæ Cameracenſis Chronico.

Pharaildis à S. Gertrude Abbatiſſa Niuellenſi, cognata ſua, ſanctè inſtituta, à teneris annis pietatem egregiè coluit, & in bonis operibus, ad extremum vſque vitę diem, ſeriò perſeuerauit.

Anno autem à Chriſto nato 754. Agilfridus Abbas monaſterij S. Bauonis Gandenſis, idemque Epiſcopus Leodicẽſis, ſacrum Pharaildis corpus ex Lotharingia ad S. Bauonis monaſterium attulit. Petente poſtea Arnul-
An. 940. fo Magno, Flãdrię Comite, pars corporis S. Pharaildis, inde ad baſilicam, in eius honorem Gandaui recens tũc exſtructam, eſt tranſlata; tradente S. Gerardo Bronienſi ac Gandenſi Abbate. Eſt autem Gandaui inſigne Canoni-

nonicorum S. Pharaildis collegium, quod ex vetuſta illa baſilica, per Caluinianos vaſtata, in parœcialem S. Nicolai, in foro ſitam, noſtra ætate eſt tranſlatum.

Ianuarÿ 5. die.

S. GERLACVS, eremita ord. Præmõſtratenſis, floruit an. 1170.

QViescit is in illuſtri ſui nominis monialium cœnobio, in diœceſi Ruremundenſi, ſecundo lapide à Traiecto Moſæ ſito. Feſtus eius dies celebratur quotannis feria ſecunda ante diem Pentecoſtes ibidem, & ab Eccleſia cathedrali Ruremundenſi in Geldria: & tres iſtę Lectiones à Clero recitari ſolent.

GERLACVS, nobili ſtemmate in Falcoburgenſi prouincia natus, primùm ad militiam animum adiecit, & Tribunus equitum factus, cùm illorum more militum, qui caſtra ſequuntur, vitam inſtitueret, ex inopinata ſuæ

coniugis morte conſternatus, abiecto militiæ cingulo, cilicio & lorica ſupra nudum corpus indutus, pedibus nudis Romam profectus, apud Pontificem Maximum Eugenium III. depoſita peccatorum ſarcina, ex eius præſcripto, Hieroſolymam profectus, & in Xenodochium pauperum, vt pœnitentiã ageret, ſuſceptus, totum illic ſeptennium, in porcorum aliorumque animalium cura, exegit. Quo expleto pœnitentiæ tempore, Romam rediens, vt quæ de vini & carnium perpetua abſtinentia, deque vſu loricæ & cilicij, alijſque pietatis exercitamentis Deo vouerat, in ſolitudine viuẽs redderet, in Falcoburgenſem ſuã ſe denuo prouinciam, annuente Pontifice, recepit: vbi veternoſam, & raræ craſſitudinis quercum ad radices excauari, & magnam vim lapidum in eam inferri, & ex ſtraminibus contextam ſtoreã ijs imponi iuſſit: ibique cilicio & lorica, ſub candida Præmonſtratenſis ordinis veſte, nocte dieque indutus, totis quattuordecim annis, hoc eſt, vſque ad extremum

tremum vitæ ſuæ diem, auſteram agens vitam perſeuerauit.

Cibus ei fuit ex hordeo cineribus mixto, potus verò aqua frigida, è fonte ſeu puteo vicino, in hodiernum vſque diem, ob beati Gerlaci memoriã, celebri. Venientes ad ſe pauperes & peregrinos honeſtè & liberaliter tractabat, de ſuo interim rigore nihil vmquam remittens. Quãdiu corpore valuit, omni die, ad S. Seruatij honorandas reliquias, ſummo mane, ſeſquihoræ ſat difficili & moleſto itinere, *Traiectũ Moſæ*, Sabbatinis verò diebus, ad memoriã Deiparæ Virginis, *Aquaſgrani*, nudis ſemper pedibus incedens, piè peregrinando ſe contulit; donec per ætatem, & alterius pedis impedimentũ redditus impotẽtior, aſello vti cogeretur. Pòſt æmulorũ quorudã maleuolentia, cũ ſucciſa fuiſſet quercus, duas alias anguſtiſſimas cellas cõſtrui iuſſit, quarũ alteram ſuis vſibus & habitationi, alteram diuinis officijs, Epiſcopi ſui venia, deſtinauit. Qui ad illum viſendum ſubinde accedebant,

cùm ſacerdotes tùm laici, eos vel ad virtutem pietatemque erudiebat, vel ſi erat improba illorum vita, acriter redarguebat. Non pauci quoque tondendos ſeſe offerebant: inter quos vnus fuit, cuius ſemel detonſi pili nunquam ampliùs excreuerunt.

In Dominica, quæ Paſſionis dicitur, cùm ſibi è puteo ſupra nominato, ad ſitim leuandam, ſemel iterumq; aquã hauriri iuſſiſſet, eaque in vinum vtraque vice fuiſſet conuerſa, ipſemet ad puteum conceſſit, & hauſta iterum aqua, tertiò eſt in vinum mutata. Morte imminente, cùm nullus ad manum eſſet ſacerdos, qui extrema illi adminiſtraret Sacramenta, acceſſit diuina diſpoſitione, ſpecie venerandi ſenis, S. *Seruatius*, niuea amictus ſtola, quem in vita ſemper coluerat Gerlacus: à quo Sacramentis omnibus ritu Catholico munitus, pridie Epiphaniæ in Domino obdormiuit, & in ligneo ſuo ſacello, thecæ pariter ligneæ, vti voluerat, incluſus, in profundiſſimam illic immiſſus eſt foueam. Sed Deus

non

non diu inglorium eſſe permiſit: mox enim diuinitus patefacta fouea, corpus ſancti viri, vnà cum cruce Hieroſolymitana, & cilicij parte (quæ in hunc vſque diem conſpiciuntur, & in pretio habentur) ſurſum è fouea leuatum, innumeris miraculis claruit. Feſtiuitas verò, propter Epiphaniæ celebritatem, in ſecundam feriam, quæ ſacratiſſimum Pentecoſtes diem antecedit, tranſlata eſt; quo tempore, qui hominũ malitia antea obſtructus latuerat, miraculoſus puteus, anno nonageſimo nono ſupra milleſimũ quingenteſimum, *Henrico Cucquio*, Ruremũdenſi Epiſcopo iubente, repertus eſt, oſſa quoque ſancti viri eleuata: & ipſe puteus miraculis denuò cœpit clareſcere. Sic ferè legitur in Officijs proprijs diœceſis Ruremũdanæ, quæ idẽ Epiſcopus Cucquius concinnauit, & Coloniæ a. 1604. typis edẽda curauit. *An. 1599.*

Vita & miracula S. Gerlaci ab anonymo circa an. 1230. cõſcripta, Cucquij iuſſu, Traiecti an. 1600. ſunt excuſa, itemque Coloniæ, ſtudio Guilielmi

lielmi Cripij iunioris in epitomen redacta.

Ianuarij 6. die.

Venerabilis GERTRVDIS OISTENSIS, virgo & Beggina Delfenſis in Hollandia.

APud Brabantos, Flandros, Hollādos, & alios inferioris Germaniæ populos, multi ſunt piarum virginum quas vulgò *Begginas* ſeu *Beguinas* vocant, copioſi ac numeroſi conventus. Habent eæ nomen à S. *Begga* Abbatiſſa Andennenſi, de qua infra dicam; vel à *Lamberto Beguio*, pio ſacerdote Leodicēſi qui anno 1170. floruit: vt latiùs diſſerui in Chronico noſtro Ciſtercienſi.

Beggi-narum origo.

Ex harum virginum numero fuit venerabilis GERTRVDIS OISTENSIS, quæ ob ſingularē erga Chriſtum paſſum pietatem ac deuotionē, eius ſtigmatibus inſigniri meruit. Obijt autē Delfis in Hollandia an. 1358. exſtat-

que

que eius encomium in Faſciculo temporum ad an. 1374. & in vernaculis Hollandiæ Chronicis.

Ianuarij 7. die.

S. HILLONIVS, aliàs Tillo, ſeu Tilmãnus, Abbas Solenniacenſis, in Francia.

FVit is primùm S. Eligij Nouiomẽſis ac Tornacenſis Epiſcopi miniſter & diſcipulus: vt cõſtat ex Audoẽno, vitæ S. Eligij ſcriptore, apud Surium. Pòſt Abbas factus Solenniaci in territorio Lemouicenſi in Gallia, ibidem nonagenarius in Domino obdormiuit. Iſegemij, qui pagus eſt diœceſis Tornacenſis in Flãdria, Comitatus titulo à Philippo II. Rege Catholico decoratus, viciniſque in locis colitur vt Apoſtolus ac patronus. Exſtat ibidem eius vitæ hiſtoria manuſcripta.

Ianua-

Ianuarij eodem die. Martyrol. Rom.

S. CANVTVS, Daniæ Rex & martyr.

VXorem is habuit *Ethlam* ſeu *Adelam*, Roberti cognomento Friſij, Comitis Flandriæ filiam, ex qua genuit beatum *Carolum* Flandriæ Comitem, pariter martyrem: de quo infra die 2. Martij agemus. Cæterùm Canutus an. 1086. pro Zelo Chriſtianæ religionis, à Blacco ſuo familiari eſt interfectus: vt Saxo Grammaticus hiſt. Danorum lib. 13. & Ioãnes Magnus hiſt. Gothorum lib. 18. cap. 11. & ſeqq. fusè commemorant.

Ianuarij 8. die.

S. Gudila virgo, & patrona ciuitatis Bruxellenſis.

GVdila patrem habuit Witgerum Comitem, Condati ac Virginiaci domi-

dominum : vt Baldericus Epiſcopus Tornacenſis in Chronico Cameracẽſi lib. 1. cap. 16. & Petrus Diuæus rerũ Brabanticarum lib. 1. tradunt. Mater illi fuit S. Amelberga: cuius oſſa, cum alijs ſeptem corporibus Sanctorum, Binchij in Hannonia adſeruãtur, capſis argenteis incluſa. Sorores habuit S. Raineldem, quæ Sanctis apud Hallas in Hannonia quieſcit, & S. Pharaildim, quæ Gandaui colitur, itemque fratrem S. Emebertum Epiſcopum Cameracenſem: de quibus ſuis locis dicam.

Optimis moribus eſt inſtituta Niuellis, à S. Gertrude Abbatiſſa & cognata, quæ ipſam de ſacro fonte ſuſceperat. Qua defuncta, ad paternas ędes cùm redijſſet, ſacellum S. Saluatoris in Morteſella ſeu Morſella, pago prope Teneramundam ad Scaldim ſito, die ac nocte ſedulò frequentare ſolebat. Vnde nocte quadam dæmon, vt eius pietatem turbaret, lucernam exſtinxit, quam pediſſequa præferebat: ſed Gudila, fuſis ad Deum precibus, *Mortẽſel.*

lumen

lumen exſtinctum reuocauit atque inſtaurauit.

Vita demum ſanctiſſimè tranſacta, ſepelitur in *Ham*, Brabantiæ vico, primo lapide à Viluordia ſito. Caroli Magni Imp. æuo, è terra, more Eccleſiæ Gallicanæ, eleuata, inde tranſuecta eſt Morteſellam, condito ibidem monialium cœnobio. Poſtea Wenemaro prædia eccleſiaſtica inuadente, à Carolo Lotharingiæ Duce Bruxellam circa an. 980. eſt tranſlata, & in vetuſtiſſimo vrbis templo, quod S. Gaugerico Cameracenſi Epiſcopo ſacrum, collocata.

Carolus Loth. Dux.

Carolus hic Dux ex Ludouico Frãciæ Rege, Caroli Simplicis itidem Regis filio, & Gerberga Othonis Imp. ſorore prodijt: quem Aquaſgrani euocatum, cùm Hugo Pariſiorum Comes ad ſe ſuoſque regnum traheret, idem Otho Lotharingiæ Ducem an. 977. creauit. Is Bruxellam aulâ ſuâ primus nobilitauit atque illuſtrem reddidit, palatio in Sennæ fluminis inſula, haut procul à S. Gaugerici baſilica, ędificato.

to. Regnum Carolo debitum Hugo Comes cùm inuaſiſſet, Carolus exercitum in Franciam eduxit, & opida aliquot cepit. Sed Remis per fraudem ab Hugone captus, demum Aureliani ad Ligerim in carcere anno 991. vitam finijt.

Diuiſa inter liberos hereditate, Otho Ducatum Lotharingiæ eſt conſecutus: Gerberga Lamberto Comiti Louanienſi Comitatum Bruxellenſem & Niuigellenſem, Ermengardis autem Alberto Namurcenſem Comitatum in dotem attulerunt. Othonem Ducem nulla re memorabili geſta, anno 1005. mors ſuſtulit: Lambertum verò & Albertum Comites, ne leuiro ſuccederent, Godefridus Arduennæ Comes, apud Henricum II. Imp. gratia valens, ſubmouit, effecitque vt ſuo filio Godefrido Ducatus Lotharingiæ traderetur.

Otho Dux. Lãbertus Lou. Bruxel. & Niuell. Comes.

Indignum id viſum Lamberto & Alberto Comitibus, qui Balduinum Flandriæ, & Raĝinerum Hannoniæ, Comites in fœdus adſciuerunt. Bel-

latum inter eos ac Godefridum Arduennatem acerrimè: qui caſtris ad Louanium poſitis, cùm vrbem obſediſſet, magno ſuo dedecore, à Brabantis eſt repulſus. Baldericum dehinc Epiſcopum Leodicēſem, pro Arduennate ſtantem, & Hugardiam arce munientem, Lambertus noſter acie vicit, cæptumque opus intermittere coēgit. Alberti Loſſēnſis Comitis vidua pòſt pacem conciliauit.

Exinde Godefridum Arduennatem, Hannoniæ arma inferentem, aggreſſi, idem Lambertus, & Raginerus Comes, ex fratre nepos, ab illo ſunt profligati. Cecidit Lambertus ad Florinas ſeu Florennas, ditionis Leodicenſis opidum, virique nobiles, & alij cum eo vltra trecentos: vt Baldericus in Chronico Cameracēſi lib. 3. cap. 9. & Sigebertus in Chronico cõmemorant. Raginerus, inſtaurato exercitu, cùm hoſtem finibus ſuis excedere compuliſſet, patruum Niuellis ſepeliuit.

Lambertus porrò filios reliquit, Henri-

Henricum, Baldricum, & Raginerum. Henricus cùm Bracbantum in ſumma quiete gubernaſſet, anno 1037. ab Hermanno captiuo ſuo, quem Louanij in libera cuſtudia habebat, obtruncatus eſt. Succeſſit filius Otho, adhuc infans, eoque ſubita morte prærepto, Baldricus, frater Henrici. Is fœdus cum Gozilone, fratre ac ſucceſſore Godefridi Arduennatis, & affinitatem inijt; Oda filia eius in vxorem ducta. Idem Louanij in templo D. Petri, à patre condito, Canonicorum dotem auxit, & Bruxellæ in monte nouam à fundamentis baſilicam S. Michaëli conſtruxit, & anno 1047. corpus S. Gudilæ in eamdem, per Gerardum Cameracenſem Epiſcopum, transferendum curauit, Canonicorum collegio ibidem inſtituto. Demum ad Tornacum annó 1054. cæſus, maiorum tumulo apud Niuellas eſt illatus. Henricus I. Comes Bracbatenſis. Otho. Baldricus.

Baldrico filius ſucceſſit Henricus: huic ſoror fuit Machtildis ſeu Matildis, quæ ex Euſtathio, Bononiæ ad Oceanum Comite, Euſtathium genuit, Henricus II.

nuit, Godefridi Bullonij, Hieroſolymorum Regis, patrem. Obijtq; Henricus II. anno 1068. & filios ex Adela coniuge reliquit, Henricum, Godefridum, & Raginerum: quorum poſtremus in Hasbania anno 1077. perijt.

Henricus III. Hẽricus III. cum Godefrido fratre, & matre Adela Affligemiẽſem monachorũ Benedictinorũ Abbatiam, tertio lapide à Bruxella, anno 1083. condidit: vt ex diplomate ab eiſdem ſignato didici. Anno 1096. Henricus à Goſuino nobili viro Tornaci, in ludis militaribus, eſt interfectus, & Niuellis apud maiores humatus. Succeſ-

Godefridus Barbatus Loth. & Brab. Dux. ſit frater Godefridus, cognomento Barbatus, Princeps laudatiſſimus, qui poſtea Ducatum Lotharingiæ ſibi ac ſuis recuperauit. Hæc viſum fuit paulò fuſiùs ex fidiſſimis Hiſtoriographis ac vetuſtis diplomatibus commemorare; quòd plerique rerum Brabanticarum ſcriptores, in concinnanda Principum noſtrorum iſtius æui ſerie, turpiter hallucinentur, quodque ad S.

Gudilæ hiſtoriam illuſtrandam ea plurimùm faciant.

De duplici Canonicorum collegio Bruxellenſi, in templo S. Gudilæ.

IN auguſta S. Michaëlis baſilica, quæ nnnc S. Gudilæ dicitur, duplex reſidet Canonicorum collegiũ, *maius* ſcilicet & *minus*. Ex his prius, eſt duodecim Canonicorum, a Baldrico Comite Bracbatenſi, eiuſque coniuge *Oda* fundatum, anno millesimo quadrageſimoſeptimo; procurante & cõfirmante *Gerardo* ſecundo Cameracẽſi Epiſcopo. Alterum, quod eſt decem Canonicorum, condidit ac dotauit, ſed tenuiter, *Henricus* Lotharingiæ ac Brabantiæ Dux, anno milleſimo ducenteſimo viceſimo ſexto.

An. 1047.

An. 1226.

Diploma Baldrici Comitis Bracbatenſis an. 1047. *datum.*

QVidquid in hoc ſæculo fundamento bonitatis quiſquam ſuperædificat, apud Dominum in æterna remuneratione retribui confidat. Quapropter ego Baldricus *parochialem Eccleſiam Brucſellæ conſecrari feci, & in ea corpus ſanctiſſimæ virginis Chriſti* Gudilæ, *quanta potui honorificentia, tranſtuli, quod in Eccleſiola S. Gaugerici negligenter poſitum inueni, eidemq́; ſanctiſſimæ virgini, cum appendicijs omnibus, ipſam eccleſiam, pro animæ meæ meorumq́; propinquorum remedio, legaliter coram omnibus tradidi, addẽs quinq; manſus in* Haſcreold *& in* Wolevve *ſeptem bonaria. Hoc totum quamuis eſſet parum, in clericorum duodecim præbendas dedi & diuiſi, quos ibi ad ſeruiẽdum Deo & ſanctæ virgini conſtitui; pro anima mea heredumq́; meorum & proheredum redemptione, eiſq́; in paſcuis, ſiluis, teloneis talem conceſſi libertatem, vt abſque vllius redditu ſeruitutis, liberè horum fruerentur vtilitate. His ita conſtitutis, quoniam*

niam Eccleſia nullo erat iuuamine fulta, & vndiq; egens auxilij, ad eius ædificationem redimiculi præbendarum partem dimiſi, ne ſtatum eleemoſynæ omnino viderer vendere pretio. Adhoc etiam conceſsi illis, vt vnuſquiſque fratrum ipſorum, poſt vitæ ſuæ ſpatium, per annum integrum præbendam ſuam cuicumque ſibi placuerit relinquat, & ſi quis eorum ſupra præbendariam terram ædificauit quidquam, per annum iſtum heres eius, aut cuicumque ipſe adhuc viuens cõceſſerit, ædificationes eius ſibi auferat. Si quis autem, quod abſit, heredum aut proheredum meorum, aut etiam extranea quælibet perſona, hanc meam traditionem peruertere, & inde demere tentauerit quidquam, iram Dei & offenſam ſancti Michaëlis Archangeli, cuius in prædicta Eccleſia veneratur memoria, & prædictæ ſanctæ virginis in perpetuum incurrat & excõmunicationem ſancti Pontificis, quæ in præſentia cunctorum, qui aderant, terribilis reſonabat, numquam euadat, ſed ſemper huius vinculi nodo appareat, ante vultum Altiſsimi, conſtrictus. Actum publicè Brueſellæ anno Dominicæ incarnationis milleſimo quadrageſimo ſeptimo, Indictione An. 1047.

 deci-

decima quinta, Leone *Nono in Apoſtolica ſede præſidente Pontifice ſummo, regnante* Henrico *Imperatore tertio, Cameracenſium Pontificalem cathedram Domino* Gerardo *obtinente Præſule, qui in his omnibus, cum uxore mea* Oda, *adiutor mihi exſtitit, tam auxilio quàm conſilio, & præſens eandem eccleſiam dedicauit, &, vt præſcriptum eſt, excõmunicatione omnia firmauit. Eius præſentia ſunt omnia ibi conſtituta, & teſtibus idoneis firmata. Signum Domini Gerardi prædicti Epiſcopi, S. Gerardi Archidiaconi, S. Emelini, S. Ingelberti fratris eius, S. Sigeri, S. Folcardi, S. Onulfi filij eius, S. Gerardi, S. Litberti, S. Azonis presbyteri, S. Folberti presbyteri, S. Oſtonis, S. Ioannis, S. Faſtradi, S. Ioannis, S. Stepponis, S. Siberti, S. Thiedonis Decani, S. Heimezonis, S. Hartfridi presbyteri, S. Adelardi, S. Radulfi, S. Emmonis.*

Hactenus diploma Baldrici, & infrà appenſum erat ſigillum ex rubra cera, cui impreſſa erat effigies viri equo inſidentis, cum gladio in altera manu, nullis litteris aut inſcriptione adiuncta.

Diplo-

Diploma Henrici Ducis Lotharingiæ ac Brabantiæ, an. 1226. datum.

H*Enricus Dei gratia Dux Lotharingiæ, tam præſentibus quàm futuris in perpetuum. Nos conſiderantes quod ait Apoſtolus,* Qui parcè ſeminat, parcè & metet, & qui ſeminat in benedictionibus, metet vitam æternam, *ſeminare proponimus in terris, vnde Domino reddente multiplicatum fructum in cœlis colligere debeamus. Cùm igitur in eccleſia Bruxellenſi à prædeceſſoribus noſtris pauci ſint Canonici inſtituti, à quibus pro modulo ſuæ paucitatis Deo laudabiliter ſeruiatur, Nos cupientes cultum diuinum ampliare, & Canonicorum numerum augmentare, pro ſalute noſtra & pro ſalute animarũ prædeceſſorum & ſucceſſorum noſtrorum nec non & vxorum noſtrarum,* Mathildis *ſcilicet &* Mariæ, *liberaliter & abſolutè memoratæ eccleſiæ Bruxellenſi, quæ ad voluntatem noſtram & admonitionem de nouo reædificari incipit, in honorem beatiſſimæ Virginis Dei genetricis Mariæ, concedimus & donamus allodium noſtrum in* Didenghem, *quod comparauimus à nobili*

bili viro Ægidio de Wangha, *& duas partes totius decimæ de* Golpa, *tam in cultis quàm in excolendis, cum eccleſia eiuſdem villæ, nec non & quattuor manſos terræ ibidem. Hæc autem concedimus ad vſum decem Canonicorum de nouo inſtituendorum in eccleſia memorata, qui à Decano & Capitulo debeant eligi, & nobis & noſtris ſucceſſoribus præſentari: nec aliquid de prædictis bonis percipient, ſi non faciant reſidentiam perſonalem, & ſi admoniti à Decano & Capitulo, ad ſacros ordines non ſint promoti; niſi Decano & Capitulo videatur aliud pro vtilitate Eccleſiæ faciendum. Actum anno*
1226. *gratiæ milleſimo ducenteſimo viceſimo ſexto, menſe Auguſto.*

Ianuarij 10. *die.*

B. GREGORIVS X. Papa.

OB vitæ integritatem, creatus eſt Pontifex Romanus, ex Archidiacono Leodicenſi, idque abſens (erat enim tunc in Syria apud Ptolemaidem, in obſequio Chriſti) & extra nume-

numerum Cardinalium, procurante in primis S. Bonauentura, ord. Minorum Præfecto tunc generali. Obijt an. Chriſti 1276. pontificatus ſui anno quarto. Bartholomæus Piſanus, in lib. Conformitatum S. Franciſci, & & Robertus Licienſis, in Sermone de S. Bonauentura, tradunt illum Aretij in Tuſcia haberi pro canonizato. Quod ſi verum, miror nullam illius mentionem fieri à Philippo Ferrario, viro alioqui diligente, in Catalogo Sanctorum Italiæ, an. 1613. Mediolani edito.

Ianuarij 11. *die. Martyrol. Rom.*

S. SALVIVS Epiſcopus Ambianenſis.

FLoruit is temporibus Theodorici Galliæ Regis: vt ex monumentis illius Eccleſiæ conſtat. Idem S. Firmini martyris corpus inuenit.

Hunc S. Saluium Meierus in Annalibus

nalibus Flandriæ, ad annum octingenteſimum primum, per errorem cõfundit cum S. Saluio Engoliſmenſi Epiſcopo, qui in villa *Breuitico*, haut procul à Valentianis, Hannoniæ vrbe, temporibus Caroli Magni, martyrio coronatus eſt: vt ad annũ prædictum Sigebertus in Chronico teſtatur, & nos infra 26. Iunij explicabimus.

Brenaige, hodie Ducis Arſchotani.

Cum Meiero in eumdem errorem lapſus videtur Baronius in ſuis Notis ad Martyrologium Romanum, hoc ipſo die.

Ianuarij 13. *die. Martyrol. Rom.*

S. AGRITIVS Treuerenſis Epiſcopus.

CLaruit Conſtantini Magni Imp. temporibus, & Cõcilio Arelatenſi ſecundo interfuit. Miſſus eſt autem Treueros à S. Silueſtro Papa & S. Helena Imperatrice, ſacratiſſimis donis, vt *Tunica Domini inconſutili, vno clauorum Crucis Dominicæ, corpore S. Matthiæ*

thiæ Apoſtoli, & alijs honoratus ab eiſdem; quæ hodieque Treueris honorificè adſeruantur.

B. BERNO primus Abbas Cluniacenſis, & Balmenſis in Burgundia.

B. BERNO ex Comitibus Burgundiæ oriundus fuit; vt Paradinus, Golutius, & alij rerum Burgundicarum ſcriptores tradunt. Relicto ſæculo, ex Comite factus Abbas, *Gigniacenſe* monaſterium in diœceſi Lugdunenſi fundauit: vt Sigeberti noſtri Gemblacenſis interpolator ad an. 895. commemorat. Idem in regimine *Balmenſis* monaſterij (quod hodieque apud Burgundos in diœceſi Veſontionenſi floret) B. Euticio primo Abbati ac fundatori ſucceſſit. A Guilielmo demum Pio, Aruerniæ Comite & Aquitaniæ Duce, eiuſque coniuge Aua, euocatus, archicœnobium *Cluniacenſe*, in diœceſi Matiſconenſi, eorumdem ſumptibus, excitauit. Obijtque Cluniaci

niaci anno Chriſti nongenteſimo decimo.

B. EVTICIVS Abbas Balmenſis.

BAlma illuſtre eſt monaſterium ordinis Cluniacenſis, in Comitatu Burgundiæ, quod B. Euticius, primus illius loci Abbas, fundauit. Habuit is inter alios, vt dixi, diſcipulum *B. Bernonem*, qui magiſtro ſuo, in regimine Balmenſis monaſterij, ſucceſſit, ac demum primus Abbas Cluniacenſis obijt. Bernoni in præfectura trium cœnobiorũ, videlicet Balmẽſis, Gigniacenſis, & Æthicenſis, ſucceſſit eius nepos Wido ſeu Guido.

B. IVETTA Recluſa, apud Huium, ditionis Leodicenſis opidum.

HÆc marito orbata, leproſis annos decem ſeruiuit: poſtea annis 36. recluſa, demum in Domino piè an. 1227. obdormiuit. Corpus terræ mandauit Ioannes Abbas Floreffienſis, ex

ordine Præmonſtratenſi: cuius iuſſu Hugo Floreffienſis vitam B. Iuettæ libro prolixo deſcripſit, qui ms. apud me exſtat.

Ianuarij 15. die.

S. Ablebertus, ſeu Emebertus, Cameracenſis Epiſcopus.

POſt Bertoaldum in Epiſcopatu Cameracenſi ſucceſſit beatus ABLEBERTVS, qui ita in Catalogo Epiſcoporum nominatus, ab incolis verò & vicinis *Emebertus* dicebatur. Hic ex Bracbatenſi pago oriundus, parentibus ſiquidem & vitæ & generis dignitate clariſſimis, patre ſcilicet *VVitgero* Comite, ſancto viro, atq; *Amelberga* matre editus eſt. Cuius etiam quattuor ſāctę ſorores fuerūt hæ; *Reinildis*, *Sarachildis*, *Ermēlindis*, beatiſſima quoque *Gudila*, iunior ætate, ſed non minus præſtantior ſanctitate. Quæ profectò antequam nata, ab Angelo beatiſſimæ matri nuntiata, dies ſuos bonis

bonis operibus vincere ſtuduit, multiſque virtutibus & miraculis, vt ipſius vitæ liber editus inſinuat, coruſcauit. Qui etiam liber Ablebertum Pontificem, & mira ſanctitate clarum proteſtatur, & morum ingenuitate conſpicuum: quod nec dubitandum, præſertim cùm & tam ſanctis & tam magnificis natalibus ortũ proteſtetur. Hic nimirũ prælibatæ ſororis, id eſt, Gudilæ, iã triduo ſepultæ tumulum à latrone peſtifero violatum audiens, ingemuit, latronemque anathematis vinculo innodauit, imò etiam exerta imprecatione, vt ſignis fatentibus, ſaltem poſteros non lateret, obtinuit. Hoc modo ſanè, vt ſi vir eſſet, claudus vel quolibet modo debilis fieret; ſi femina, vitio, quod vulgò dicimus gutturiam, ſemper non careret. Et hoc mirabile dictu: namque omnem ipſam progeniem hæc ita poſtea habere, liber ipſe fatetur. Vnde datur intelligi, virum altioris meriti extitiſſe. Fuit autem huic, vt ferunt, prædium, quod *Martinas* dicitur, familijs quidem

Apud Surium 8. Ian.

&

& rebus circumfluis locupletiſſimum, de quo Dei Genitricis eccleſiam Cameracenſem heredem fecerat: ſed neſcimus qua cauſſa, infeſtatione paganorum, amiſerit. Hic ſuperueniente die ſuæ vocationis, in eodem pago, villa videlicet, quam loci habitatores *Ham* dicunt, defunctus, migrauit à mundo, illicque ſepultus eſt: poſtea verò ad Melbodium tranſlatus, ibique nunc quieſcens, reſurrectionis diem exſpectat. Ita Baldericus lib. 1. cap. 16. in Chronico Cameracenſi. *Ham* prope Viluordiam.

S. MAVRVS eremita, apud Huium.

VItā egit eremiticā in ſiluis Andénenſibus, Huio vicinis; & quieſcit Huij; quod opidum eſt ditionis Leodicenſis, ad Moſam, inter Leodicum & Namurcum.

Ianuarij 16.*die*.*Martyrol*.*Rom*.

S. MARCELLVS Papa & martyr.

IS Romæ martyrium fecit, ſub Maxentio tyranno: exſtantque eius Acta apud Surium. Magna pars corporis eius habetur in Alto-Monte, Benedictinorũm apud Hannones Abbatia, per S. Vincentium Comitem circa annum 651. fundata. Inuentionis ſeu manifeſtationis (nam ob Hũgarorum Belgicã vaſtãtiũ furores ſecretò recõditum fuerat in terris) ãnno circiter 1054. factæ hiſtoria, ab Vrſione illius loci Abbate conſcripta, exſtat ibidem.

S. FVRSEVS Abbas Peronæ, in Picardia. *Martyrol. Rom.*

FVit filius Philtani Regis Hiberniç, idemque SS. Foillani atque Vltain frater, & anno 650. floruit. Euangelij prçdicãdi cauſſa, in Galliam traijciens

ijciens, apud Atrebates & Veromanduos Chriſti doctrinam ſparſit, & Latiniaci ad Matronam fl. inſigne monaſterium, alterumque Peronæ conſtruxit, Ercanaldo, qui Maior domus Lotharij Regis fuit, dotante. Corpus eius, quarto poſt obitum anno, prorſus incorruptum, à S. Auberto Cameracéſi, & S. Eligio Nouiomenſi Epiſcopo eſt eleuatum. Vitæ eius hiſtoria, ſed imperfecta, exſtat apud Surium: quæ plena legitur Atrebati in baſilica cathedrali.

Ianuarij 18. *die:*

Sancti diœceſis Biſontinæ, qui omnes coluntur Officio Eccleſiaſtico: *ex Martyrologio eccleſiæ Metropolitanæ Biſontinæ.*

XV. Kalendas Februarij, in territorio Biſontinenſi cœnobio Lutra, S. DEICOLI Abbatis. 18. *Ian.*

X. Kal. Febr. in territorio Biſonti- 23. *Ian.*

nenſi, caſtro quod dicitur Mons Beligardæ, S. MAIMBODI martyris, cuius crebra miracula coruſcant.

3. *Febr.* III. Nonas Februarij, in territorio Biſontinenſi, vico Salinis, S. ANATHOLII confeſſoris, cuius ſepulcrum magnis illuſtratur miraculis.

8. *Febr.* VI. Idus Februarij S. NICETII Biſontinenſis Epiſcopi, vita ac miraculis glorioſi.

10. *Feb.* IV. Idus Februarij, Biſontij, S. PROTADII Archiepiſcopi & confeſſoris, qui vſus & conſuetudines eiuſdem Eccleſiæ miro moderamine deſcribit.

28. *Feb.* Pridie Kal. Martij, in territorio Biſontinenſi, locis Iurenſibus, depoſitio S. ROMANI Abbatis, qui primus illic vitam eremiticam duxit, & multis virtutibus ac miraculis clarus, plurimorum poſtea pater exſtitit monachorum.

21. *Feb.* XII. Kal. Aprilis, in territorio Biſontinēſi, S. LVPICINI Abbatis, cuius vita ſanctitatis & miraculorum gloria illuſtris fuit.

IV.

IV. Kal. Aprilis, depoſitio S. EVSTASII, Abbatis Luxouienſis, qui pater fermè ſexcentorum exſtitit monachorum, & vitæ ſanctitate cōſpicuus, etiam miraculis claruit. 29. *Ap.*

VI. Nonas Maij, depoſitio S. WALBERTI, Luxouienſis Abbatis. 2. *Maij.*

VI. Idus Maij, Biſontij, S. SILVESTRI Epiſcopi & Confeſſoris, cuius vita commendatur miraculis. 10. *Maij.*

29. Maij, S. MAXIMINI *Archiepiſcopi Biſontini & confeſſoris; qui celebratur Veſontione Eccleſiaſtico Officio, in eccleſia S. Petri.* 29. *Maij.*

III. Kal. Iunij, ciuitate Chryſopolitana, tranſlatio beatorum martyrum FERREOLI & FERRVTII. 30. *Maij.*

Nonis Iunij, tranſlatio ſanctorum confeſſorum SILVESTRI & ANIANI, Archiepiſcoporum Chryſopolitanæ Eccleſiæ. 5. *Iunij.*

VIII. Idus Iunij, in territorio Biſontinenſi, cœnobio Iura, S. CLAVDII Archiepiſcopi Biſontini, confeſſoris & Abbatis. 6. *Iunij.*

16. *Iunij.* XVI. Kal. Iulij, in Gallijs apud vrbem Veſontionem, ſanctorũ martyrum, FERREOLI presbyteri, & FERRVCII diaconi, qui à beato Hirenæo Epiſcopo, ad prædicandum verbum Dei, miſſi, poſtea ſub Claudio Iudice excruciati pœnis, gladio feriuntur.

17. *Iunij.* XV. Kal. Iulij Biſontij, paſſio S. ANTIDII Epiſcopi & martyris, cuius vita ſatis conſtitit miraculis.

27. *Iulij.* VI. Kal. Auguſti, Ledonis vico, depoſitio S. DESIDERATI Biſonticenſis Epiſcopi.

3. *Aug.* III. Non. Auguſti, inuentio corporis beatiſſimi STEPHANI protomartyris. Item Chryſopoli, quæ nunc Biſontica dicitur, aduentus reliquiarum ſupradicti protomartyris.

4. *Aug.* Pridie Non. Auguſti, apud Biſontium, inuentio SS. martyrum EPIPHANII & ISIDORI, in eccleſia S. Ioannis Euangeliſtæ, quorum capita à Theodoſio Imperatore in præfatam ciuitatem miſſa leguntur.

7. *Aug.* VII. Idus Auguſti, S. DONATI Epiſcopi & confeſſoris.

Kalen-

Kalendis Septembris, Salinis, eleuatio corporis B. ANATOLII Pontificis, per manus D. Nicolai Archiepiſcopi Biſontini. *1. Sept.*

Nonis Septembris, Biſontij inuentio corporum SS. martyrum FERREOLI presbyteri, & Ferrucij diaconi, à S. Aniano eiuſdem ciuitatis Epiſcopo. Item Chryſopoli, quæ nunc Biſontica vocatur, depoſitio S. ANIANI, qui corpora SS. martyrum tranſtulit ad eccleſiam S. Ioannis. *5. Sept.*

XIV. Kal. Octob. in territorio Biſonticenſi, paſſio SS. martyrum, DESIDERII Redonenſis eccleſiæ Epiſcopi, & RAINFRIDI Archidiaconi, quorum geſta habentur. *Corpus huius S. Deſiderij ſeruatur in vico* S. Diſier, *Alſatiæ ſuperioris, diœceſis Biſontinæ.* *18. Sept*

VII. Kal. Octob. in territorio Biſonticenſi, cœnobio Cuſancia, S. ERMENFREDI confeſſoris & Abbatis. *Corpus S. Ermenfredi eſt in viculo vulgò* Santoche, *non procul à Cuſancia.* *25. Sept.*

V. Id. Octobris, cœnobio Palma, S. GERMANI Biſonticenſis Archiepiſcopi *11. Oct. Mart. Rom.*

 copi

copi qui à nocentibus innocenter occiſus regnum cœleſte conſcendit, feliciter laureatus.

24. *Oct.* IX. Kal. Nouembris S. RENOBERTI Baiocenſis Epiſcopi & confeſſoris. *Corpus S. Renoberti, arca lapidea concluſum, ſeruatur in eccleſia eiuſdem nominis, prope Quingeium.*

1. *Nou.* Kal. Nou. in territorio Biſonticenſi, S. LAVTENI Abbatis, qui plurimorũ fundator cœnobiorũ exſtitit, & inſuper miraculis claruit. *Corpus S. Lauteni ſeruatur in vico eiuſdem nominis, vulgò* S. Loutain; *caput verò habetur in eccleſia Balmenſi.*

26. *No.* VI. Kal. Decemb. natalis B. LINI Papæ, qui poſt Petrum primus Romanam eccleſiam tenuit annis xij. & martyrio coronatus, ſepultus eſt in Vaticano.

19. *Dec.* XIV. Kal. Ian. in territorio Biſonticenſi, locis Iurenſibus, S. VRSICINI confeſſoris, cuius venerabile corpus magnis effulget virtutibus.

Hactenus ex Martyrologio eccleſiæ Metropolitanæ Biſontinæ: quæ excerpta debemus

mus Ioanni Iacobo Chiffletio, viro Antiquitatis ſacræ ac profanæ peritiſſimo. Quæ charactere minore ſunt excuſa, Chiffletius & ego adiecimus, ad lucem faciendam.

Ex Necrologio Balmẽſis monaſterij.

XV. Kal. Octobris obijt Rainaldus venerabilis eremita, tẽpore Domini Bernardi ſecundi Abbatis, anno 1104. *17. Sept.*

Epitaphium eiuſdem.

B*Eatus Rainaldus, egregius anachoreta, ſub hoc iacet tumulo, qui tempore Domini Bernardi, ſecundi Abbatis huius monaſterij, obijt XV. Kal. Octob. anno Domini,* 1104. *Poſt cuius obitum, frequens & penè innumera varijs morbis ac doloribus languentium turba, fuſis ad eius tumulum precibus, incolumitatem recepit.*

Ianua-

Ianuarij 19. *die. Martyrol. Rom.*

S. MARIVS martyr Romanus, Gembłaci celebris.

MARIVS, natione Perſa, cum vxore ſua *Martha*, & duobus filijs, paſſus eſt Romæ, Claudio imperante. Marij, itemque S. Fortunati, & aliorum Diuorum reliquias ex Vrbe Gemblacum in Brabantiam attulit *Arnulfus* IX. Abbas Gemblacenſis; quem Innocentius II. Papa ſuis Romæ manibus Abbatem conſecrarat.

Ianuarij 20. *die. Martyrol. Rom.*

S. SEBASTIANVS. martyr Romæ, Diocletiano imperante.

HVius toto orbe celeberrimi ac fortiſſimi martyris integra manus, per Lotharium Treuerenſem *Archiepiſcopum* dono miſſa eſt ALBERTO

AVSTRIACO, Belgarum Principi; qui illam adamantibus, gemmis, aureoque tabernaculo decorauit. Adſeruaturque Bruxellæ in palatio magna veneratione,

Ianuarij 21. *die. Martyrol. Rom.*

S. AGNES virgo & martyr Rom.

BAldricus Epiſcopus Vltraiectinus, vrbis illius poſt Normannicam vaſtationem inſtaurator, cùm anno 966. negotiorum eccleſiaſticorũ cauſſa, in Italiam ad Othonem I. Imp. profectus eſſet, eiuſdem Othonis interuentu, à Romano Pontifice obtinuit, ſecumque ex Italia Vltaiectum attulit oſſa *S. Agnetis* virginis, itemque SS. *Pontiani* & Benigni martyrum.

S. Agnetis memoria per vniuerſam diœceſim Vltraiectinam, quæ olim latiſſimè patuit, fuit celeberrima: cõſtatque ex Thomæ Kempenſis, viri religioſiſſimi, Sermonibus ad Noui-

tios,

tios, hanc virginem apud Vltraiecti-nos quoque miraculis claruiſſe.

S. Pontianus Spoleti in Vmbria paſſus eſt, Antonino imperante, eſtque Romanis Faſtis adſcriptus die 19. Ianuarij.

Ianuarij. 22. die.

B. GVALTERVS, Epiſcopus Pictauienſis in Gallia, ex ordine Minorum.

NAtus eſt Brugis in Flandria, & ex Doctore Theologo ac Miniſtro prouinciæ Turonenſis, creatus eſt Pictauorum Epiſcopus, vel inuitus. *Multis claret miraculis, præcipuè à quartana liberans*; vt S. Antoninus part. 3. tit. 4. cap. 9. loquitur. De eodem agit Meierus in Flandriæ Annalibus lib. 11.

Ianua-

Ianuarij 25. *die Martyrol. Rom.*

S. POPPO Abbas Stabulenſis, in dioœceſi Leodicenſi.

Rexit ac reformauit plurima ſui ordinis Benedictini cœnobia; inter cetera *Vedaſtinũ* in Arteſia; *Giſlenianum & Altimontenſe* in Hannonia, *Marchianenſe & Amandinum* in Flandria, *Paulinum* in vrbe Vltraiectina, *VValciodorenſe* in Comitatu Namurcenſi, *Stabulenſe* & *Malmũdarienſe* in dioœceſi Leodicenſi. Obijt autem Atrebati, anno Chriſti 1048. ætatis 70. conditusſque eſt, vti iuſſerat, Stabuleti à Waſone Leodicenſi Epiſcopo: vbi quieſcit hodieque è terra nondum eleuatus. *Mirum eſt autem Stabuletum, Imperiale monaſterium, eius canonizatiouem apud Apoſtolicam Sedem non ſollicitaſſe, cùm de virtutibus eius & miraculis permulta legantur apud Surium, per Euerhelmum Abbatem Altimontenſem & poſtea Blandinienſem conſcripta*: vt Molanus loquitur.

Eſt

Eſt quidem nomen *Popponis* adſcriptum tabulis Martyrologij Romani, quod Cæſar Baronius iuſſu Gregorij XIII. Pontificis Max. edidit. Id tamen non videtur ſufficere ad cultum illius publicum in Eccleſia inſtituendum, ſine præuio Pontificis Romani conſenſu atque auctoritate. Exéplo nobis ſit S. ALBERTVS Leodicenſis Epiſcopus & martyr, de quo infra 21. Nouembris agemus. Erat is pariter Romano Martyrologio, per Baronium publicato, inſcriptus; nihilominus tamen Clemens VIII. Papa peculiare diploma pòſt edidit, quo Bruxellis & Remis illum Officio eccleſiaſtico publicè coli indulſit.

Ianuarij 27. die.

S. SVLPICIVS, Epiſcopus Baionenſis, quieſcit Giſlenopoli apud Hannones.

FVit Epiſcopus Baionæ ſiue Aquarum Auguſtarum, apud Vaſcones in

in Gallia; vt conſtat ex Sermone de illius translatione. Quieſcit in Cella, ſeu monaſterio S. Giſleni in Hannonia, quod eſt nunc Benedictinorum, ab eodem S. Giſleno circa an. 650. incohatum. Sunt eò tranſlatæ eius reliquiæ (vnà cum oſſibus S. Leocadiæ, virginis Toletanę) ijs fere temporibus, vt creditur, quibus Mauri Hiſpaniam occuparunt.

B. IOANNES Epiſcopus Morinenſis ſeu Teruanenſis.

FVndauit Ipris in Flandria monaſterium Canonicorum regularium, quod anno 1559. Paulus IV. Papa, petente Philippo II. Rege Catholico, Belgarumque Principe, vertit in cathedrale Canonicorum ſæcularium, vt vocant, collegium. Laudatiſſimè præfuit annis 30. ac demum an. 1130. viuere deſijt. Res eius geſtas deſcribit Ioannes Iperius in Chronico ſuo ms. Bertiniano.

Iprenſis Epiſcopatus origo.

Ianuarij. 28. *die.*

S. CAROLVS MAGNVS, Imperator & Galliarum Rex.

CAROLVS propter rerũ, quas geſſit, magnitudinẽ cognomẽto MAGNVS, anno ſupra ſeptingenteſimum altero & quadrageſimo, natus eſt, *Pipino* Francorum Rege, ex *Bertha* ſeu *Berthrada* Græca principe. De loco natali, vt olim de Homeri patria, certatur: Eginhardus certè, Caroli Cancellarius ac præco, negat illum certò ſciri poſſe.

Adoleſcens præceptorem habuit *Albinum Alcuinum*; fuitque toto vitæ ſuæ decurſu litterarum ac ſtudiorum amantiſſimus. Academias binas inſtituit, *Ticinenſem* in Italia, & *Pariſienſem* in Gallia: *Bononienſem* verò, ab Imp. Theodoſio, vel vt alij volunt, à Theodorico Rege erectam, inſtaurauit.

Bella geſſit varia, in his Aquitanicum,

cum, Longobardicum, Hiſpanicum, Hunnicum, Bohemicum, Danicum, Saxonicum, Sclauonicum, Boicum, & alia, felici euentu omnia: quòd Eccleſiæ Romanæ propugnator à ſupremo cœli Imperatore ſemper fuerit propugnatus. Quem vtinam Reges ac Principes hodie ſequantur! ſuis ac ſuorum rebus rectiùs conſulturi. In Longobardos certè, à multis retrò annis Eccleſiæ infeſtos, Hadriani Pont. Max. rogatu, arma ſumpſit, Regemque illorum *Deſiderium* regno exuit, & Leodicum miſit exulatum. Adalgiſus, Deſiderij filius vnicus, Conſtantinopolim profugit; ibique diem clauſit. Carolus Italia potitus, opida, arces, agros & alia quæ Longobardus Eccleſiæ Romanæ ſubſtraxerat, reſtituit, variaque beneficia adiecit.

Nouas Epiſcopis ſedes nouem in Germania poſuit, *Monaſterienſem, Mindenſem, Halberſtadienſem, Oſnaburgenſem, Padeburgenſem, Verdenſem, Hamburgenſem & Hildesheimenſem:* duas ad dignita-

gnitatem Archiepiſcopalē prouexit, *Iuuauienſem* & *Hamburgenſem*. Aquiſ-Grani baſilicam rotundam Virgini-Matri condidit; auro, argento, columnis marmoreis Roma & Rauenna aduectis, cancellis denique ac portis ex ære ſolido ornauit: quod opus magna admiratione hodieque ſpectatur, & fuſè deſcribitur à *Petro Becano*, ibidem Canonico, in Hiſtoria Aquiſgranenſi, an. 1620. edita. Monaſteria quattuor & viginti à fundamentis erexit, quibus ſingulis ſingulas ex auro litteras ducentorum pondo, ad ſignandum ordinem & tempus fundationis, attribuit; alia plurima, vetuſtate collapſa, inſtaurauit. Chriſtianam legem mirificè propagauit: Saxones, Danos, Hūnos, Sclauos, alioſque populos, damnato dæmonum cultu, Chriſti caſtris adſcripſit. Imperator multis nominibus felix, qui Romanum Imperium, à Pōtifice Maximo acceptum, ad Francos & Germanos tranſtulit, orbeque toto victor innumerabiles ex hoſtibus triumphos reportauit.

Vixit

Vixit annos duos ſupra ſeptuaginta; Franciam rexit annos ſeptem & quadraginta, Italiam triginta nouem, imperauit quattuordecim; obijtque Aquiſ-grani, in palatio ſuo, anno quarto decimo poſt octingenteſimum à Chriſto nato: vbi hodieque ſacrum eius corpus religiosè adſeruatur. Quod quidem anno 1166. præſente *Frederico I.* Cæſare, è terra eſt eleuatum, probante *Paſchali*, qui tunc ſe pro Pontifice gerebat, & procurantibus in primis *Rainoldo* Colonienſi Archiepiſcopo, atque *Alexandro* Leodicenſi Antiſtite.

Frederici *I. Imp. diploma de eleuatione* S. Caroli Magni: *cui inſertum eſt diploma eiuſdem* Caroli *de fundatione Aquiſgranenſis baſilicæ Marianæ, illiuſq; conſecratione per* Leonem III. Papam.

IN *nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis*; Fridericus, *diuina fauente clementia, Romanorum Imperator ſemper Auguſtus.*

Ex quo primitus, diuina ordinante clemen-
tia Imperij Romani faſtigia gubernandā
ſuſcepimus, voluntatis noſtræ atque propoſiti
ſummum deſiderium fuit, vt Reges & Im-
peratores, qui nos præceſſerunt, præcipuè max-
imum & glorioſum Imperatorem Caro-
lum, quaſi formam viuendi atque ſubditos
regendi, ſequeremur, & ſequendo præ ocu-
lis ſemper haberemus: ad cuius imitationem
ius Eccleſiarum, ſtatum Reipublicæ incolu-
Caroli Magni elogiū. mem, & legum integritatem per totum Im-
perium noſtrum ſeruaremus. Ipſe enim tota
cordis intentione ad æternæ vitæ præmia an-
helans, ad dilatandam gloriam Chriſtiani
nominis, & cultum diuinæ Religionis propa-
gandū, quot Epiſcopatus cōſtituerit, quot Ab-
batias, quot Eccleſias à fūdamēto erexit, quā-
tis prædijs ac beneficijs illas ditauerit, quāta-
rū largitate eleemoſynarū nō ſolùm in ciſma-
rinis ſed etiam in tranſmarinis partibus re-
ſplenduerit, ipſa eius opera & geſtorū volu-
mina, quæ plurima & maxima ſunt, fide ocu-
lata pleniùs declarant. In fide quoq; Chriſti
dilatanda, & in conuerſione gentis barbari-
cæ, fortis athleta fuit, & verus Apoſtolus: ſi-
cut Saxonia & Freſonia, atque Weſt-
phalia,

phalia, Hiſpani *quoque teſtantur & Wādali, quos ad fidem Catholicam verbo conuertit & gladio. Licet etiam ipſius animam non pertranſierit gladius, diuerſarum tamen paßionum tribulatio, & periculoſa certamina, & voluntas moriendi quotidiana, pro conuertendis incredulis, eum martyrem fecit. Nunc verò electum & ſanctißimum confeſſorem eum fatemur, & veneramur in terris, quem in ſancta conuerſatione vixiſſe, & pura confeßione & vera pœnitentia ad Dominum migraſſe: & inter ſanctos confeſſores, ſanctum & verum confeſſorem credimus coronatum in cælis.*

Inde eſt, quòd nos glorioſis factis & meritis ſanctißimi Imperatoris Caroli *cõfidenter animati, & ſedula petitione carißimi amici noſtri,* Henrici *Regis Angliæ, inducti, aſſenſu & auctoritate Domni* Paſchalis, *& ex conſilio vniuerſorum Principum tam ſæcularium quàm Eccleſiaſticorum, pro eleuatione & exaltatione ſanctißimi corporis eius, atque canonizatione, ſolennem curiam in Natali Domini, apud Aquiſgranum celebrauimus: vbi corpus eius ſanctißimum, præ timore hoſtis exteri, vel inimici fami-* Eleuatio.

liaris. cautè reconditum, ſed diuinâ reuelatione manifeſtatum, ad laudem & gloriam nominis Chriſti, & ad corroborationem Romani Imperij, & ſalutem dilectæ conſortis noſtræ Beatricis *Imperatricis, & filiorum noſtrorum* Friderici *&* Henrici, *cum magna frequentia Principum. & copioſa multitudine cleri & populi, in hymnis & canticis ſpiritualibus, cum timore & reuerentia eleuauimus & exaltauimus* IV. *Kalendas Ian.*

His autem omnibus glorioſè peractis, cùm in prædicto loco, cuius ipſe fundator extiterat, de ipſius loci libertate, inſtitutis legum, & pacis atque iuſtitiæ, quibus totum orbem rexerat. diligenter inquireremus, ecce Fratres eiuſdem eccleſiæ priuilegium ſancti Caroli *de fundatione & dedicatione ipſius nobiliſſimæ eccleſiæ, & de inſtitutionibus legum humanarum, & ciuilis iuris eiuſdem ciuitatis, nobis in medium protulerunt, quod ne vetuſtas aboleret, vel ne per obliuionem deperiret, noſtra Imperiali auctoritate renouauimus. Eiuſdem verò priuilegij tenor & inſtitutio talis eſt.*

Caroli Magni diploma.

Ego Carolus, *qui Deo fauente curam regni gero, & Romanorum Imperator exiſto, conſilio*

conſilio Principum regni noſtri, Epiſcoporum, Ducum, Marchionum ac Comitum, rogatu verò tam liberorum quàm ſeruorum, in plurimo generali conuentu, in diuerſis locis regni noſtri habito, diſcuſſi, proùt iuſtius & melius cunctis videbatur, primùm de lege ſanctarum Eccleſiarum, de reddendis iuſtitijs Epiſcoporum, de vita & iure presbyterorum ac clericorum, & hæc omnia iudicio & aſſenſu noſtro, ſecundùm inſtituta patrum meorum, corroboraui, firmaui, & auxi, nihil de his minuens, quæ Catholici viri, rectè atque legitimè viuere volentes, ad obſeruandum ſpirituali ac ſæculari decreto bonum & vtile contulerint. Deinde proùt cunctis placuit prudentioribus regni noſtri, legem Saxonum, Noricorum, Sueuorum, Frācorum, Ripuariorum, Salicorum, *ſicut mos & poteſtas Imperatorum eſt, & omnium anteceſſorum meorum ſemper fuit, diſtinxi, diſtinctam ſub auctoritate Regia & Imperatoria ſtabiliui, non ex mea adinuentione aut corde prolatam, ſed communi conſilio, & generali conuentu totius Galliæ, à me renouatam, & in melius auctam, ſicut patres & prædeceſſores mei feciſſe perhibentur.*

Scitis enim, & neminem latet, quia quidquid ab Imperatoribus & Regibus præceptum & decretum eſt, ſemper ratum & pro lege tenendum eſt: ne quod ab vniuerſis ſenſatis & iuſta ſatis diſcretione viuere volentibus imperatū & actum eſt, & noſtra Imperatoria & Regia maieſtate confirmatum & ſolidatum, violetur.

Nunc patres, fratres & amici, fautores & coadiutores gloriæ regni noſtri, de omnibus ſtatutis patris mei Pipini, *quæ ad vtilitatem & honorem ſanctæ Eccleſiæ firmari ac renouari petiſtis, quæ ad defenſionem ſæcularium rerum & legum ſtabiliri quæſiſtis, nihil minui nec abnui, ſed in melius ampliaui, omnium ſanis conſilijs acquieui, & fui in medio veſtrum, quaſi vnus de quærentibus & petentibus æquitatem legis, nulli contradicens aut renitens dignæ & rectæ petitioni. Ergò veſtri decreti & petitionis voluntarius exſtiti, vos quaſi patres & fratres audiui: nunc quæſo, vt meæ petitionis & intentionis non ſolùm auditores, ſed & beneuoli factores fieri velitis. Nec quod indecens aut intolerabile ſit, quæro, ſed quod tota Gallia, & vniuerſi Principes potiùs conce-*

concedere, quàm negare debent.

Noſtis qualiter ad locum, qui Aquis, *ab aquarum calidarum aptatione traxit vocabulum, ſolito more, venandi cauſſa, ingreſſus, ſed perplexione ſiluarum, errore quoque viarum, à ſocijs ſequeſtratus, veni, thermas calidorum fontium & palatia inibi repperi, quæ quondam* Granus, *vnus de Romanis Principibus, frater* Neronis *&* Agrippæ, *à principio conſtruxerat. Quæ longa vetuſtate deſerta ac demolita, frutetis quoque ac vepribus occupata, nunc renouaui pede equi noſtri, in quo ſedi, inter ſaltus, riuis aquarum calidarum perceptis & repertis: ſed & ibidem* monaſterium S. Mariæ, *matri Domini noſtri Ieſu Chriſti, omni labore ac ſumptu, quo potui, ædificaui, lapidibus ex marmore pretioſo adornaui, quod Domino adiuuante & cooperante, ſic formam ſuſcepit, vt nullum ipſi queat æquiparari.* Aquæ Grani vnde dictæ. B.Mariæ baſilica.

Itaque tam egregio opere huius baſilicæ, non ſolùm pro voto meo & deſiderio, verùm ex diuina gratia ad vnguem peracto, pignora Apoſtolorum, martyrum, confeſſorum, virginum, à diueſis terris & regnis, & præcipuè Græcorum, *collegi, quæ huic ſan-*

cto

ćto intuli loco, vt eorum ſuffragijs regnum firmetur, & peccatorum indulgentia condonetur. Præterea à Domno Leone, *Romano Pontifice, huius templi conſecrationem & dedicationem fieri impetraui, præ nimia deuotione, quam erga idem opus habui, & Sanctorum pignora, quæ ibi recondita meo ſtudio & elaboratu habentur. Decebat enim vt idem templum, quod cunctis monaſticis ædificijs, in regno noſtro, forma & ſtructura præceſſe videtur, in honorem S. Dei genetricis à nobis regali ſtudio fundatum, dignitate conſecrationis præcelleret, ſicut ipſa Virgo ſuper omnes choros Sanctorum præcellens, exaltata eſt: & ideo Domnum Apoſtolicum, qui omnes præcellit Eccleſiaſticos gradus, ad conſecrandum & dedicandum, ex ſola cordis mei conſideratione, elegi & acciui. Acciui etiam cum illo Romanos Cardinales, Epiſcopos Italiæ quoque quàm plures & Galliæ, ſimulq; Abbates, & cuiuſque ordinis clerum multum, qui huic ſacræ dedicationi intereſſent. Acciti ſunt etiam multi Romani Principes, præfectura & qualicumq; dignitate promoti, ad id ſolemne, Duces, Marchiones, Comites, Principes regni, noſtri tam*

Conſecrata à Leone III.

Italiæ

Italiæ quàm Saxoniæ, tam Bauariæ quàm Alemaniæ, & vtriuſq́ Franciæ, tam Orientalis quàm Occidentalis, in omnibus voto meo & deſiderio obſequentes.

Illic verò Domno Apoſtolico, & omnibus prædictis nobilibus & egregijs perſonis congregatis, merui ab omnibus obtinere, præ nimia deuotione, quam erga ipſum locum & matrem Domini noſtri Ieſu Chriſti *habebam, vt in templo eodem ſedes Regia locaretur, & locus regalis, & caput Galliæ trans Alpes haberetur, ac in ipſa ſede Reges ſucceſſores & heredes regni initiarentur, & ſic initiati iure dehinc Imperatoriam maieſtatem Romæ, ſine vlla contradictione, planiùs aſſequerentur. Confirmatum & ſancitum eſt hoc à Domno* Leone *Romano Pontifice, & à me* Carolo *Romanorum Imperatore Augusto, & primo auctore huius templi & loci, quatenus ratũ & inconuulſum hoc ſtatutum & decretum noſtrum maneat, & hic ſedes regni trans Alpes habeatur, ſitq́ caput omnium ciuitatum & prouinciarum Galliæ.* Aquæ Grani ſedes Regia.

Decreuimus etiam, ex aſſenſu & beneuolentia omnium Principum regni, qui ad hoc feſtum dedicationis conuenerant, vt

locum

locum & ſedem regiam, pro murali præſidio contra omnes turbines, Epiſcopi, Duces, Marchiones, Comites, omnes Principes Galliæ, fideles regni, tueātur, ſemper locū hunc venerātes. Decreuimus etiam, ſi quæ iniuria aut verſutia cōtra leges, quas ſtatuimus, ſurrexerit, libero aut ſeruo nocere tētauerit, Aquis, *ad hāc regiā ſedē, quam fecimus caput Galliæ veniat; veniant Iudices & defenſores loci, & cum æquitate legis, cauſſæ decernantur, ſtatus legis reſurgat, iniuria condemnetur, & iuſtitia reformeur.*

Nunc ergò, quia locum hunc maieſtate regiæ ſedis, Domni Apoſtolici decreto, & noſtra imperiali potentia, noſtroq́ aſſenſu exaltauimus, honeſtate verò huius templi, & plurimorum Sāctorum veneratione magnificauimus, decet, nec incongruum videtur (cùm ad hoc nimiùm figitur noſter animus) vt petitio mea, cuius vos non ſolùm auditores, ſed beneuolos factores fieri exoraui, apud vos obtineat, quatenus non ſolùm clerici & laici loci huius indigenæ, ſed & omnes incolæ & aduenæ, hic in habitare volentes, præſentes & futuri, ſub tuta & libera lege, ſine omni ſeruili conditione, vitam agant, ac om-

ac omnes pariter ex auis & atauis ad hanc ſedem pertinentes, licet alibi moram facientes, ab hac lege quã dictauero in præſentiarũ à nullo ſucceſſore noſtro, vel ab aliquo machinatore, legum ſubuerſore, infringantur numquam de manu Regis alicui perſonæ nobili vel ignobili in beneficio tradantur. Caroli diploma deſinit.

Acquieuerunt vniuerſi Domini & magni Imperatoris Caroli petitioni & voluntati, qui ad hoc ſolẽne dedicationis, ex diuerſis regnis cõfluxerãt, ac bonũ acceptum corã Deo & hominibus, Domni Apoſtolici & Imperatoris decretum adſtruxerunt, & omnium graduum, Epiſcoporum, Abbatũ quoq; banno corroborari & cõfirmari hãc Imperatoris petitionẽ, vniuerſi, magni & parui, acclamauerũt.

Lætetur igitur & exultet ineffabili gaudio Aquiſgranũ, caput ciuitatum, venerabilis clerus cũ deuotiſſimo populo, quòd in diademate regni, alijs Principibus & glorioſis locis ſpecioſiſſimo ornamẽto diſtinctis, in capite coronæ poſitũ, quaſi perlucidarum gemmarum ſplẽdore coruſcat, & illo ſingulari & corporali gaudet patrono, qui Chriſtianæ fidei illuſtratione, & legis, qua vnuſquiſque viuere debeat, Romanum decorat Imperium. Hæc Frederici I. Imp. cõtinuatio.

enim

enim mutatio eſt dexteræ Excelſi, quòd pro Grano, *fratre Neronis, fundatorem habet ſanctiſsimum* Carolum, *pro pagano & ſceleſto, Imperatorem Catholicum. Cuius nos, quantum propitia diuinitas conceſſerit, pietatis veſtigijs inhærentes, venerabilem Clerum Aquenſem, cum eccleſia ſanctiſsimæ Dei genetricis* Mariæ, *excellētiſsimo opere constructa, & omnibus prædijs eius, nec non & ipſam ciuitatem* Aquiſgranum, *quæ caput & ſedes regni Teutonici eſt, vnà cum omnibus ciuibus eius, tam minoribus quàm maioribus, ſub noſtram Imperialem tuitionem ſuſcipimus, & omnem libertatem & iuſtitiā quam ſanctiſsimus* Carolus, *eiuſq́; ſucceſſores eis dederunt, eis confirmamus. Statuentes, & lege perpetuò valitura confirmantes, vt omnes ciues noſtri Aquenſes, per omne Romanum Imperium, negotiationes ſuas ab omni telonij, pedagij, curardiæ, vectigalis exactione liberi, abſq; omni impedimento, liberè exerceant; & ſicut ſanctiſsimus* Carolus *Imperator inſtituit, indigenas huius ciuitatis ſacræ & liberæ nemo de ſeruili conditione impetat; nemo libertate priuare præſumat. Inſuper omnes ad hanc ſedem*

dem pertinentes, nullus Regum vel Imperatorum, vbicumq́, morentur, alicui perſonæ in feudum concedendi poteſtatem habeat. Ceterùm, vt omnes ſanctiſſimæ conſtitutiones beatiſſimi Caroli *totius perennitatis robur obtineant, præſentem inde paginam conſcribi, & aurea bulla, ſigniq́, noſtri charactere ſignari iuſſimus.*

Signum Domini Friderici *Romanorum Imperatoris. Ego* Henricus *ſacri palatij Protonotarius, vice* Chriſtiani *Archicancellarij & Moguntinæ ſedis Electi, recognoui. Datum Aquiſgrani anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo ſexagimo ſexto, Indictione decima quarta, ſexto Idus Ianuarij, regnāte Domno* Friderico *Romanorum Imperatore, anno regni eius decimo quarto, Imperij verò vndecimo. Actum in Chriſto feliciter, Amen.*

Hactenus *Frederici* I. diploma, quod poſtea an. 1244. *Fredericus II.* exiſtens Piſis confirmauit; Raimundo Comite Toloſano, Ennone Comitę Silueſtri, Bertholdo Comite Sacri-mōtis, Richardo Comite Caſertano, Magiſtro Petro de Vinea, &aliis teſti-

teſtibus præſentibus, Quæ tabulæ, aureis ſigillis firmatæ, Aquiſgrani etiamnum fida cuſtodia adſeruantur.

Ceterùm *aduerſus prædicta obijci poſſet, Paſchalem illum illegitimè ſediſſe contra Alexãdrum Tertium Papam. Sic eſt: ſed Aquiſgranenſes à Paſchali & Cardinalibus eius, hoc eſt, vt putabant, à Romana Eccleſia, poſtularunt patroni ſui canonizationem. Hanc autem poſtea legitimi Pontifices non irritarunt, ſed ratam habuerunt, non tamen vt à Sede Apoſtolica emanatam. Quò ſpectat, quòd Itali quidam Iuriſperiti (inter quos ſunt Cardinalis Oſtiẽſis & Ioannes Andreæ) Decretalium Interpretes, ſcribant, ex tolerãtia Romanæ Eccleſiæ, magnificum Carolum in ſola capella ſua Aquiſ-Granenſi, & non in alijs eccleſiis venerationem habere. Colitur autem nunc in varijs eccleſiis Belgij, Germaniæ, & Franciæ, propter erectas diœceſes, aliaq; præſtita beneficia. Sed hoc aut Interpretum illorum tempore nondum fiebat, aut ab ijs fuit ignoratum.* Sic ferè Ioannes Molanus, Doctor Theologus Louanienſis, in Natalibus Sanctorum Belgij, die 28. Ianuarij.

AQVAE

AQVAE GRANI, Luitprando *Grani palatium*, Rheginoni *Thermæ Grani*, iam inde à temporibus Caroli Magni, ſic dictæ putantur à *Grano*, Neronis Imp. fratre: cuius tamẽ nulla apud veteres Romanarum rerum ſcriptores fit mentio. Quiſquis hic Granus fuerit, is Aquas iſtas, ſeu Balnea hodieque celeberrima primus inuenit; Carolus verò Magnus iterum detexit.

Ianuarij 29. die. Martyrol. Rom.

S. VALERIVS Treuerorum Epiſcopus.

FVit S. Petri Apoſtoli diſcipulus, & à Treuerenſibus, Tungrenſibus ac Colonienſibus inter primos Epiſcopos recenſetur. Chriſtophorum Brouuerum, Soc. Ieſu Theologum, conſule in Hiſtoria Treuerenſi, breui, vt ſpero edenda; & vide infra 8. Iulij & 8. Dec.

Januarij 30. die. Martyrol. Rom.

S. ALDEGVNDIS virgo, & Abbatiſſa Malbodienſis in Hannonia.

IN Melbodio eſt monaſterium puellarum, quod beata Chriſti virgo ALDEGVNDIS, ad opus ſuæ conuerſationis, ex proprijs prædijs ſtruxit, quodq; beatus *Autbertus* Cameracenſis Epiſcopus, multis viris religioſis ſecum adhibitis, dedicauit. Hæc nimirum virgo laudabilis, ſoror ſanctæ Waldetrudis, à beato Autberto do- *Vide 9. April.* ctrinata, velamen piæ religionis accepit, ibique, cum plurima turma ſororum, puræ vitæ innocentiam ducens, depoſita corporis gleba, cæleſti ſponſo, cum ardenti lampade, obuiam perrexit. Ita Baldericus lib. 2. cap. 36. in Chronico Cameracẽſi, qui an. 1070. floruit. *Maubeuge.*

Monaſterium iſtud puellarum, à S. Aldegunde fundatum, eſt hodie in Hannonia ad Sabim fl. illuſtre nobilium

lium virginum Canonicarum colle-gium Malbodienſe, ſeu Melbodienſe (vt medij æui ſcriptores nuncupant) quod fundatricis ſuæ ſacrum corpus etiamnum reuerenter adſeruat.

Parentes S. Aldegundi fuere *Gualbertus* & *Bertilia*, ex regali Francorum proſapia: quorum corpora in *Soræ*, qui vicus eſt Hannoniæ, an. 1619. per *Franciſcum Vander Burchium*, Archiepiſcopum & Ducem Cameracenſem, è terra ſunt eleuata.

Kalendis Februarij.

S. SIGEBERTVS, Galliæ & Auſtraſiæ Rex.

STruxit monaſteria duodecim in diuerſis regni ſui partibus, in his *Stabulẽſe* & *Malmundarienſe* in ſilua Arduenna, itemq; *S. Martini* cœnobium, iuxta Metas Lotharingiæ vrbem; in quo & ſepeliri voluit. Obijt autẽ an. Chriſti ſexcẽteſimo quinquageſimo ſeptimo, vt Baronius ſupputat. Vi-

tam & miracula ſcripſit Sigebertus Gemblacenſis in Brabantia monachus, exſtantque apud Surium.

Ceterùm an. 1552. ſæuiétibus bellis, cũ dicta S. Martini Abbatia eſſet diruta, corpus S. Sigeberti tranſlatũ eſt *Metas*, & inde poſtea *Nanceium* Lotharingiæ metropolim: vbi quieſcit capſæ argenteæ incluſum in primatiali Canonicorum baſilica, cuius fũdamenta anno milleſimo ſexceteſimo tertio *Carolus* III. Lotharingiæ Dux, eiuſque filius *Carolus* S.R.E. Cardinalis, poſuerũt. S. Martini verò Abbatiam Clemens VIII. Papa ſuppreſſit, eiuſque prædia nouo iſti collegio Nanceiano pro dote aſſignauit.

S. Evbertvs, ſiue Evgenivs Epiſcopus, Inſulenſium in Flandria patronus.

CHriſtianiſmi initia Tornacenſes, Inſulenſes, & alij vicini populi debent *S. Piato, S. Chryſolio,* & *S. Euberto* aliàs *Eugenio*: qui ex vrbe Roma miſſi

ſunt

ſunt ad prædicandum Euangeliũ per Galliam cum SS. Quintino, Lucio, Criſpino, Criſpiniano & alijs, imperãte Diocletiano. Ex his Piatus presbyter, alijs Epiſcopus, martyrio coronatus eſt circa an. 299. ſub eodẽ Diocletiano; & quieſcit Seclinij quod eſt Flandriæ municipium, in collegiatã Canonicorum ſui nominis baſilica. *Seclin.*

S. Chryſolius Epiſcopus, Piati ſocius, Cominij ad Liſam in Flandria pro Chriſto occubuit. *Comen.* *Comines*

S. Eubertus, ſiue Eugenius Epiſcopus, dictorũ martyrum ſocius, quieſcit Inſulis, Flãdrorum emporio, in illuſtri Canonicorum S. Petri eccleſia, quam Balduinus cognomento Inſulanus, Flãdriæ Comes an. 1066 fundauit. Coliturque non ſolùm Inſulis, ſed etiam Seclinij, ſeu Siclinij. Plura vide apud Ioannem Cognatum in Hiſtoria Tornacenſi. *Lille.* *Riiſſel.*

Februarij 3. die. Martyrol. Rom.

S. ANSCHARIVS, Bremenſis & Hamburgenſis Epiſcopus.

FVit is Danorum, Suecorũ, & aliorum populorum Septemtrionaliũ Apoſtolus. Inſtruxit idem Friſios ac Flãdros: & nominatim in Flãdria poſſedit monaſterium Thoroltanum, quod Ludouicus Pius Imp. viro Apoſtolico, inopia laborãti, in vitæ ſubſidium attribuerat. Eodẽ in loco puerum invenit, & educandum curauit *S. Rembertum*, ſuum in Epiſcopatu & Apoſtolatu ſucceſſorem.

Thorolt, nunc Canonicorum S. Petri collegium.

S. HADELINVS confeſſor, Viſetenſium patronus.

FVit *S. Remacli*, Leodicenſis Epiſcopi, diſcipulus, in monaſterio Stabulenſi. Multis ſæculis quieuit in eccleſia Cellenſi, quæ olim fuit vna ex Abbatijs S. Lamberti, ad Letiam flumẽ, ſeſ-

ſeſquimilliari à Dionanto opido, verſus Arduennam. Inde anno 1337. ab *Adulfo Marcano*, Leodicenſi Antiſtite, cum ſui nominis collegio Canonicorum tranſlatus eſt Viſetum, quod eſt opidum ad Moſam inter Leodicum & Traiectum. *Viſé.*

SS. Berlendis, Nona & Celſa, virgines.

Berlendis, temporibus Dagoberti Regis, patrem habuit *Odelardum*, matrem verò *Nonam*, S. Amandi Traiectenſis Epiſcopi ſororem. Poſt matris obitum, in monaſterio Morſelléſi, (de quo ſupra die 8. Ian. diximus) ſacrum velamen ſuſcepit; demum piè defuncta, Merbecæ in baſilica S. Petri ſepulta eſt, & triceſimo pòſt anno eleuata per *S. Aubertum* Cameracenſem Epiſcopum. Cum ea ibidem quieſcũt eleuatæ *Nona* & *Celſa*, virgines ſanctæ. Eſt autem *Merbeca* pagus Brabantiæ, in diœceſi Mechlinienſi, haud procul à Ninouia Flandriæ opido; vbi tres *Meerbeke.*

iſtæ virgines quieſcunt in parochiali ac collegiata ſeptem Sacellanorum eccleſia peruetuſta.

Februarij 4. die. Martyrol. Rom.

S. REMBERTVS Bremenſis in Germania Archiepiſcopus, natione Flander.

Thorhout. NAtus eſt *Thorolti* in Flandria: quẽ adhuc puerum *S. Anſcharius* in illius loci monaſterio inſtituẽdum curauit; inſtitutum verò comitem habuit, atque in Epiſcopatu ſucceſſorẽ. A Nicolao I. Papa pallium accepit, & anno 888. è vita exceſſit. Thorolti, in diœceſi Brugenſi, loco monaſterij, ſupereſt hodie Canonicorum *S. Petri* collegium.

S. GILBERTVS ſeu Guibertus, fundator Abbatiæ Gemblacenſis in Brabantia.

FVit ex antiqua Regum Auſtraſiæ proſapia; qui depoſito militiæ ſæcularis

cularis baltheo, hortante *Erluino*, viro pijſſimo, caſtrum ſuum Gemblacum *Giblou.* Deo & Apoſtolorum principi Petro obtulit, in eoque monaſteriũ an. 922. ſuo ære exſtruxit; Erluino ibidẽ primo Abbate conſtituto. Obijt autem Guibertus in *Gorzia* Lotharingiæ cœnobio, diœceſis Metenſis, X. Kal. Iunij an. 962. vt Sigebertus monachus Gemblacenſis in Chronico ſuo teſtatur; inde Gemblacum tranſlatus, & an. 1110. eleuatus, procurante eodem Sigeberto, qui & vitam S. Guiberti ſcripſit à Surio editam. Eſt autẽ Gẽblacum illuſtris Benedictinorum Abbatia, opido cognomini incluſa: quod opidum Arnulfus Abbas IX. mœnibus cinxit. Gaudetque Abbas titulo Comitis, & in publicis Ordinum Brabantiæ comitijs, primum inter Nobiles locum obtinet. *Gorze.*

Errant autem, qui S. Guiberto fũdatori Apologiam pro Seuero Sulpitio, quæ in Bibliotheca veterum Patrum exſtat, attribuunt, cùm ea ſit Guiberti, Abbatis Gemblacenſis, ætate poſterioris.

S. LIETPHARDVS Archiepiſcopus & martyr.

Tre-
canlt.
Hun-
court.

CVm Carduele Angliæ Rege Romam profectus, inde rediens apud *Trecaultium*, agri Atrebatenſis vicum, in nemore, circa an. 650. ab impijs eſt trucidatus. Quieuit multis ſæculis in Hunonis curia, quæ eſt Benedictinorum, in diœceſi Cameracenſi, Abbatia: cuius ſacrum corpus, vnà cum *SS. Valeriæ* & *Pollenæ*, ſororum eius, oſſibus, Quintinopolim Picardiæ opidum, bello ſæuiente, cùm eſſet tranſuectũ, ibidem in direptione vrbis an. 1558. perijt.

S. VVLGISVS, ſeu Vlgiſus, Epiſcopus & Abbas Laubienſis.

VTraque iſta dignitate præditus fuit, vt & ſacti eius anteceſſores, *Vrſmarus*, *Erminus*, & *Theodulfus*: cum quibus, & alijs, Laubio Binchium an. 1409. eſt tranſlatus. Vide infra 18. Aprilis.

Februa-

Februarij 5. die.

S.BERTVLPHVS confeſſor.

BErtulphus, patria Germanus, Renticam, diœceſis Morinenſis vicum, veniens, ibidem baptiſatus eſt, adhæſitque *VVamberto* Comiti, eiuſque cõiugi *Hombuſæ*, qui paulò antea monaſteriũ ibidem exſtruxerant. Romam cum eiſdem profectus, indeque redux viros multos religioſos Renticæ collegit, quibuſcum ſanctiſſimè vixit, & circa an. 680. pijſſimè in Domino obdormiuit. Sacra eius oſſa, propter excurſiones piratarum primò Bononiã, munitum Galliæ opidum ad Oceanũ, inde Harlebecam ab *Arnulfo Magno*, Flandiæ Marchione, ac demum Gandauum ad Blandinienſe cœnobium ſunt tranſportata. Eſt autem Rentica ſeu Rentiacum pagus gentis Croyæ, titulo Marchionatus celebris. *Rentij.*

S.ALEI-

S. ALEIDIS ſeu Adelheidis, virgo & Abbatiſſa Viliſcenſis, in dioeceſi Colonienſi, vbi & quieſcit.

De S. Megengoſo vide 19. Dec.

PAtrem habuit S. *Megengoſum* Geldriæ Comitem, & B. *Girbergam*, qui Vilicenſe monaſterium, haud procul à Bonna opido, veteri Romanorum colonia, ædificarunt, cui Adelheidis prima præfuit Abbatiſſa. Hinc Coloniam Agrippinam à S. *Heriberto* Archiepiſcopo euocata, ibidem *Bertradæ* ſorori ſuæ nuper defunctæ inuita ſufficitur in regimine monaſterij Capitolini: vbi & in Domino circa an. 1015. ſanctè obdormiuit. Sunt autem Vilicæ duo hodie collegia, vnum Canonicorum, alterum verò nobilium virginum Canonicarum, à S. Megengoſo, eiuſque vxore ampliter dotata. Capitolinum apud Colonienſes collegium, Deiparæ ſacrum, deſcribit Erardus Winhemius, in Sacrario Agrippinæ.

Februa-

Februarij 6. *die*. *Martyrol.Rom.*

S. VEDASTVS Atrebatenſis & Cameracenſis Epiſcopus.

INſtituit *Clodoueum* Galliæ Regem, Chriſtiq́ue ſacris imbutum adduxit Remos, ad *S. Remigium* Archiepiſcopum, ſalutaribus vndis anno 499. abluendum. Atrebatibus ab eodem Remigio, circa annum ſalutis 500. Epiſcopus datus, annis quadraginta laudatiſſimè præfuit, & anno circiter 540. viuere deſijt. Quieſcit Atrebati in ſui nominis monaſterio, cuius ipſe fundamenta ad ripam *Crientionis* riuuli iecit; quod poſtea S. AVBERTVS, in Epiſcopatu ſucceſſor ſeptimus, auxit, ac demum *Theodoricus* Galliæ Rex, ibidem cum *Doda* coniuge ſepultus, copioſiſſimè dotauit. Adeò quidem, vt Vedaſtina hodie Abbatia inter Belgicas opulétiſſima cenſeatur. Primus Abbas Vedaſtinus fuit *Hatta*, antea quartus Abbas Blandinienſis

niẽſis prope Gãdauũ: Hattæ ſucceſſit *S. Hadulfus*; de quo infra 19. Maij agemus. De ſocietate & origine quattuor Abbatiarum, apud Belgas, à multis retro ſæculis, exemptarum, videlicet
S. Vaaſt. *Vedaſtinæ*, *Blandinienſis*, *Bertinianæ*, &
S. Pierre *Laubienſis*, vide Origines noſtras Mo-
lez Gãt. naſticas lib. 2. cap. 27. typis Coloniæ
S. Ber- an. 1620. editas.
tin. l. ob. Cæterùm Vedaſtus in cathedrali Deiparæ baſilica Atrebatenſi, quam adiutante Clodoueo Rege conſtruxerat, cum beato Remigio, Clericos cõſtituit, quos poſteritas Canonicos vocauit: quibus idem Remigius villas
Ourton. duas *Orcos*, vel vt alij legunt, *Ortos*, &
Sonchè. *Sabucetum* attribuit. *Eccleſiæ Atrebatenſi, cui, Domino annuente, Vedaſtum fratrem meum cariſſimum Epiſcopum conſecraui, ex dono iam dicti Principis Clodouæi, villas duas in alimonijs Clericorum, deputaui,* Orcos *videlicet &* Sabucetum: *quibus etiã pro memoria nominis mei ſolidos viginti dari iubeo.* Sic ipſe Remigius loquitur in ſuo Teſtamento, quod Flodoardus lib. 1. Hiſtoriæ Remenſis cap. 18. & Barna-

Barnabas Briſſonius, Pręſes Pariſienſis, lib. 7. de Formulis & ſolemnibus populi Romani verbis recitant. Eiuſdem donationis meminit item Baldericus in Cameracenſi & Atrebatenſi Chronico.

S. AMANDVS Traiectenſis ad Moſam, & pòſt Argentoratenſis ad Rhenum Epiſcopus. *Martyrol. Rom.*

VIr fuit verè Apoſtolicus, qui non ſolùm apud Tungros atque Eburones, ſed etiam apud Brabantos, Flandros, Alſatios, Germanos, alioſque populos Chriſti doctrinam longè lateque diſſeminauit. *Antuerpiæ*, ad Scaldim fl. *in veteri burgo ſeu caſtro*, ecclesiam in honorem SS. Apoſtolorum Petri & Pauli conſtruxit, quæ totius vrbis eſt antiquiſſima: vt ex *Rohingi*, Antuerpienſium Principis, diplomate infra 7. Nouembris patebit. *Gandaui* ad Scaldis & Liſæ confluentem, opibus *S. Bauonis*, illuſtre monaſterium, *Borchkerck.*

(quod

(quod nunc eſt cathedrale Canonicorum collegium, ad vrbis interiora tranſlatum) itemque alterum in Blandinio monte, (quod eſt hodie opulẽta Benedictinorum S. Petri Abbatia) excitauit. *Trunciniy* in eadem vicinia, clericorum collegium (quod nunc eſt inſtituti Præmonſtratenſis Abbatia) & alterum *Rotnaci*, tertio lapide ab Aldenarda opido, inſtituit: quorum poſterius hodieque Canonicorũ eſt collegium, exinde à Ludouico Imperatore, Lotharij filio, amplè dotatum. In agro Namurcenſi ad Sabim fluuiũ, monialium cœnobium in honorem S. Petri conſtituit: quod nunc eſt nobilium virginum Canonicarũ XVII. & Canonicorum X. collegium *Monaſterienſe*.

Drongẽ. *Ronſſen.* *Monſtier.*

Eiuſdem hortatu, Itta ſeu Iduberga, Pipini I. Brabantiæ Ducis vidua, *Niuellenſe* nobilium pariter Canonicarũ collegium, & S. Rictrudis *Marchianenſe* monaſterium ad Scarpum fl. excitauit.

Niuelle. *Marchiẽnes.*

In Alſatia *Argentoratenſem* Epiſcopatum

Straſburg.

patum ad Rhenum condidit, fuitque primus illius vrbis Epiſcopus: vt Frāciſcus Guillimannus in hiſtoria Epiſcorum Argentinenſium docet. Romam profectus, *S. Martino* I. Papæ gratiſſimus exſtitit: cuius Epiſtola prolixa ad Amandum legitur apud Baronium, & in tomis Conciliorum. In Belgicam demum redux, & laboribus exhauſtus, tertio lapide à Tornaco, ad *Elnonem* riuulum in Pabula monaſterium, Chilperico Francorum Rege dotante, conſtruxit, quod inde olim Elnonenſe, hodie Amandinum dicitur, illuſtris monachorum Benedictinornm Abbatia, in qua ſacrum eius corpus quieſcit. Obijt ibidem anno Chriſti 661. ætatis 90. vt Sigebertus noſter in Chronico teſtatur. *S. Amā.*

Teſtamentum S. Amandi.

IN nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, ego Amandus miſerrimus & peccator. Credimus, vbiq; diuinam nos pietatem regere & clementer ſaluare velle, quia & ingreſſum

greſſum noſtrum in mundum & exitum de mundo, ante ſæcula ipſe prænoſcit. Proinde omnibus non habetur incognitum, qualiter nos longè latèq; per vniuerſas prouincias ſeu gentes, propter amorẽ Chriſti, ſeu verbũ Dei annũtiare, vel baptiſmũ tradere volẽtes diſcurſum habuimus: & nos de multis periculis pietas Dei eripuit, & vſque tempore iſto perducere dignata eſt. Sed dum iam corpore feſſo, & multis laboribus fatigato, iam in ſumma ſenectute penè corpore præmortuo exitum de hoc mundo in proximo habere ſperamus; & quia nos Deus in iſtum locellum, qui vocatur Elnonis, perducere dignatus eſt, quẽ ſuper largitate regia, proprio labore viſi fuimus cõſtruxiſſe; ſi nos ibi Deus de hoc mũdo decreuerit emigrare, peto & corã Chriſto Ieſu, filio Dei, coniurare præſumo, vt nulli Epiſcoporũ, vel Abbatum, ſeu ſæculariũ virorum, aut quibuſlibet poteſtatibus hoc contrarium ſit, vt corpuſculũ meũ, in ipſo monaſterio, quod ſuperiùs diximus, Elnone, inter illos fratres requieſcat, vbi iam nos ad ipſos fratres & corpore & anima cõmendauimus.

Et ſi in itinere, aut vbicumque finis noſter prouenerit, ad ipſum locum, quem ſuperiùs

riùs memorauimus, corpuſculum noſtrum licentiam habeant fratres vel Abbas de ipſo monaſterio Elnone ibidem reuocare. Si quis verò cõtradicere, aut de ipſo monaſterio corpus meũ per fortia abſtrahere, aut temerario ſpiritu contradicere voluerit, inprimitus S. Trinitatis offenſam incurrat, & ab omnibus eccleſijs Catholicis excommunicatus appareat, & à ſocietate Sanctorum extraneus efficiatur, & damnationem, quam Dathan & Abiron ſuſtinuerunt, quos infernus viuos abſorbuit, ipſe ſuſtineat, & ſit anathema maranatha) quod eſt perditio in aduentu Domini noſtri Ieſu Chriſti. Et nec ſic noſtrã voluntatem mutare valeat, ſed hæc deliberatio noſtra in perpetuo firma & inuiolata permaneat. Et vt certiùs credatis, manu propria ſubſcripſi, & omnibus hominibus Deum timentibus, vt ſubſcribant, ſupplicamus & rogamus. Quam epiſtolam fratri noſtro Baudemũdo, presbytero, fieri rogauimus. Hoc eſt, an. ſal. 621.

Facta epiſtola in monaſterio Elnone, anno ſecundo regni Theodorici Regis, ſub die decima quinta kalend. Maij.

Ego Amandus peccator hanc epiſtolam à me factam conſenſi & ſubſcripſi.

Ego in Chriſti nomine Reolus, ac ſi peccator, ſubſcripſi.

Ego in Chriſti nomine Mummolenus Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego in Chriſti nomine Vinditianus Epiſcopus, ac ſi peccator, hanc epiſtolam, rogante Domino Amando, conſenſi & ſubſcripſi.

Ego Bertinus Abbas ſubſcripſi.

Ego Ald:bertus Abbas ſubſcripſi.

Ego Ioannes, rogatus à Domino Amando conſentiens, hanc epiſtolam ſubſcripſi.

Ego Baudemundus peccator, iubente Domino meo Amando, hanc epiſtolam deliberationis ſuæ ſcripſi & ſubſcripſi.

Ex his, qui ſubſcripſerunt, S. Reolus ſeu Regulus fuit Archiepiſcopus Remenſis, & quieſcit in Orbacenſi monaſterio, à ſe fundato.

S. Mummolenus ſeu Mommolenus fuit Nouiomenſis ac Tornacenſis Epiſcopus: de quo vide infra 16. Oct.

S. Vindicianus fuit Cameracenſis & Atrebatenſis Epiſcopus: de quo infra 11. Martij.

S. Bertinus fuit Abbas & fundator monaſterij Sithienſis, quod Bertinenſe nunc

ſe nunc dicitur: de quo infra 5. Sept.

Baudemundus fuit tertius Abbas Blandinienſis, & ab ipſo, quantùm conijcio, ſcripta eſt vita S. Amandi, quam Surius publicauit. Errant enim qui *Miloni Elnonenſi* eam adſcribunt; quòd auctor narret ſe à Bono presbytero, qui Amandum Tornaci vidit, nonnulla accepiſſe. Milo autem longè poſterior ætate fuit, vtpote qui Caroli Calui temporibus vixit, & an. 872. obijt. Vita porrò S. Amandi, per Milonem verſu heroico conſcripta, exſtat ms. apud Elnonenſes, vt & hiſtoria Deportationis ac miraculorum eiuſdem, auctore *Gilleberto* Decano.

Res à S. Amando geſtas pariter ſcripſit *Vtho*, Argentoratenſis Epiſcopus, qui an. 965. obijt, teſte Guil. Eiſengrenio; itemque *Philippus Haruengius*, cognomento *Eleemoſynarius*, Abbas Bonæ Spei, ex ordine Præmonſtratenſi, vir diſertiſſimus, & S. Bernardo Clareuallenſi familiaris; cuius opera omnia anno 1620. Duaci ſunt excuſa.

S. CHRYSOLIVS, ſeu Chryſolus, Epiſcopus & martyr.

PRædicandi Euangelij cauſſa, in Belgicam venit, cũ *SS. Piato*, & *Euberto*: de quibus ſupra 1. Febr. diximus. Quieſcit Cominij in Canonicorum D. Virginis templo: vnde pars oſſium tranſlata eſt Brugas ad cathedralem S. Donatiani baſilicam. Eſt autem Cominium, Flandriæ municipium, cum arce eximia, ad Liſam fl. ſitum, patria *Philippi Cominæi*, laudatiſſimi Hiſtoriographi. *Comen. Comines.*

S. AMOLVINVS Epiſcopus & Abbas Laubienſis.

QVieſcit Binchij, in Hannonia, eò tranſlatus an. 1409. ex vicina Laubienſi Abbatia, vnà cum Canonicorum collegio, quod Laubijs olim in baſilica parœciali reſedit. Vide infra 18. April. *Bins. Lob.*

Februarij 8. *die*.

S. NICETIVS Archiepiſcopus Veſontinus XXII.

FVit S. Gregorij Magni Papæ æqualis, & *S. Columbanum*, Luxouio pulſum, circa an. 620. Veſontione excepit. Quieſcit in æde S. Petri Veſontionenſis, nondum effoſſus. Natalis eius 8. Februarij, in diœceſi Biſontina, feſta celebritate recolitur: vt Io. Iacobus Chiffletius, in Hiſtoria Veſontina, an. 1618. Lugduni edita, tradit. Errant qui eum cum *S. Nicetio Treuerenſi* confundunt, quòd is Veſontino ſit antiquior: vt infra 5. Dec. oſtendam.

S. MENGOLDVS, ſiue Maingoldus, martyr, Dux & patronus Huienſis.

Huy. HVjum ditionis Leodicẽſis inſigne eſt opidum, ad Moſæ & Huij cõfluentem, medio fere itinere inter Leodicum

Leodicum & Namurcum, loco amæniſſimo ſitum. Arcem habet in edito loco munitam, quam Erardus Marcanus, Card. & Epiſcopus Leodicenſis, inſtaurauit, & mirificè auxit. Corn. Tacitus lib. 13. Annalium mirabile quid narrat, quod ad hoc opidum videtur referendum: *Ciuitas* (inquit) *Iuhonum, ſocia Romanis, malo improuiſo afflicta eſt. Nam ignes terra editi, villas, arua, vicos, paßim corripiebant; ferrebanturq́, in ipſa nuper conditæ coloniæ mœnia; neque extingui poterant; non ſi imbres caderent, non ſi fluuialibus aquis, aut quo alio humore niterentur. Donec inopia remedij, & ira cladis agreſtes quidam eminùs ſaxa iacere, dein reſidentibus flammis propiùs ſuggreßi, ictu fuſtium alijſq́, verberibus, vt feras abſterrebant. Poſtremo tegmina corpori direpta inijciunt, quantò magis profana & vſu polluta, tantò magis oppreſſura ignes.* Hæc ibi de Romanorum colonia *Iuhono*; cuius loco *Huionum* legunt, exigua litterarum transpoſitione, Io. Goropius Becanus & Steph. Pighius, & *Huiũ* interpretãtur; fauente inſuper genio loci, in quo

vt & alibi paſſim per agrum Leodicē-
ſem, ſulphureus carbo, qui ignem eius
Houil-les. indolis aptiſſimè concipit, etiamnum
effoditur: vulgus *Houilles* vocat.

. Ceterùm Mengoldus patré habuit *Hugonem* Angliæ Regem, ſororium *Oſualdum*, martyrem & Regem Nort-Humbrorum, auunculum verò *Arnulfum* Cæſarem: qui vxorem illi dedit *Geilam*, Guilielmi Hannoniæ Comitis viduam, territorio Huienſi pro dote addito. Quieſcit Huij in collegiata Canonicorum eccleſia, eo loci ab impijs interfectus.

Februarij 9. die. Martyrol. Rom.

S. ANSBERTVS Rotomagenſis in Normannia Epiſcopus.

SVcceſſit S. Audoëno in Epiſcopatu Rotomagenſi, & à Pipino Principe in exilium pulſus, demum in *Alto-Monte*, Benedictinorum Abbatia ad Sabim fl. apud Hannones ſita, an. 695. viuere deſijt. Poſt mortem, vti iuſſerat,

Hault-mont. Omont.

rat, relatus eſt Fontanellam, quod eſt monaſterium diœceſis Rotomagenſis ad Sequanam fluuium, cuius loci Abbas fuerat ante Epiſcopatum. Vnde poſtea, cum corporibus SS. *VVandregiſili* & *Vulframni*, ob perſecutionem Normannicam, primò Boloniam ad mare, deinde Gandauum ad montem Blandinium anno 944. eſt deuectum. Vitam eius ſcripſit *Angradus*, monachus Fontanellenſis, ad Hilbertũ Abbatem ſuum, proximum Ansberti in Fontanella ſucceſſorem. Exſtat apud Surium, ſed omiſſa Præfatione, vt aliæ multæ Sanctorum hiſtoriæ. *S. Vandril.*

Februarij 10. *die. Martyrol. Rom.*

S. AVSTREBERTA virgo, & Abbatiſſa Pauliacenſis.

AVSTREBERTA in territorio Teruanenſi nata, ab illius vrbis Epiſcopo S. *Audomaro* velamen ſacrum accepit. Pòſt ob ſanctitatis famam, à S. *Philiberto* Gemeticenſi Abbate conſti-

tuta

tuta eſt prima Abbatiſſa *Pauliaci* monaſterij, nuper à viro opulento *Amelberto* exſtructi: vbi & obijt anno circiter ſexcenteſimo octogeſimo.

Pauliacum, vulgò *Pauilley*, nunc eſt Prioratus Benedictinorum, quarto milliari à Rotomago Normaniæ metropoli, olim virginum monaſterium.

S. GVILIELMVS Aquitaniæ Dux.
Martyrol. Rom.

STetit is primùm pro Anacleto Antipapa contra Innocentium II. Papam; quem errantem S. Bernardus Claræ-Vallis Abbas ad Eccleſiæ Catholicæ communionem poſtea reduxit. Varijs peregrinationibus piè peractis, demum in *Stabulo Rhodis*, in diœceſi Groſſetana, an. XI. 1157. in Domino obdormiuit. Vitæ hiſtoria, annorum ſerie per me diſtincta, exſtat l. 2. cap. 16. Originum noſtrarum Monaſticarum, falſis relationibus reiectis. S. Guilielmi oſſa, argenteo ſimulacro, affabrè elaborato, incluſa adſer-

uãtur Antuerpiæ in auguſtiſſima Soc. Ieſu baſilica, ex candido marmore, quod, procurante R. P. Carolo Scribanio, ex Liguria, per fretum Herculeum, in Belgicam eſt aduectum.

S. PROTADIVS Biſontinus Archiepiſcopus XXIII.

FLoruit Clotharij Francorum Regis temporibus, & quieſcit apud Veſontinos in vetuſta S. Petri eccleſia, capſæ argenteæ incluſus. Obijt autem an. *626.* & ſucceſſorem habuit *S. Claudium*, infra à nobis laudandum. Protadio in Biſontina diœceſi ſacra eſt dies Februarij decima, qua ad cœlos euolauit: vt Chiffletius in ſua Veſontione commemorat.

S. SVRA, ſeu Soter, virgo Dordracena.

CLaruit anno circiter 1300. Dordraci, quæ Hollandiæ vrbs eſt antiquiſſima. Huius virginis ac ciuis ſuę me-

meminit Guilielmus Lindanus, primùm Ruremundenſis, pòſt Gandenſis Epiſcopus, cap. 50. Apologetici ad Germanos.

Februarij 13. *die. Martyrol. Rom.*

S. GREGORIVS II. Papa, Germaniæ ſuperioris & inferioris Apoſtolus.

IVre hîc nobis commemorandus eſt optimus Pontifex Gregorius eo nomine Secundus, qui, vt Bedæ verbis vtar, *in Germania per Bonifacium Epiſcopum verbum ſalutis prædicauit*: in Germania, inquam, tam ſuperiore quàm noſtra inferiore, & nominatim in Friſia ac Batauia. Ex hac vita ad meliorem an. 731. migrauit. De rebus ab eo geſtis per S. Bonifacium, Moguntinum & Vltraiectinum Archiepiſcopum, fusè Baronius Annali 9. & nos infra 5. Iunij.

Februa-

Februarij 16. die. Martyrol. Rom.

S. IVLIANA virgo & martyr Nicodemienſis, Bruxellæ celebris.

SVb Maximiano Imperatore, Nicodemiæ primùm à patre ſuo Africano grauiter cæſa, deinde ab Euilaſio Præfecto, cui nubere recuſarat, variè excruciata eſt; poſtmodum in carcerẽ detruſa palam cum diabolo conflixit: demum flammas ignium & ollam feruentem ſuperans, capitis decollatione martyrium conſummauit: vt in Faſtis Romanis legitur. Sacrorum eius oſſium, in Italiam tranſlatorum, meminit Gregorius Magnus lib. 7. epiſt. 84. & 85. ad Fortunatum Epiſcopũ Neapolitanum. Pars reliquiarum eiuſdem Bruxellæ ad D. Virginis in Sabulo, vt vocant, magno cum honore adſeruatur.

Februa-

Februarij 17. die. Martyrol. Rom.

S. Siluinus Epiſcopus Toloſanus.

S. Siluinus apud Morinos miranda enituit ſanctitate, & ſpirituum immundorum eiectione: quo fit, vt ab Vſuardo, & alijs nonnullis, Epiſcopus Teruanenſis ſeu Morinenſis nuncupetur. Obijt apud Arteſios in Alciaco, eiuſdem Morinenſis olim, nunc Bolonienſis diœceſis cœnobio Benedictinorum an. ſeptingenteſimo decimo quinto: inde ſub Arnulpho Magno, Flandriæ Comite, tranſlatus Audomaropolim, ad monaſteriũ Bertinianum, vbi in magna eſt veneratione. Solet autem Abbas olim Alciacenſis adſumi ex numero monachorũ Bertinenſium, iuxta Innocentij III. Reſcriptum, quod exſtat lib. 5. Decretalium. Alciaci meminit & Bernardus Abbas Clarevallenſis epiſt. 350.

Auchij les moynes.

B. Be-

B. BONIFACIVS, Epiſcopus Lauſanenſis, apud Heluetios.

FVit is ciuis Bruxellenſis, & Doctor Theologus Pariſienſis. Decennio in Epiſcopatu exacto, miſſionem à Papa petijt: qua obtenta, in patriã redijt, & quieſcit in *Camera B. Mariæ*, quod eſt virginum cœnobium, ord. Ciſtercienſis, haut procul à Bruxella, circa an. 200. fundatum. Leuatus eſt è terra an. 1600. & arcæ ligneæ decẽter incluſus. De qua eleuatione exſtat diploma *Matthiæ Houij*, Mechlinienſis Archiepiſcopi, an. 1603. datum: Cameren.

Matthias Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopus Mechlinienſis. Lecta diligenter informatione, facta iuſſu noſtro, diuerſis diebus anni ſuperioris, per venerabilẽ Dominum Petrũ Vinck, & Magiſtrum Philippum Van Asbroeck, Secretarium Capituli S. Gudilæ, multis teſtibus fide dignis auditis ad hanc rem, qui declararunt ſe comperiſſe, quòd oſſa, ab hinc ferè duobus annis inuenta & effoſſa, ſub fracta tumba, in templo mona-

ſterij de Camera iuxta Bruxellam, ſunt corpus felicis memoriæ Bonifacij, Epiſcopi Lauſanenſis olim ibidem magna reuerentia, & deuota inuocatione, & luminaribus & alijs honorati & ornati. Qua de cauſſa nos his litteris aſſentimur, vt prædictum corpus in poſterum eleuatum maneat, & tamquam venerabilis & beati viri honoretur, ornetur, & deuotè viſitetur ab omnibus Chriſti fidelibus & deuotis perſonis: non tamen honorem admittimus ei fieri qui canonizato proprius eſt. Aſſentimur etiam, vt de his litteræ conuenientes fiant. In teſtimonium veritatis, hanc noſtram declarationem ſubſignauimus, & ſigillo noſtro muniuimus, viceſimo quinto die Februarij, anno Domini milleſimo ſexcenteſimo tertio.

Ceterùm Ioannes Dorotheus, Epiſcopus Lauſanenſis, in Statu Lauſanenſis Epiſcopatus, anno 1605. ad Paulum V. Papam tranſmiſſo, *Protaſium, Maxium* & *Bonifacium*, ſuos in Epiſcopatu anteceſſores, vocat Sãctos, & dicit eos religiosè per totam diœceſim coli. Ex his tamen *Bonifacius*, qui prope Bruxellam in Camera B. Mariæ,

Mariæ, quieſcit, è terra an. 1600. eleuatus, vt dixi, Officio eccleſiaſtico nõ colitur à Belgis vt Sanctus. In magna tamen veneratione habetur, vt Beatus.

Eodem in cœnobio an. 1250. obijt B. ALEIDIS SCAREBECANA monialis, leproſa, cuius merita & miracula leguntur in Rubræ Vallis monaſterio, apud Ioãnem Gillemanum in Hagiologo Brabantiæ. *B. Aleidis Scarebeccana.*

Februarij 20. die. Martyrol. Rom.

S. ELEVTHERIVS Epiſcopus Tornacenſis.

PRimus Neruiorum, ſeu Tornacẽſium Epiſcopus (de quo ſaltem cõſtet certò) fuit *Superior*, qui Sardicenſi & Agrippinenſi concilijs interfuit. Superiorem ſecutus eſt *Theodorus*, qui Blandinij, haut procul à Tornaco, reſedit. Theodorum excepit *S. Eleutherius*, nobili familia Tornaci natus, qui annis ampliùs quadraginta laudatiſſi-

mè præfuit, & circa an. 523. in Domino obdormiuit. Res ab eo geſtas ſcripſerunt *Henricus Gandauenſis*, ex Doctore Sorbonico Canonicus Tornacenſis & *Guibertus Tornacenſis*, ex ordine Minorum Doctor Theologus: ex quibus, & alijs mss. monumentis, eiuſdem vitæ hiſtoriam *Dionyſius Villerius*, Cancellarius Tornacenſis, concinnauit & Duaci an. 1591. cum Officijs proprijs SS. patronorum Eccleſiæ Tornacenſis, publicauit.

Eleutherio vita functo ſuffectus eſt *S. Medardus*, Nouiomenſis Epiſcopus, qui Tornacenſem & Nouiomenſem Eccleſias coniunxit. Idem ex vrbe Veromanduorum, per Vandalos deſtructa, cathedram Epiſcopalē trāſtulit Nouiomum ſeu Nouiomagum, Picardiæ opidum. Medardo ex ordine ſucceſſerunt, *Auguſtinus*, *Gondulphus*, *Chraſmarus*, cui Chilpericus Galliæ Rex telonium fiſci Tornacenſis dono dedit, *Ebrulfus*, S. *Acharius* ſeu *Aicharius*, S. *Eligius*, S. *Mommolenus*, & alij: de quibus vide Ioannis Cognati hiſtoriam Tornacenſem nuper editam.

De B. Mariæ collegio cathedrali Tornacenſi.

CAthedralis baſilicæ Tornacenſis fundamenta prima poſuit *S. Piatus* presbyter, vel vt alij volunt, Epiſcopus; Eleutherio viro diuite ac potente, fundum donante. Venit autem S. Piatus ex vrbe Roma in Galliã, cum *S.* Quintino, prædicandi Euangelij cauſſa, Diocletiani & Maximiniani Impp. temporibus, eſtque martyrio coronatus Tornaci an. circiter ducẽteſimo nonageſimo nono.

Temporibus Clodouei, primi Frãcorum Regis Chriſtiani, illã baſilicã *S. Eleutherius* Tornacenſis Epiſcopus auxit, & in ea, præſente Clodoueo, ſacra munia peregit.

Dotem ampliſſimam Chraſmaro Epiſcopo & Canonicis *Chilpericus* Frãcorum Rex attribuit, in memoriam beneficij à Tornacenſibus accepti. Nã Sigeberto Auſtraſiæ Rege, contra Chilpericum fratrem, Pariſiorum Re-

gem, bellum mouente, Chilpericus Tornacum fugiens, à clero ac populo humaniſſimè excipitur. Fugientem Sigebertus Tornacum vſque perſequitur, & an. quingenteſimo ſeptuageſimo octauo vrbem, & in ea Chilpericum, cum vxore Fredegunde, obſidet. Sicarijs duobus à Fredegunde
Vitry. clam Tornaco emiſſis, in Victoriaco Arteſiæ pago, ſecundo lapide à Dua-
Lambre co, Sigebertus occiditur, & Lambris, haut procul à muris opidi Duacenſis, ſepelitur, inde poſtea Sueſſiones ad S. Medardi monaſterium tranſuectus.

Chilpericus obſidione, per fratris necem, liberatus, *Chraſmaro* Tornacẽſi ac Nouiomenſi Epiſcopo fiſcum regium vrbis Tornacenſis attribuit, & alia multa beneficia illi Eccleſiæ contulit. De quibus audire libet Herimãnum, Abbatem S. Martini Tornacẽſis, qui an. milleſimo centeſimo viceſimo ſeptimo librum ſcripſit de ſui monaſterij inſtauratione, exſtatque manuſcriptus, ibidem: *Chilpericus fratrẽ ſuum in vico, qui dicitur Lambris, iuxta Duacum ſepe-*

ſepeliuit, ciuibus Tornacenſibus gratias reddidit, eccleſiæ B. Mariæ Virginis multa beneficia contulit: pro ſalute ſuæ animæ & fratris ſui (qui improuiſè interemptus fuerat) iura ſua regalia, quæ in eadē ciuitate poſsidebat, inter Epiſcopum & clerum diſtribuit: Epiſcopo delegauit monetam ciuitatis; mairiam, de qua fermentantur cereuiſiæ, iuſtitiam, diſtrictum, aduocationem hominum beatæ Mariæ, & Winagia plauſtrorum & vehiculorum, quæ venalia in ciuitatem adferunt. Clero verò tribuit telonium, pontinagium, vt ex eorum reditibus veſtimentorum ſuorum neceſſaria compararent: & vt victum copioſè & ſufficienter haberent, omnem terram, quæ iacet inter duos fluuiolos, Ries *ſcilicet &* Mairam, *eorum ditioni ſubdidit, vt ex eius agricultura abſque penuria ſuſtentarentur; cunctaq; molendina, quæ tunc erant in Scalda, eis ſuperaddidit; ſex ex his Epiſcopo reſeruatis, cum quinque quadrigis terræ. Foragia vero camporum & reditus vaſorum vini inter vtroſque æquis partibus diuiſit.* Hactenus Herimannus.

Diploma Chilperici Regis Francorum.

IN nomine omnipotentis Dei & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti Chilpericus diuina præueniente clementia Rex Francorum. Quantò alios regia celſitudine præcellimus, tantò Chriſtum hónorare & eius Eccleſiam impēſiùs volumus. Et in Chriſti repenſionibus ſacerdotum & Pontificum, vel ſeruorum Dei, quæ pro eorum vtilitatibus pertinent, libēter præſtamus vel concedimus, & hoc nobis ad laudem vel ſtabilitatem regni noſtri, in Dei nomine, pertinere confidimus. Idcirco noſcat fidelium humilitas vel magnitudo, quod nos Apoſtolico viro Domno Chraſmaro, *Nouiomagenſis vel Tornacēnſis vrbis Epiſcopo, telonium de nauibus ſuper fluuio Scalt, qui pertinet ad fiſcum Tornacum, vel quolibet commercio, ſeu & de cariagio vel de ſagenis nec non de ponte ſuper fluuio Scalt, vel de omnibus vænalibus, vbicumque vendantur &c. vndecumque telonius exigitur, ſicut fiſcus noſter & regia poteſtas vendicare poteſt, imò & iuſtitiam de ipſo telonio, in ſtipēdijs Canonicorum &c. noſtra gratia plenè viſi*

ſumus

ſumus conceſſiſſe. Quapropter per hoc præceptum ſpecialius decernimus pro donãdo, quod perpetualiter circa ipſum Dominum Chraſmarum *Pontificem, vel ipſius ſanctæ eccleſiæ Tornacenſis ſucceſſoribus ſuis pro tempore volumus eſſe conceſſum. Datum Bibrax, Chilperici anno primo, Indictione XIII. in Dei nomine feliciter, amen.*

Manſit autem Eccleſia Tornacenſis cum Nouiomenſi vnita, uſque ad tempora S. Bernardi Abbatis Clareuallẽſis, qui proprium Tornacẽſibus Epiſcopum, nomine *Anſelmum*, an. 1147. aut 1149, ab Eugenio III. Papa, ſuo olim diſcipulo, impetrauit.

S. EVCHERIVS Epiſcopus Aurelianenſis.

S. Eucherius Epiſcopus in Gallia Aurelianenſis, à Carolo Martello in exilium miſſus, magna morum integritate vixit, ac demum obijt decimo exilij ſui anno in monaſterio *S.* Trudonis, quæ hodie potens eſt Abbatia Benedictinorum, eiuſdem nominis *S. Trou*

minis opido incluſa, in diœceſi Leodicēſi. Obijt autem anno Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo tertio: vt in Annalibus Eccleſiæ Aurelianenſis probat Carolus Sauſſeius, contra Baronium & Molanum aliter ſentientes. Vitam eius ſcripſi Gerardus Moringus, Theologus Louanienſis, & ſacrarum litterarum apud Trudonenſes profeſſor, idemque Sauſſeius lib. 5. Annalium Aurelianenſium, quos an. 1615. Pariſijs euulgauit.

Februarij 21. die.

B. PIPINVS Landenſis, quem primum Brabantiæ Ducem nuncupant.

FRanci, gens Germanica, exemplo Gothorum ac Vandalorum, patria populariter egreſſi, Rhenanum tractum circa annum ſalutis 400. occuparunt. Exinde *Pharamundum*, Marcomiri Ducis filium, more aliarum gen-
Reges Fracorum. tium, an. 419. ſibi Regem crearunt. Suc-

Succeſſor eius *Clodio* Moſam fl. tranſgreſſus, Tungros, Taxandros, Neruios ſeu Tornacenſes & Cameracenſes ſuo imperio ſubdidit. Poſt eum *Meroueus*, deinde *Childericus* regnauit. Childerico *Clodoueus* eſt ſuffectus, regno vſque ad Pyrenæos montes prorogato, & Chriſti religione ſuſcepta clarus. Gregorius Turonenſis in Hiſtoria Francorum lib. 2. cap. 31. narrat Clodoueo ad fontem vitalem ingreſſo, S. Remigium Remenſem Archiepiſcopum dixiſſe, *Clodoueus fuit Sycãber.*

Depone mitis colla Sycamber.

Ex quo datur intelligi, primum hũc Francorum Regem Chriſtianũm ortu aut origine Geldrum fuiſſe. Qui enim hodie Geldri, olim Sycambri ſunt dicti: vt ex Sidonij Apollinaris epigrammate ad Maiorianum conſtat, in quo inter alia dicitur,

Detonſus Vahalim bibat Sycamber.

Huc etiam facit quod Hincmarus narrat, Sycambros, ſub Clodione & Meroueo Regibus, Tornacum, Camera-

meracum, aliaſque Galliæ Belgicæ partes occupaſſe.

Clodoueo an. 514. defúcto, diuiſa in quattuor filios, *Clotharium, Theodericum, Clodomirum & Childebertum* regna Francorum: quæ fratribus, eorumque liberis varia ſorte ſublatis, vni demum Clothario ceſſere. Clodomirus & Childebertus ſine liberis obierunt, hic morte naturali, ille ferro Gundemari Burgundiæ Regis ſublatus: Theodoricus verò Metenſium Rex defunctus *Theudibertum* regni ſucceſſorem reliquit: ſub quo *Sigebertum* Francum, Genebaldi Ducis filium, virum natalibus ſplendidiſſimis ortum, Auſtraſię palatij Maiorem fuiſſe tradunt. Wolfgangus Lazius, & Ioannes Trithemius, hanc eius genealogiam memorant: *Huno, Diocles, Meroueus, Leontius, Heribertus, Priamus, Sigibertus:* ijdem *Anſbertum* ex Hugobaldo fratre nepotem, *Carolomannum* verò filium Sigeberti faciunt, quem vulgares Brabantiæ noſtræ Chronographi à *Brabone*, Anſegiſili neſcio cuius filio, prognatum

Carolomannus.

tum narrāt ſeu fabulantur. Ansbefto vxor data fuit *Blithildis*, Clotharij ſupra laudati Regi filia, cum amplo Ducatu in extrema Auſtraſia, qui *Andouerpos*, gentem ea tempeſtate celebrem, complectebatur.

Quidquid ſit de Carolomanni & Ansberti proſapia, id conſtat *Carolomannum* palatij Auſtraſiæ Maiorem fuiſſe ſub Clothario, Clodouei filio, ad quem regni Francici monarchiam, ſublatis fratribus, perueniſſe diximus. Addunt noſtrates Chronographi, ipſum plerumque *Landini* ſeu *Landæ* in Haſbania (quod nunc tenue ac vetuſtiſſimum Brabantiæ opidulum eſt) commoratum, & annno circiter 615. defunctum fuiſſe, relictis liberis *Pipino* & *Amelberga*. Hæc ex viro nobili *VValbertum* peperit, Walbertus Caſtriloci Comes ex Valtiſia *VValdetrudim*, *Aldegundim* & *Amelbergam* genuit. Waldetrudis ex Vincentio Madelgario, Sonegiarum & Altimontis Comite, *Landricum* Meldenſem in Gallia Epiſcopum, *Dentlinum*, *Madelbertam* & *Alde-*

Lāden.

Amelberga.

Aldetrudim. Amelberga verò, huius ſoror, ex Witgero, *Emebertum* ſeu *Ablebertum* Cameracenſem Epiſcopum, *Venantium, Gudilam*, *Rainildem* ac *Pharaildim* peperit: vt rerum noſtratium ſcriptores referunt.

In Ansberti progenie concinnanda Francorum Annales cum noſtris conſonant. Is ex Blithilde ſeu Pluithilda, Clotharij Regis filia, *Arnoldum* genuit, & paruam in Auſtraſia regionem poſſedit, vbi nunc eſt Antuerpia: id tamen incertum, an Marchionis titulo. Arnoldus ex Oda, Pluithildæ ſorore, *S. Arnulfum* Metenſem Epiſcopum, Pipini æqualem, genuit.

B. Pipinus Lãdenſis. *Pipinus*, cognomento *Landenſis*, (quòd eius opidi habitatione delectaretur Carolomanno prognatus, *Ittam* ſeu *Idubergam*, Ruotbaldi Treuerenſis Archiepiſcopi ſororem, filiam verò Aquitaniæ Ducis, habuit vxorem: vnde *Grimoaldus, Begga Andennenſis*, ac *Gertrudis Niuellenſis* prodierunt.

Pipinus ipſe, Maior domus regiæ, à Clo-

à Clothario II. Francorum Rege, vnà cum S. Arnulfo, rector iuuentutis Dagoberti filij eſt conſtitutus, atque Auſtraſiæ præfectus. Eidem, ac Cuniberto Epiſcopo Colonienſi, Dagobertus poſtea Sigebertum filium, Auſtraſiæ Regem creatum, commiſit. Pipinus itaq; cùm annos 32. rebus Auſtraſianis præfuiſſet, anno circiter 647. vita exceſſit: quieſcitque Niuellis in capſa portatili, quæ diebus Rogationum quotannis à Clero circumferri ſolet, ſicut & capſa *Idubergæ* cõiugis, ac tertia *S. Gertrudis*. Iduberga namque marito defuncto, hortatu S. Amandi Traiectenſis Epiſcopi, *Niuellenſe* monaſterium fundauit, eique filiam Gertrudim præfecit: vt Sigebertus in Chronico teſtatur, & nos latiùs infra 6. Martij dicemus. *B. Iduberga.*

Arnulfus, ſpreto palatio, cùm ex Doda *Cloduſum, Valtiſium* & *Anſegiſum* genuiſſet, in Arduennæ receſſibus vitam ſolitariam duxit; è quibus extractus, Eccleſiæ Metenſis rector datur: quam dignitatem, ſolitudinis amore, *S. Arnulfus E. Metenſis.*

poſtea

poſtea reliquit, & an. 640. obijt, *Clodulfo* filio in Epiſcopatu ſucceſſore.

S. Doda. Par Dodæ religio: nam Treueris incluſa vitam ſanctiſſimè peregit. De ſingulis infra dicam ſuis locis.

S. Arnulfus Metenſis, 18. Iulij. Arnulfi Metenſis Epiſcopi Genealogia, ex vetuſta membrana Metenſi deſcripta, exſtat apud Petrum Pithæū in Scriptoribus XII. coætaneis hiſtoriæ Francorum.

Grimoaldus Brab. Dux II. Grimoaldus, Pipini apud Sigibertum ſucceſſor, Regi auctor exſtitit, vt XII. cœnobia (in his Stabuletum & Malmundarium) in Auſtria conderet; gratus adeò Regi, vt filium eius Hildebertum in ſpem regni adoptaret. Vnde in faſtum elatus, cùm, pòſt adoptionem, Regi filius *Dagobertus* natus eſſet, metu ne Hildeberto regnum auferretur, Sigebertum veneno exſtinxit, & Dagoberto in Scotiam vel Hiberniam miſſo attonſoque, filium regno impoſuit. Qua rei indignitate commoti Auſtraſiæ proceres, Hildeberto interfecto, Grimoaldum captum Clodouco, fratri Sigeberti

Dagobertus ablegatus in Scotiā.

Lutetiæ

Lutetiæ regnanti, miſerũt; à quo carceri perpetuo incluſus, miſerè vitam finijt, Hilderico, Clodouei filio, circa annum 655. Auſtraſijs Rege dato.

Anſegiſus Brab. Dux III. Grimoaldo in Ducatu ſucceſſit *Anſegiſus*, Beggæ ſororis eius maritus, in palatio autem *Vulfradus*. Anſegiſi meminit Paulus Diaconus lib. 8. hiſtoriæ Eutropio additæ: *Hoc* (inquit) *tempore apud Gallias in regno Francorum Anchis, Arnulfi filius, qui de nomine Anchiſæ Troiani creditur appellatus, ſub nomine Maioris domus, gerebat principatum.* Vnde liquet à multis retrò ſæculis creditum, Frãcos à Troianis originem ducere. Qua de re viderint alij.

Pipinus Heriſtallius Brab. Dux IV. Anſegiſus ſeu Anſegiſilus, S. Arnulfi ex Doda filius, genuit ex S. Begga *Pipinum* II. cognomento *Heriſtalliũ*: qui ſulbatis in Francia tyrannis, Maioris munus potentiſſimè adminiſtrauit. Alemanos, Baioarios, Saxoneſq; domuit, Friſios Vltraiecto eiecit, eãque vrbem S. *VVillibrordo*, ad ſe ex Britannia venienti, attribuit: vnde illius Epiſcopatus initia. Religione tamen

Alpais. ac virtute clarum libido ſubuertit: *Alpaidem* namq́ue, nobilem ex Romanduis (Gallo-Brabantiam hodie vocãt) virginẽ *Plictrudi* cõiugi ſuperinduxit, tanto in eam amore, vt Dodo frater pellicis, hoc fretus, S. Lambertum Tungrenſem Epiſcopum, adulterij increpatorem, Leodici orantem necarit.

Cæterùm Pipinus & Alpais, Dodonis diuinitus icti ſupplicio perculſi, crimen longa pœnitentia eluerunt: *Orp.* Alpais quidem Orpij in Gallo-Brabantia puellarum monaſteriũ ſtruxit, in quo & pœnitentiam egit: cuius ibidem tumulus & oſſa annis ſuperioribus ſunt detecta. Erat Pipino in *Herſtal.* delicijs locus, quem Heriſtallum vocant, ad Moſæ fl. ripam haud procul Leodico, vbi palatium ſtruxit; indeq́ue illi cognomẽ *Heriſtallij* adhæſit. Obijt an. 714. Iupiliæ, qui vicus ad Moſam non procul Leodico pariter viſitur, relicto *Carolus Martel.* *Carolo Martello* ex Alpaide ſpurio. Huius filius fuit *Pipinus*, cognomento & *Pipinus Breuis.* ſtatura *Breuis*, qui à Francis ad regnum *Carolus Magnus* euectus, filium habuit *Carolum Magnũ* Impe-

Imperatorem, ſuprà 28. Ianuarij à nobis laudatum.

Februarij 24. die. Martyrol. Rom.

S. MATTHIAS Apoſtolus, cuius oſſa Treueris quieſcunt.

HVius ſacrum corpus, tempore Conſtantini Magni Imperatoris, in vrbẽ Treuerenſem attulit S. *Agritius* Epiſcopus, quod in vetuſtiſſimo S. Eucharij monaſterio quieſcit, hodie illuſtri Benedictinorum Abbatia, titulo S. Matthiæ celebri. Chriſtophorum Brouuerum in mss. Annalibus Treuerenſibus conſule.

Eodem die Martyrologij Romani tabulæ S. *Modeſtum* Treuerẽſem Epiſcopum & confeſſorem memorant: de quo & Bruuerus legendus. *S. Modeſtus Treu. Epiſcop.*

Februarij 25. die.

S. ALDETRVDIS virgo, & Abbatiſſa Malbodienſis in Hannonia.

FVit filia S. Vincentij Hannoniæ Comitis, & S. Waldetrudis: quos ſanctos coniuges infrà laudabimus. Materteræ ſuæ S. Aldegundi in regimine monaſterij Malbodienſis ſuffecta, annos duodecim prudétiſſimè ſactiſſimeque præfuit. De ea fusè Hucbaldus monachus Elnonenſis in eiuſdem S. Aldegundis vita, apud Surium. Aldetrudi ſucceſſit germana ſoror *S. Madelberta*, de qua infra 7. Septembris. De vtraque multis agit Iacobus Guiſius, in Hannoniæ Chronicis, quæ mss. exſtant tomis tribus, apud Franciſcanos Montibus Hannoniæ.

Maria Sulperia, Hoſpitalaria, Louanij.

LIceat hoc loco meminiſſe *Mariæ Sulperiæ*, quæ in Louanienſi Xenodochio,

dochio, per *Sophiam*, S. Eliſabethæ Hũgaricæ filiam Henrico Brabantię Duci nuptam, fundato, annos quadraginta ægris aſſiduè miniſtrauit; maiore in proximos caritate, an conſtantia, haut facilè dixero. Vidimus eam non ſemel, cùm Louanij ſtudiorum cauſſa verſaremur; vbi elogium iſtud tumulo eius inſcriptum legitur:

Maria Sulperia, raro admodum vitæ exemplo, Chriſtianæ officia pietatis amplexa, quadraginta annorum iuge miniſterium, Noſocomio huic ſponte dedit, conſilium aut ſolatium omnibus. Paupertate diues, contemptu læta, nõ homines ſed Deum-hominemſequi voluit. Hinc nudo veſtigio terram perpetuo calcans ſpreuit quidquid à cælo remotum eſſet: ſed corpus ſummo rigore macerans dignum Deo animum effecit. Sic non minùs virtute quàm ætate veneranda, cùm vixiſſet annos LXXV. ex vmbra rerum ad lucem emigrauit V. Kal. Martias, anno M. D. C. 1600.

Sereniſſimi Principes, Albertus & Iſabella, Archiduces Auſtriæ, Duces Burgundiæ, Principes Belgarum, oſſa extolli è terra in hoc

conditorium curarunt,vt conſpicuo magis lo-
1617. *co tam rarum vitæ exemplum legeretur, anno M.DC.XVII.*

Februarij 28. *die. Martyrol. Rom.*

S. Romanus Abbas Iurenſis.

ROMANVS Abbas Iuréſis in diœceſi Lugdunenſi (quod monaſterium hodie *S. Claudij* dicitur, in Comitatu Burgundiæ ſitum) primus illic vitam eremiticam duxit, & multis virtutibus ac miraculis clarus, plurimorum poſtea pater exſtitit monachorum, vt Martyrologij Romani verbis vtar.
Martij 21. Fratrem germanum habuit *S. Lupicinum*: & Acta vtriuſque Gregorius Turonenſis in Vitis SS. Patrum deſcribit. Horum diſcipulus fuit *S. Eugendus*, de quo ſupra diximus Kalendis Ianuarijs. Ceterùm Iura mons, in quo dictum monaſterium ſitum eſt, Cæſari notus, Sequanos, hodie Burgundos, ab Heluetijs diuidit.

B.Ro-

B. Romanus Archiepiſcopus Remenſis.

ROmanus, Vigilij Papæ conſobrinus, monachus Iurenſis, & primus Abbas cœnobij Mentuniacenſis, à ſe conſtructi, in diœceſi Trecenſi, an. 545. ordinatur Archiepiſcopus. Hic ſepeliuit corpus B. Clothildis Reginæ, in eccleſia S. Genoueſæ Pariſijs, an. quingenteſimo quinquageſimo nono: ſeditque annis octodecim, & & moritur anno quingenteſimo ſexageſimo tertio. Ita Georgius Coluenerius in Catalogo Archiepiſcoporum Remenſium, Duaci an. 1620. edito, cum Flodoardi Hiſtoria Remenſi.

MARTIVS.

Kalendis Martij. Martyrologium Romanum.

S. SVITBERTVS Epiſcopus, Teiſterbandiæ, Weſtphaliæ, Batauiæ, Friſiæ, Boructuariorum, Saxonum, aliorumque Germaniæ populorum Apoſtolus.

HVius ſanctiſſimi Apoſtoli ſui doctrinam verè Chriſtianam, tot illuſtribus prodigijs ac miraculis confirmatam, vtinam nationes iſtæ, quas in Chriſto genuit, æmularentur ac profiterētur, nec impijs Lutheri, Caluini, Memnonis, aliorumque id genus monſtrorum placitis, nullo vmquam teſtimonio diuinitus accepto probatis, adhærerent!

Venit is an. 690, ex Anglia in Germaniam noſtram inferiorem, cum S. *VVillibrordo*, & alijs decem ſocijs, à *S. Egberto*

Egberto miſſus, propagandi Euangelij cauſſa; vt Beda in Hiſt. Angl. narrat. Venia à *Pipino Heriſtallio*, Maiore domus regiæ, impetrata, longè latèque verbum Dei ſparſit, & plurimas varijs locis baſilicas excitauit. Vtque maiorem meſſem faceret, in Angliam reuerſus, an. 695. à *S. VVilfrido*, Merciorum Antiſtite, conſecratus eſt Epiſcopus.

An. 708. Coloniam Agrippinam ad *Plectrudem* Pipini coniugem, indeque Iupiliam, Moſæ adſitam, ad ipſum *Pipinum* ſe contulit, à quo Werdam impetrauit, eoque in loco monaſterium ædificauit, quod nunc eſt Canonicorum collegium, in diœceſi Colonienſi, haud procul à Rheno flumine.

An. 714. ad Pipinum Iupiliæ ægrotantem (qui Alpaidem pellicem iam antea dimiſerat) venit, cum *Agilolpho* Colonienſi Archiepiſcopo. Anno demum 717. laboribus fractus, Werdæ Cæſaris (vt hodie opidum nuncupatur, ad diſcrimen faciendum ab alijs Werdis) pijſſimè moritur, & in ſuo *Iopilh* *Keyſers Weerdt*

ibidem monaſterio ſepelitur, atque etiamnum colitur.

Relatus eſt in numerum Sanctorum an. 803. à *Leone* III. Pontifice Maximo: de cuius eleuatione, canonizatione, ac miraculis exſtat apud Suriũ liber *S.Lutgeri*, primi Epiſcopi Monaſterienſis, ad Rixfridum VIII. Epiſcopum Vltraiectinum. Apud eumdem exſtant Acta S. Suitberti, per *Marcellinum* presbyterum (qui ipſi comes peregrinationis, & Actorum ſcriptor, vt Lucas Paulo, adhæſit) fideliſſimè conſcripta. Dolendum tamen à nouitia manu ſtilum nonnihil mutatum, & recentiora quædam vocabula, vt *Brabantiæ*, *Lotharingiæ*, & ſimilia eſſe inſperſa. Erit tamen, ſpero, cùm genuina Acta, ex mſſ. codicibus fideliter expreſſa, luce donabuntur. Quorum quidem Actorum ſcriptorem eſſe Marcellinum, teſtis eſt Rixfridus ſuprà memoratus (qui an. 836. obijt) in Epiſtola ad S. Lutgerũ: *Habemus*, inquit, *& reuerenter habemus libellum cõtinentem geſta & legendam S. Suitberti Epiſcopi, & Coëpiſ-*

Coëpiſcopi S. VVillibrordi, editam mandato & auctoritate ſancti Patris Gregorij, Epiſcopi Traiectenſis eccleſiæ, à S. Marcellino preſbytero, conſodali & confratre SS. VVillibrordi & Suitberti. Teſtis item Lutgerus libro citato ad Rixfridum: *Expaueſco & tremiſco aliquid addere ad complementũ illius libri, editi & conſcripti à tam excellenti gentilium prædicatore, egregio presbytero S. Marcellino.*

Martij 2. die.

S. Willeicvs presbyter & confeſſor.

Fvit *S. Suitberti* Epiſcopi in Euangelica prædicatione cooperator, & Canonicus in eccleſia Vltraiectina recens inſtituta. Defuncto Suitberto, annis decem Werdenſi monaſterio laudabiliter præfuit, & an. 727. vita exceſſit.

B. Ca-

B. CAROLVS cognomento BONVS, Comes Flandriæ & martyr.

PAtrem habuit *S. Canutum*, Daniæ Regem ac martyrem: de quo ſupra die 7. Ianuarij diximus. Occubuit & filius ipſe martyr pro iuſtitia, Brugis in baſilica S. Donatiani an. 1127. cæſus, cùm ante aram Deiparæ, in ſuperiore templi parte, quæ palatio eius erat contigua, preces ad Deum funderet. De vita & morte illius amplum ſcripſit commentarium *Gualterus*, Archidiaconus Morinenſis, quem Iacobus Sirmondus, Soc. Ieſu preſbyter, an. 1615. Lutetiæ typis edendũ curauit. Sacra eiuſdẽ oſſa è tumulo leuata, in ſacrario Canonicorum cathedralis Eccleſiæ S. Donatiani religioſè adſeruantur. Fuit vir procera admodùm ſtatuta, nouem ſcilicet pedes lõgus: cui longitudini corporis membra & oſſa, quæ hodie magna cum admiratione ibidem ſpectantur, reſpondebant.

Martij

Martij 3. die.

S. Winuualocus, alijs Galnutius, Abbas Britannus.

FLoruit temporibus S. Patritij, Hiberniæ Apoſtoli. Eius lipſana, ſæuientibus per Britanniam Normannis, primùm in Galliam, & inde Gandauum, ad Blandinienſe S. Petri cœnobium, ſunt aucta: cuius tranſlationis ibidem quotannis fit commemoratio Kalendis Auguſti. Diſcipulum habuit *S. Ethbinum* diaconum, cuius feſtiuitas incidit in 19. diem Octob.

Martij 4. die.

B. RVPERTVS Abbas Tuitienſis.

TVitium, ex oppoſito Coloniæ Agrippinæ trans Rhenum, pagus eſt ac monaſterium illuſtre Benedictinorum, in quo Rupertus, ſcientia diuinitus accepta, Deiparæ beneficio, & *Duydts* libris

libris editis clariſſimus, Abbatem egit religioſiſſimum, & an. 1135. vitam ſanctiſſimè finijt. Omnem officij pietatiſque rationem adoleſcens didicit in cœnobio S. Laurentij, ad muros urbis Leodicenſis: cuius in loci templo hodieque imago Deiparæ viſitur, cultu miraculiſque celebris, quam Rupertus in veneratione habuit, addita inſcriptione.

Venerabilis ANNA DE IESV, ſocia S. Tereſiæ, quæ Carmelitanum ordine noſtra ętate reformauit.

MAgnus ille mundi fabricator Deus humanum in terris genus cùm procreaſſet, virum præeſſe voluit, feminam verò obtemperare. Itaque non ſine cauſſa hanc naturâ imbecillem ac fragilem, illum eximio quodam animi ac corporis robore, prudentiaque ſingulari præditum videmus. Nimirum maiore quadam vi ac conſtantia opus erat viris, ad res omnes humanas ex æquo ac bonó mode-

moderandas. Quo fit, vt mihi certè admirabilior, magiſque prædicanda feminarum, quàm virorum virtus videri ſoleat. Etenim ſi præclarū quodque facinus tantò magis laudibus in cœlum efferimus, quantò pauciora ac minora præſidia illi, qui patrauit, credimus ſubminiſtrata: non eſt, quod adeò miremur viros multa ſapiēter ac moderatè facere, quos ipſa Natura prudentes quodammodo atque excelſos genuit; ſed mulieres corpore fragili, animo anguſto ac paruo, fortes aliquando atque inuictas ſeſe præbere, id profectò ſuſpiciendum, atque in primis laudandum puto. *Mulierē fortem quis inueniet?*

Ne lōgè aut altè exempla petamus: multi noſtro ſæculo illuſtres ac magnanimi heroës, in his *Ignatius Loiola*, *Franciſcus Xauerius*, *Carolus Borromæus*, *Philippus Nerius*, omnes Diuorum numeris adſcripti, & alij exſtitere, qui per ſe ſuoſque rem Chriſtianam mirificè auxerunt ac propagarunt. Ex altero ſexu vna ferè occurrit S. TERESIA, illa verè magna, verè admiranda,

verè

verè *fortis mulier*, ſeu potiùs virgo, imò virago: vt æui ſui Phœnicem non iniuria quis nuncupet. Hæc Abulæ in Hiſpania, ſingulari quadam Dei pro-
Anno uidentiâ, illis temporibus nata eſt,
1515. quibus Lutherus, excucullatus apoſtata, virus in Eccleſiam cœpit effundere. Ætate iam grandior monaſticen amplexa, ac demum auſterioris vitæ cupida, ſupra muliebrem naturam, ſupra vires ac conditionem ſui ſexus ſe extulit. Plurimis namque monaſterijs per Hiſpaniam excitatis, primæuam ſui ordinis diſciplinam adeò fauſtè inſtaurauit, vt non modò virgines innu-
Dux femina facti. merabiles, ſed viros quoque doctrinâ & ſanctitate eximios ad imitationem pellexerit, atque ad cœnobia arctioris inſtituti condenda permouerit. Fuit autem progreſſus, Deo adiutante, tantus, vt Congregatio à Sixto V. in prouincias quinque per Hiſpaniam diſtributa, & pòſt à Clemente VIII. proprium nacta fuerit Præfectũ Generalem. Quæ quidem cùm Hiſpaniã impleuiſſet, & ad Occidentales Indos

pal-

palmites porrexiſſet, in Italiam demũ pedem intulit, atque in ipſa vrbe Roma Seminarium inſtituit, ex quo ſodales feruentiores, doctrina, linguarũ peritia, & alijs eiuſmodi dotibus inſignes, pro Chriſto legatione functuri, ad exteras quaſque nationes emitterentur. Itaque ſacræ ſigna militiæ inde in Sarmatiam ac Ruſſiã ad Septemtrionem, in Indiam Perſiamque ad Orientem, denique in Galliam ac Germaniam cùm inferiorem tum ſuperiorem ſunt prolata.

Ceterùm primas inter S. Tereſiæ ſodales fuit *Anna de Ieſu*, quæ ſacras virginum huius inſtituti colonias in regnum Franciæ & Belgicam noſtrã deduxit. Nata eſt autem in Extremadura Hiſpaniæ prouincia, nobili gente *Lobera*, ex qua hodie *Chriſtophorus Lobera*, illius conſanguineus, Vxamenſis in Caſtella Epiſcopus floret. Anno ætatis decimo florẽ ſuæ virginitatis Deo addixit ac ſacrauit, contemptoq; mundi faſtu, veſtem modeſtiæ plenam induit, atque in Noſocomio *Palentiæ*

ægris aſſiduè ſeruiuit. Annos quattuor & viginti nata, B. Tereſiæ, tunc *Abulæ* Antiſtitam ſeu Prioriſſam, vt vocant, agenti ſe adiunxit: quæ ad ſe venienté humaniſſimè excepit, atque vt ſociam deinceps habuit. Nouitia adhuc, eamdem Tereſiam, anno ſalutis 1570. ad fundandum in vrbe Salmanticenſi monaſterium, eſt comitata. Exinde *Madritum* miſſa, *Mariæ*, Maximiliani II. Imperatoris viduæ, impenſis nouum ibi cœnobium à fundamentis excitauit. Cui, vt & *Philippo II.* Regi Catholico, atque vniuerſis aulæ proceribus ac matronis gratiſſima exſtitit. Colebatur item à *Didaco Iepeſio,* qui Philippo Regi à ſacris tunc Confeſſionibus erat, & Turiaſonẽſis poſtea Epiſcopus obijt, ab *Alfonſo Oroſco*, viro pijſſimo ex ordine Eremitarum S. Auguſtini, & alijs integræ notæ viris. *Nicolaus Marianus*, qui primus Carmelitarum excalceatorum Præfectus generalis fuit, *Ioannes Crucius, Ambroſius Marianus, Antonius de Ieſu,* ceteriqúe Patres ſeniores, defuncta Tereſia, eam vt matrem venerabantur.

Anno 1604. *Catharina Aurelianenſi*, Longæ-villæ Ducis filia, euocante, cum alijs quinque monialibus in Galliam venit, & *Pariſienſi, Pontiſarenſi Ambianenſi, Turonenſi*, alijſq́ue cœnobijs excitatis, an. 1606. in Belgicam tranſijt, ab *Alberto Pio* atque *Eliſabetha Clara Eugenia*, optimis Principibus noſtris, idemtidem inuitata. Anni proximè ſequentis initio, iacta ſunt fundamēta regij monaſterij in vrbe *Bruxellenſi*: cui poſtea acceſſerunt *Louanienſe, Montenſe* in Hannonia, *Antuerpienſe, Tornacenſe*, & alia alibi.

Belgicæ finibus pietas iſta contineri non potuit: rogantibus itaque *Sigiſmundo* Poloniæ Rege & eius coniuge, nouam monialium coloniam Anna *Cracouiam* emiſit, quæ regnū illud ampliſſimum pijs cœtibus paulatim impleuerūt. Abſtinentia demum laboribus, ſenio, morbiſq́; cōtinuis exhauſta, IV. Kal. Martias an. 1621. Bruxellæ moriens, ad meliorem vitā tranſijt, magna ſanctitatis opinione. Ad defunctæ corpus ſpectandum ac terrę

mandandum, magnus fuit aulicorum ac ciuium concurſus : quod pietatis officium & ipſi Belgarum Principes, paulò ante laudati, præſtiterunt.

Ioanna vander Noot.

Dum ſani paſſim accurrunt, diuino velut monitu excitata *Ioanna de Spiritu ſancto*, nobili Vandernotiorum apud Brabãtos genere prognata, eiuſdem loci monialis, (quam paralyſis ſepténio grauiter afflixerat, & membrorum prorſus impotentem mẽſibus decem lectulo affixerat) rogat, vt ad odeium, in quo floribus ornatum *Annæ* corpus, omnium oculis expoſitum iacebat, curru ſuo verſatili à ſodalibus trahatur. Etenim non ire, non ſtare, non cibum in os ingerere, non caput aut alia membra mouere poterat; cùm velut ſine neruis brachia & crura depẽderent. Itaque eò attracta, & ad defunctæ corpus per duas moniales admota, cùm illud oſculo fuiſſet venerata, (mirum dictu) mox pedibus conſtitit, & poſt grates Deo dictas, firmis tibijs verſus triclinium ad Antiſtitam perrexit, ac ſana deinceps

perman-

permanſit. Franciſcus Paz, Doctor Medicus præſtantiſſimus, qui eam vt deſperatæ ſalutis (poſt varia remedia adhibita) iā dudū deſeruerat, rogatus quid de iſta curatione ſentiret, reſpōdit, *Illud tam repente, & ſine aliqua euacuatione naturæ, non potuiſſe fieri abſque miraculo.*

Martij 6. die.

S. COLETA virgo, ordinis S. Claræ, quieſcit Gandaui.

COleta virgo, Corbeiæ in Picardia nata, ordinem S. Claræ, primùm in monaſterio vrbis Biſontinæ apud Burgundos, pòſt in aliorum quoque locorum varijs cœnobijs ad veterem diſciplinam reuocauit; vſa potiſſimùm conſilio P. *Franciſci Balmæ*, Confeſſarij ſui, viri morum vitæque integritate laudatiſſimi: cuius oſſa in Biſontino cœnobio quieſcunt. Obijt autem B. Coleta Gandaui in *Betlehē*, ſui inſtituti cœnobio, an. milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo ſep-

timo, vbi hodieque ſacrum eius corpus integrum magna veneratione à monialibus adſeruatur. Vitam eius fusè ſcripſit *Stephanus Iuliacus*, Theologus Pariſiẽſis, à Surio editam. Colitur autem Gãdaui a ſuis Officio eccleſiaſtico, iuxta Indultum *Clementis VIII.* Papæ: quod ad alia eiuſdem inſtituti cœnobia Belgica *Paulus V.* an. milleſimo ſexcenteſimo decimo extendit.

Ceterùm reformatæ huius congregationis monaſteria ſunt iſta, *Biſontinum* & *Poligniacenſe*, in Burgundia, *Gandenſe* & *Brugenſe* in Flãdria, *Atrebatenſe* & *Heſdinienſe* in Arteſia, *Cameracẽſe* in prouincia eiuſdem nominis, *Ambianenſe* & *Peronenſe* in Picardia, *Rotomagenſe* in Normannia, *Muſſipontanum* in Lotharingia, *Nannetenſe* in Britannia minore, *Chamberienſe* in Sabaudia, *Dienſe*, *Dauronenſe* & *Surrenſe* in Delphinatu, itemque *Aneſſiacenſe* in Sabaudia: de quibus vide Origines noſtras Monaſticas lib. 3. cap. 11.

Clemens VIII. Papæ diploma, an. 1604. datum, ad Abbatiſſam Gandenſem monaſterij S. Claræ.

CLemens Papa VIII. dilectæ in Chriſto filiæ, ſalutē ac Apoſtolicam benedictionem. Pijs ac deuotis ſupplicationibus, veſtro nomine humiliter mihi porrectis inclinati, veſtræq; ſpirituali conſolationi & deuotioni, quam erga beatam Coletam, olim veſtri ordinis monialem (cuius corpus in eccleſia veſtri monaſterij requieſcit) ac multis miraculis, quæ Omnipotens Deus ad eiuſdem B. Coletæ interceßionem, vt piè creditur, operari dignatur, ſicut ad Nos fide dignorum virorum relatione perlatum eſt, clarè dignoſcitur, gerere comprobamini, benignè proſpicere volentes, ex voto venerabilium fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium, ſuper ſacris ritibus ac ceremonijs deputatorum, vobis vt Officium in honorem eiuſdem B. Coletæ, de Communi vnius virginis, anniuerſario die eius obitus, ſingulis annis recitare, & eodem die Miſſam in veſtra eccleſia, in illius honorem pariter de Communi vnius virginis

celebrari facere liberè & licitè valeatis, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, licentiam concedimus & indulgemus: voſq́; Officium huiuſmodi dicto die recitando, obligationi recitandi diuini Officij ſatiſfacturas eſſe declaramus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſq́; contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die viceſima ſeptima Nouembris, an. milleſimo ſexcenteſimo quarto, Pontificatus noſtri anno tertio decimo. M. Veſtrius Barbianus.

Pauli V. Papæ diploma, anno 1610. *datum.*

P*Aulus Papa V. ad perpetuam rei memoriam. Aliàs felicis recordationis Clemens Papa VIII. prædeceſſor noſter, ſupplicationibus dilectarum in Chriſto filiarum, Abbatiſſæ & monialium monaſterij S. Claræ, ordinis eiuſdem S. Claræ Gandauenſis, inclinatus, de conſilio venerabilium fratrum noſtrorum, tunc ſuorum, S.R.E. Cardinalium, ſuper ſacris ritibus & ceremonijs tunc deputatorum, ipſis Abbatiſſæ & monialibus, vt Officium in honorem Beatæ* Coletæ *de*

Com-

Communi vnius Virginis, anniuerſario die eius obitus, ſingulis annis recitare, & eodem die Miſſam in earum eccleſia in illius honorem pariter de Communi vnius Virginis celebrari facere, liberè & licitè valerent, auctoritate Apoſtolica licentiam conceſſit & indulſit, ipſaſq́; Abbatiſſam & moniales, Officium huiuſmodi dicto die recitando, obligationi recitandi diuini officij ſatisfacturas eſſe declarauit, & aliàs prout in ipſius Clementis prædeceſſoris deſuper in ſimili forma Breuis, ſub data videlicet 27. *Nouembris an.* 1604. *Pontificatus ſui anno decimotertio expeditis litteris, pleniùs continetur.*

Cùm autem, ſicut nobis nuper expoſitum fuit, nomine dilectarum etiam in Chriſto filiarũ, vniuerſorum monaſteriorum monialium reformatarum, ordinis S. Franciſci, in omnibus prouincijs Belgij exiſtentium, ipſæ quoque pro ſpirituali earum conſolatione ac deuotione, quam erga eandem B. Coletam *gerunt, Officium præfatum recitandi licentiam & facultatem ſibi concedi plurimùm cupiant, Nobis propterea eorumdem monaſteriorum moniales humiliter ſupplicari fecerunt, vt ſibi in præmiſſis oportunè prouidere*

dere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur eaſdem moniales ſpecialibus fauoribus & gratijs proſequi, earumq́; ſpirituali conſolationi, quantum cum Domino poſſumus, benignè conſulere volentes, ac monialium præfatarum ſingulas à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, alijſq́; Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis, à iure vel ab homine quauis occaſione vel cauſſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtant, ad effectum præſentiem dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutas fore cenſentes, nec non præfatarum Clementis prædeceſſoris litterarum tenorem in præſentibus pro expreſſo habentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum noſtrorum, S. R. E. Cardinalium, ſacris ritibus & ceremonijs præpoſitorum, conſilio, facultatem Officium in honorem eiuſdem B. Coletæ, *de Communi vnius Virginis, anniuerſario die eius obitus, ſingulis annis, & eodem die Miſſam in earum eccleſia, in illius honorem pariter de Cõmuni vnius Virginis celebrari faciendi, prædicti monaſterij Abbatiſſæ & monialibus à dicto Clemente prædeceſſore,*

vt

vt præfertur, conceſſam, ad omnia monaſteria monialium reformatarum, ordinis S. Franciſci, in omnibus prouinciis Belgii, vbi ſunt monaſteria eiuſdem ordinis S. Claræ exiſtentia, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium extendimus: nec non eorumdem monaſteriorum monialibus, vt in poſterum Officium in honorem eiuſdem B. Coletæ, *de Communi vnius Virginis, anniuerſario die eius obitus, ſingulis annis recitare, & eodem die Miſſam in earum eccleſiis, in illius honorem, pariter de Communi vnius Virginis, recitare liberè & licitè valeant, auctoritate Apoſtolica & tenore præſentium, licentiam & facultatem concedimus & impertimur; nec non præfatorum monaſteriorum moniales, Officium huiuſmodi dicto die recitando, obligationi recitandi diuini officii ſatisfacturas eſſe, declaramus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſq; contrariis quibuſcumq;. Datum Romæ apud ſanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris, die ſecunda Septembris, milleſimo ſexcenteſimo decimo, Pontificatus noſtri anno ſexto.* S. Cobellutius.

B. Co-

B. GODEGRANDVS, Epiſcopus Metenſis in Lotharingia.

NAtus eſt in Hasbania, patre *Sigiramno* & *matre Lādrada*, Caroli Martelli filia. Pietati & litteris operā dedit primùm in monaſterio S. Trudonis apud Hasbanos, deinde Metis: à cuius vrbis Clero Epiſcopus electus, ampliſſimam poteſtatem Epiſcopos per Galliam ordinandi à *Stephano* Papa accepit. Tria exſtruxit monaſteria, & ān. 765. viuere deſijt; vt Sigebertus nótauit, qui libro De viris illuſtribus memorat, ipſum ſanctę religionis regulam ſcripſiſſe, eamque Metenſis Eccleſiæ Clericis obſeruandam dediſſe. Sed hanc regulam, vt pleræque aliæ Eccleſiæ, ſub Walone Epiſcopo, & vnà vitam communem, abdicarunt, & facti ſunt Canonici ſæculares ac proprietarij.

Martij

Martij 7. die. Martyrol. Rom.

S. THOMAS AQVINAS, Doctor Angelicus, ex ordine Prædicatorum.

ADoleſcens *Albertum Magnum* in Philoſophicis ac Theologicis ſtudijs præceptorem Coloniæ Agrippinæ habuit. Magna illi, ſed honeſta ac ſancta, cum *Aleide,* Henrici III. Brabantiæ Ducis vidua, familiaritas fuit; traditurque Louanij aliquamdiu vixiſſe. Hoc conſtat, ipſum interfuiſſe & ſubſcripſiſſe viſitationi collegij Canonicorum in opido Thenenſi, tertio lapide à Louanio. *Thienſ.*

Exſtant non paucæ Epiſtolæ à S. Thoma ad Alcidem ſcriptæ, itemque Opuſculum XXI. *De regimine Iudæorum.* Hæc ipſa Aleidis exſtruxit *Audergemium*, monialium ordinis Dominicani cœnobium, quod milliari vno à Bruxella hodieque floret, vnicum illius inſtituti in Brabantia, haud procul à Rubra Valle. Henricus eius maritus *Oudergem.*

pala-

palatium ſuum, quod Louanij in media vrbe ad Diliam habebat, in monaſterium ſodalium Prædicatorum conuertit: in quo tumulus marmoreus vtrique communis viſitur.

Obijt Thomas an. 1274. in Foſſanoua, Ciſtercienſis inſtituti monaſterio, an 1323. à Ioanne XXII. Diuis adſcriptus, pòſt Toloſam tranſlatus, Vrbano V. Pontifice: vbi hodieque in magna eſt veneratione. Vitam eius, vt & S. Dominici, & aliorum eiuſdem ordinis, eleganti ſtilo nuper ſcripſit *Nicolaus Ianſſenius*, Dominicanus Antuerpienſis.

B. FREDERICVS, Horti B. Mariæ in Friſia Abbas ac fundator.

FVit primùm Parochus in Hallumēſi pago, ſibi patrio, pòſt mundi delitijs valere iuſsis, veſtem ord. Pręmonſtratēſis à Balduino Epiſcopo Vltraiectenſi acceptā induit, & an. 1163. monaſterium Horti Mariani fundauit: vbi & primus Abbas piè in Domino an. 1175.

1175. obdormiuit, multis miraculis in vita & poſt obitum clarus. Frederici plantationem Paulus IV. Papa an. 1559. ex agro in vicinam vrbem Leouardienſem tranſtulit, & ex ea cathedrale collegium Leouardienſe conſtituit, Canonicis regularibus in ſæculares transmutatis. Vitam B. Frederici, *Sibrandus* ſextus eiuſdem loci Abbas (qui an. 1238. obijt) accuratè conſcripſit, qua nos ms. vſi ſumus. Plura vide in Chronico noſtro Præmonſtratenſi.

Leouardienſis Epiſcopatus.

Martij 8. *die.*

S. Hunfridus Epiſcopus Teruanenſis.

PRimùm egit monachum Prumiæ in Arduenna, poſtea *S. Folquino* in Epiſcopatu Morinenſi ſeu Teruanenſi ſucceſsit, & vnà Abbas Bertinianus fuit. A Normannis ſede ſua pulſus, *Nicolaum* I. Papam conſuluit, cui is reſpondit *cap. Sciſcitaris, cauſſa* 7. *q.* 1.

Obijt circa an. 871. vt ex Ioannis

Iperij

Iperij Chronico ms. Bertinenſi cap. 16. datur intelligi. Teruana an. 1553. funditus exciſa, corpora *SS. Hunfridi* & *Maximi* Epiſcoporum Ipras in Flandriam, cum parte dotis Epiſcopalis ac prouentuum eccleſiaſticorum, ſunt tranſlata: ubi hodieque communi feretro incluſa adſeruantur.

Martij 10. *die. Martyrol. Rom.*

S. Attala, Abbas Luxouienſis in Comitatu Burgundiæ.

LVxouium, vulgò *Luxeul*, vetuſtum eſt opidum in Comitatu Burgundiæ ſitum, cuius muris incluſum viſitur illuſtre monachorum Benedictinorum cœnobium. Huius loci Abbas fuit S. Attala, qui anno ſexcenteſimo viceſimo quarto floruit. Vita eius à Ioanne Abbate fideliter ſcripta exſtat apud Bedam, Surium, & Barralem in Chronologia Lerinenſi.

B. Hi-

B. HIMELINVS preſbyter Scotus.

FEnacum, vulgò *Sinte Himelyns Viſſenaken*, pagus eſt Brabantiæ, haud procul à Thenis opido: in quo pago quieſcit B. Himelinus, in crypta ſub campanili, nondum è terra leuatus. Fuit S. Rumoldo carne propinquus, aut vt alij volunt, eius affinis. Vide Gillemanum in Hagiologo Brabantinorum.

Martij 11. *die*.

S. VINDICIANVS Epiſcopus Cameracenſis & Atrebatenſis, Bruxellenſium Apoſtolus.

BAldericus Nouiomenſis ac Tornacenſis Epiſcopus, qui ante annos ſexcentos Chronicon Cameracenſis & Atrebatenſis Eccleſiarum olim vnitarum conſcripſit, hoc ordine Epiſcopos vtriuſque vrbis recenſet: nulla facta mentione *Diogenis*, quem alij

primum Epiſcopum faciunt, & circa annum 407. à Wandalis martyrio coronatum ſcribunt.

I. S. Vedaſtus, à S. Remigio Remenſi. Archiepiſcopo ad Atrebates miſſus, obijt 6. Februarij circa an. 540.

II. Dominicus ſucceſſit S. Vedaſto.

III. B. Vedulfus, ſedem Epiſcopalem Atrebato Cameracum tranſtulit.

IV. S. Gaugericus Vedulfo circa a 555. ſucceſſit, & obijt 11. Auguſti, circa an. 594.

V. Bertoaldus ſucceſſit S. Gaugerico.

VI. S. Ablebertus, qui & Emebertus, frater S. Gudilæ virginis, Bruxellenſium patronæ, deceſſit 15. Ian. circa an. 640.

VII. S. Aubertus, ſiue Autbertus, die 21. Martij circa an. 642. conſecratus, ſedit annis 33. & obijt 13. Decembris circa an. 675.

VIII. S. Vindicianus, die 24. Iunij circa an. 676. conſecratus, ſedit annis 36. & obijt 11. Martij circa an. 712.

IX. Hildebertus ſucceſſit S. Vindiciano, Hil-

Hildeberto Hunoldus, & huic S. Hadulfus, qui 19. Maij circa an. 729. viuere deſijt: & ſic alij ex ordine, vſque ad Gerardum eo nomine Secundum, qui an. 1092. obijt. Poſt hunc diuiſus eſt Epiſcopatus, & Atrebatenſis Eccleſia proprium an. 1094. Epiſcopum accepit, hodieque retinet.

Vt ad S. Vindicianum reuertar, is cum *S. Lamberto* Tungrenſi Epiſcopo baſilicam monaſterij Hunocurtenſis, conſecrauit, ibique clericos & ſanctimoniales conſtituit: idem *S. Maxellēdis* virginis ac martyris corpus ſepeliuit. *Cùm ægrotaret apud Broſellam diœceſis ſuæ territorium, iuſſit ſe transferri ad Montem S. Eligij, eò quod ibi beatus Eligius habitationis ſuæ fecerat diuerſorium. cui ipſe Vindicianus familiari vſu dilectionis inhæſerat*: vt Baldericus in citato Chronico lib. 1. cap. 28. loquitur. Obijt itaque Bruxellæ (quæ olim fuit in diœceſi Cameracenſi ſita) ſepultus in dicto Monte S. Eligij, qui nunc eſt Abbatia Canonicorum regularium, ſeſquimilliari ab Atrebato. Vitam eius ſcripſit

Ioannes, alijs *VValterus*, Abbas Montis S. Eligij, quæ ibidem ms. exſtat. S. Vindiciani corpus Fulbertus, Epiſcopus poſt illum decimus quintus, circa an. 955. è terra eleuauit, cum magna miraculorum gloria, quæ idem Baldericus commemorat.

Martij 12. die.

Venerabilis Dionyſius Carthuſianus.

OB ſingularem vitæ ſanctimoniam *Doctor Ecſtaticus*, ob librorum à ſe ſcriptorum copiam alter *Didymus Chalcenterus* à quibuſdā nuncupatur. Vixit, ad extremum vſque ætatis tempus, in Ruremundenſi Geldrorum Carthuſia & an. 1472. ibidem exceſſit. Oſſa eius noſtra ætate è terra leuauit *Henricus Cuquius*, ex Doctore & Cācellario Louanienſi, Epiſcopus Ruremundenſis: vt Arnoldus Hauenſius in libro de inſtitutione nouorum in Belgio Epiſcopatuum fusè narrat. Dionyſij vitam ſcrip-

ſcripſit Theodoricus Loerius, Carthuſianus Colonienſis.

Martij 15. die. Martyrol. Rom.

S. ZACHARIAS Papa.

IVre hic nobis commemorandus eſt optimus Pontifex, qui per S. *Bonifacium*, Vltraiectenſem & Moguntinum Archiepiſcopum, ad regnum Galliæ euexit *Pipinum Breuem*, Caroli Martelli, filium. Qua de re vide Baronium in Annalibus, Serarium in Hiſt. Moguntina, & alios.

Martij 16. die. Martyrol. Rom.

S. HERIBERTVS Epiſcopus Colonienſis.

ANno 1021. ex hac vita migrauit (vt Segebertus in Chronico notat) & conditus eſt in Tuitienſi monaſterio, à ſe exſtructo. Vitam eius, à Surio editam, ſcripſit *Rupertus* X. Ab-

bas Tuitienſis: exſtat & *Lambertus Leodicenſis*, monachus Tuitienſis qui ſub Werimboldo III. Abbate eiuſdem res geſtas ac miracula litteris conſignauit.

S. Evsebia virgo & Abbatiſſa Hamaticenſis.

Mater illi fuit S. *Rictrudis*, Abbatiſſa & fundatrix Marchianenſis: de qua 12. Maij dicetur. Succeſſit proauiæ ſuæ *S Gertrudi* in regimine monaſterij Hamaticenſis: vbi & obijt, terræ mandata à *S. Amato* Epiſcopo Senonenſi quem eo in loco *S. Maurontus*, Euſebiæ frater, exulantem fouebat. Quieſcit Marchianis, in feretro argẽteo admodum pretioſo. Hamaticum porrò, olim virginum cœnobium, ad Scarpum fl. ſecundo lapide à Duaco, nunc eſt Prioratus monachorum Benedictinorũ Abbatiæ Marchianenſis.

Memo-

Memoria venerabilis Sacramenti miraculoſi, Amſtelrodami in Hollandia.

ANno 1345. ſacroſancta hoſtia, ab ægro cum phlegmatibus eiecta & in ignem miſſa, nec candorem amiſit, nec vllã læſionem à flammis accepit: dein ciſtæ inpoſita ſtupendis ibidẽ miraculis claruit. Domus autem, in qua primum miraculum contigit, in egregium ſacellum, quod *Locus ſacer* dicitur, eſt commutata. Tanti miraculi, & aliorum innumerabilium, quæ ſubſecuta ſunt, memoria quotannis Officio proprio à Clero Amſtelrodamenſi celebrari ſolet: quod Officium typis ſeorſim excuſum exſtat.

Martij 17. die. Martyrol. Rom.

S. GERTRVDIS virgo, & Abbatiſſa Niuellenſis in Brabantia.

NAta eſt patre *Pipino Landenſi* quem primum Brabantiæ Ducem nuncupant,

cupant, matre verò Itta ſeu Iduberga, quæ, defunćto marito, Niuellenſe monaſterium conſtruxit, eiq̀ue filiam ſuam præfecit. Id nunc eſt illuſtre Canonicarum virginum nobilium collegium: de quo fuſè Molanus libro de Canonicis, & nos in libro De collegijs Canonicorum per orbem Chriſtianum. Obijt autem an. 664. eſtq̀ue in cælites relata per Innocentium III. Papam. Eſt Niuellis iuxta templum S. Gertrudis fons, ſeu puteus aquæ limpidiſſimæ, quam ciues & exteri lagenis domum auferre ſolent, ad glires fugandos. Idem 'cum fructu fieri ſolet Auguſtæ Vindelicorum', per cineres ex tumulo S. Vdalrici Epiſcopi deſumptos, vt Marcus Velſerus in Notis ad illius vitam obſeruauit.

Martij 19. *die. Martyrol. Rom.*

S. Landoaldus preſbyter Romanus.

LAndoaldus Romanæ Eccleſiæ Archipreſbyter, quem ex vrbe Ro-

ma

ma in Gallias *Amandus* Traiectenſium Epiſcopus ſecum adduxerat, XIIII. Kal. Aprilis an. 646. obdormiuit, & in Vuintreſhoue, prœdio ſibi ab Apro Comite, S. Lamberti patre, olim collato, ſepelitur, in baſilica à ſe ædificata, atque in honorem S. Petri dedicata. Ita ms. Chronicon Gandenſe. *Anno 646.*

Eſt autem Landoaldus à *Martino I.* Pont. Max. adiunctus S. Amando, cùm Romam veniens Pontifici declaraſſet, ſe non ſufficere ad copioſiſſimam meſſem in Chriſti horreum conferendam.

Venere porrò, vnà cum Landoaldo, in Belgium alij decem eiuſdem animi ſodales; quos inter fuere, *S. Amantius* diaconus, *S. Adrianus* martyr & internūtius Landoaldi, *S. Vinciana* virgo, Landoaldi ſoror, & *S. Adeltrudis*, itidem virgo.

S. Vincianam ſcribit Chronographus Gandenſis an. 643. defunctam, & in Vuintreſhouia, à fratre Landoaldo ſepultam.

Horum omnium Sanctorum cor-

pora ex Vuintershouia, diœceſis Leodicenſis viro, Gandauum an. 980. ad S. Bauouis monaſterium tranſtulit Vuomarus Abbas. Ceterùm geſta ac miracula S. Landoaldi & ſociorum deſcripſere Notgerus Leodicenſis Epiſcopus, & Herigerus Abbas Laubiēſis. Id ex ms. Gādenſi Chronico certò didici, cuius hæc ſunt verba, in geſtis anni 972.

S. Landoaldi ſociorumq́, eius vitam & geſta, pro vt ex antiquis libris, à Nortmannis & Danis olim ambuſtis, & ſicut ex veterum fide dignorum relatione percipere potuit, Nodgerus Leodicenſis Epiſcopus conſcripſit. Item in geſtis an. 981. *S. Landoaldi & ſociorum eius miracula veraciter diuulgata, iuſſu Domini Nodgeri Pontificis eximij, ſunt collecta, & per Domnum Herigerum eius didaſcalum, ac Muſicæ artis peritum, breuiter quidem ſed ſatis diſcretè, ac luculento ſermone ſunt deſcripta, & ipſius Epiſcopi auctoritate confirmata, atque ſigilli eius impreſſione roborata, & Vuomaro Abbati cœnobij Gandenſis, omnibuſq́, fratribus fideliter ſunt miſſa.*

Martij

Martij 20. die. Martyrol. Rom.

S. VVLFRAMNVS Epiſcopus Senonenſis in Gallia.

VVlframnus, relicto Epiſcopatu Senonenſi, annis quinque apud Friſios, eorumque Regem *Radbodum*, in prædicanda Chriſti doctrina, ſtrenuè laborauit. Quod opus Euangelicum poſtea *SS. VVillibrordus* & *Bonifacius* cum ſodalibus ſuis, feliciter ſunt proſecuti. Obijt ſanctus Antiſtes in Fontanella, diœceſis Rotomagenſis monaſterio, an. Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo, inde poſtea cum *S. VVandregiſilo*, Gandauum ad Blandinienſe monaſterium tranſlatus. Vitam eius à Surio publicatam ſcripſit Ionas Abbas, qui eodem tempore vixit.

Martij

Martij 21. die. Martyrol. Rom.

S. LVPICINVS Abbas Iurenſis in Burgundia.

FVit is frater S. Romani, Abbatis pariter Iurenſis, de quo ſupra die 28 Febr. diximus. Diſcipulum habuit *S. Eugendum*, eiuſdem loci ſimiliter Abbatem, quem Kalendis Ianuarijs celebrauimus.

Martij 25. die.

S. HVMBERTVS, Maricolenſis Abbatiæ in Hannonia fundator.

Maroilles. S. HVMBERTVS, cũ S. Amãdo Epiſcopo Romam profectus eſt. Idem S. Aldegundi virgini Melbodienſi familiaris exſtitit, traditurque Antuerpianis quoque Euangelium prædicaſſe. Sacrum eius corpus, vitæque hiſtoriam adſeruant Maricolenſes. *Lib. 2. cap. 32.* Baldericus in Chronico Cameracenſi virum illuſtrem vocat, & dicit, ex patria

tria Laudunenſi Mareclias veniſſe. Alij ipſum volunt Epiſcopum fuiſſe. Id conſtat, Mareclijs ſeu Maricolis defunctum, ibidem conditum fuiſſe, hodieque honorari.

Martij 26. die. Martyrol. Rom.

S. LVDGERVS I. Epiſcopus Monaſterienſis.

S. Ludgerus ex Germania in Britãniã profectus adoleſcens, annis ampliùs tribus ibi *Alcuinũ*, Caroli Magni pręceptorem audiuit. In Germaniã reuerſus, anno Chriſti circiter 775. preſbyter Coloniæ ordinatur, & vice *Alberici* Vltraiectẽſis Epiſcopi, præeſt monaſterio Vltraiectẽſi, & in Friſiam vicinamque Saxoniam, Euangelij cauſſa, excurrit. *VVindekindo*, Saxoniæ Duce, perſecutionem poſtea mouẽte, Romam contendit. Adamus in Bremenſi hiſtoria ſcribit, S. *VVillehadum* primũ illius vrbis Epiſcopũ, *ob perſecutionis metũ, cũ S. Ludgero, Romam adijſſe, &*

ſanc-

ſanctiſſimi Papæ Adriani conſolatione releuatum; latuiſſe dein Epternaci, apud ſepulchrum S. Willibrordi; Ludgerum verò longiùs abijſſe in montem Caſſinum, ad confeſſionem S. Benedicti. Biennio hinc tranſacto (quod eſt an. Caroli Magni 18. Chriſti 785.) cùm Widekindus, incentor rebellionis, baptiſmi gratiam, cum Saxonum magnatibus, adeptus, veniſſet in fidem Caroli, redijſſe ad prædicandi munus exules, & Willehadum, Caroli nutu, impoſitum Bremenſi cathedræ. Qua ex narratione bis Romam adijſſe exiſtimo S. Ludgerũ; primùm *Adriano* ſedente, ſub annum DCCLXXXII. & probabile (vt tunc S. Benedictum in Mõte Caſſino ſalutaſſe legitur) eodem itinere veniſſe Beneuentum, & inde, poſt hanc primam peregrinationem, Saxonia ſub iugum miſſa, & pacato Widekindo, ab ipſo Carolo reuocatum Ludgerum. Nam ita diſertè codices antiqui tradunt, Widekindo deuicto ſiue conuerſo, & Saxonibus ad baptiſmi gratiam perductis, Ludgero Saxo-

niam

niam occidentalem in procuratione muneris obueniſſe volenti. Sit igitur iſte annorum computus.

Anno Domini 782. finita ſeptennali circiter in Friſia prædicatione, & perſecutionem incohante Widekindo, S. Ludgerus & Willehadus Romam ad Adrianum Pontificem profecti ſunt.

Anno Domini 785. reuerſus eſt Ludgerus, Lotuſæ & in pagis Friſiæ re bene geſta.

Anno circiter 788. in occidentali Saxonia Mimigernafordenſi, id eſt, Monaſterienſi gregi præficitur: quem cum XII. annis tantùm preſbyter rexiſſet, anno circiter Chriſti 800. ab Hildebaldo Colonienſi Archiepiſcopo Epiſcopus eſt conſecratus.

Vitam S. Ludgeri ab *Othelgrimo*, eius diſcipulo ſcriptam, Notiſque à ſe illuſtratam an. 1616. Chriſtophorus Brouuerus Moguntiæ edidit.

Ceterùm *VVerdena* (quæ & *Rura* à fluuio, cui adiacet, ſæpe nominatur) monaſterium eſt, & opidum, in collimitio

mitio Marchiæ & Ducatus Montẽſis, ac diœceſi Colonienſi ſitum.

S. AVSPICIVS 8. Iulij, S. FELIX 26. Martij, S. MARTINVS 19. Iulij, S. RVSTICVS 14. Octobris, Treuerenſes Epiſcopi, & S. MARTINVS Tungrẽſis Epiſcopus, 21. Iunij, Martyrologio Rom. omnes adſcripti.

AB exceſſu S. Materni, ſedem Treuerorum, iuxta eorum Annales, conſcendiſſe traditur, *Auſpicius*, alijq; per ordinem quatuordecim, *Celſus*, (alijs *Serenus*) *Felix*, *Manſuetus*, *Clemens*, *Moyſes*, *Martinus*, *Anaſtaſius*, *Andreas*, *Ruſticus*, *Auctor*, *Mauritius*, aliàs *Fabricius*, *Fortunatus*, *Baßianus*, & *Marcus*. Hi eodem ordine recẽſiti apud Tungros Epiſcopi, martyrio omnes, intra quinquaginta annos, abſumpti referuntur, pęnè continuatis Imperatorum perſecutionibus: quamuis *Auſpicium*, Materni ſucceſſorem, Romanæ Diuorum tabulæ Confeſſorem dumtaxat appellent.

ſent. Sed nihil prohibet, quin & ipſe multa pro Chriſti nomine ab infidelibus paſſus, ad confeſſionis conſtantiam martyrij quoque palmam addiderit.

Agrippinenſes autem à *D. Materno*, ad alterum eiuſdem nominis ſub Cõſtantino, nullum proprium agnoſcunt Epiſcopum; ſeu præualente inibi idololatrię ſuperſtitione, ſeu potiùs Treuerorum Tungrorumue Pontificibus illius quoque eccleſiæ habenas moderantibus.

Tungrorum verò Epiſcopos poſt Maternum hos recenſet Herigerus Abbas Laubienſis, in Hiſtoria Epiſcoporum Leodicenſium, *Nauitum, Marcellum, Metropolum, Seuerinum, Florentium, Martinum, Maximinum, Valentinum.* Qui omnes, eodem etiam ordine, Treuerorum cenſentur Pontifices, & immediatè quindecim illis ſubnectuntur, quos martyrio, intra annos quinquaginta, ſublatos paulò ante notauimus. Hinc magna me inceſſit ſuſpicio, tribus hiſce ciuitatibus nullam aliam re-

rum ſacrarum fuiſſe conditionem, ad tempora vſque Conſtantini, quàm quæ à Materno aut ſocijs inſtituta fuit. Maternum nàmque tribus hiſce locis, quaſi tribus Epiſcopatibus præfuiſſe, nemo opinor aſſeruerit; ſed vni tum quidem, poſtea in tres partito. Quis autem credat, exili Chriſtianorũ numero eccleſias haſce diuulſas, eodem augeſcente, iterum in vnam coaluiſſe? Imò parochias à Dionyſio Papa circa annum Chriſti ducenteſimum ſeptuageſimum diſtinctas paſſim exiſſimant. Et cur Tungris potiùs Antiſtes proprius obtigiſſet, quàm eorum metropoli Agrippinæ? Planè vero propius abeſſe videtur, qui Treueris per ducentos ſeptuaginta circiter annos præfuere Pontifices, Agrippinẽſibus quoque ac Tungris eodem iure præfuiſſe: nec ante Conſtantini imperium, harum eccleſiarum diuulſionem inſtitutam, cùm iam ingens fidelium eſſet ad fidem acceſſio.

Nec diffidet Herigerus, etſi nullum, inter *Maternum* & *Nauitum*, inſerat Antiſtitem.

tiſtitem. Ait enim ingenuè: *Et hi, quorum Imperatorum vel Conſulum claruerint tempore; vel quos vita ſingulorum habuerit exitus, quotq́; annis adminiſtrauerint ſinguli officium Pontificatus; vel quis eorum ſepulturæ ſit locus; nullius à nobis requirat exactio: cùm eccleſiarum totius Galliæ memoriã aboleuerit facta per Hunnos euerſio.* Ita cautè & ſapienter Herigerus; qui tamen ſe ſingulorum Leodicenſis ſedis Pontificum tempora & geſta, quæ vndecumque potuere corradi, collegiſſe profitetur, & quidem inſtigante *Notgero* præſtantiſſimo Leodicenſiũ Epiſcopo ac pęnè fundatore; qui ad eam, quam ſemel inſederat, cathedram, illuſtrandam, nihil non protulit de theſauro mentis ſuæ ditiſſimæ. Si ergò etiam Herigeri confeſſione, nulla de Epiſcopis his exſtet memoria, quid prohibet ad probabiles coniecturas ſuſpicioneſque recurrere?

Eadem totidem pænè verbis notauit, qui Herigerum ducentis circiter & quinquaginta annis poſtmodum auxit & interpolauit, *Ægidius*, Aureę

 Vallis

Vallis monachus. Diſſentit tamen in horum Pontificum aſſignanda ſepultura, quam eccleſiæ S. Mariæ Tungris adtribuit. Sed vnde hic ſepulturæ locus, minùs Epiſcopo *Notgero*, vel Abbati *Herigero*, ea dignitate, ætate, & ſcientia viris, quàm *Ægidio* monacho, tanto ſeriùs innotuit? Scio, cui magis aſſentiri velim, cum quo ſecuriùs dubitare. Herigero certè per omnia adſtipulantur planiſſimè Treuerorum Annales: & ſi quis coniecturæ locus eſſet, longè potior Treuerenſiũ conditio foret. Quotquot enim Sanctorum Natales ſuis diebus adſcripſerũt, Beda, Ado, Vſuardus, Molanus, ac Romani potiſſimum Martyrologij tabulæ, dum Natales eorum memorant, ad Treueros referunt, ac Treuerorum appellant Epiſcopos. Nõ quod æquè Tungrenſibus nõ pręfuerint, ſed quòd Treueris, vrbe Galliarum excellentiſſima reſederint, ibidemque corpore exuti, fortè & ſepulti fuerint. Vnde etiam nullam videmus eorum in Tũgrenſis eccleſiæ Officijs memoriam, cùm

cùm in Treuerorum Officio Natales eorum celebrentur. & Nocturnũ habeant, auctore Molano.

De genere, annis, & tempore eorũ, idem ingenuè cum Treuerenſibus & Herigero fatetur *Ægidius*, nihil certi proferri poſſe. Hinc crebra me ſubijt admiratio, qua fronte ſcriptores recẽtiores ſingulorum horumce Præſulum ſtirpem ediſſerere, initia & exitus certis Chriſti annis adfigere adorſi ſint. Sic ferè *Ægidius Bucherius*, in Diſputatione Hiſtorica de primis Tungrorum Epiſcopis, edita Leodij anno 1612. cum Geſtis Pontificum Leodicenſium.

Ceterùm ex antiquioribus iſtis Treuerorum Epiſcopis, præter S. Maternum, quattuor, vt dixi, inueniuntur Romani Martyrologij tabulis adſcripti, videlicet *Auſpicius* 8. Iulij; *Felix* 26. Martij; *Martinus* 19. Iulij; & *Ruſticus* 14. Octobris. Præter iſtos *Marcellus* XX. Epiſcopus & martyr 4. Septembris; *Seuerinus* XXII. Epiſcopus 2. Decembris; *Florentinus* XXIII.

Epiſcopus 16. Octobris; *Agritius* XXIV. Epiſcopus 13. Ianuarij; *Maximinus* 29. Maij; *Paulinus* 31. Auguſti; *Nicetius*, 5. Decembris; *Magnericus* 25. Iulij; *Valentinus* XXVII. Epiſcopus Treuerenſis die 16. Iulij, iiſdem ſacris tabulis ſunt inſerti. De ſingulis dicetur ſuis locis.

Ex primis Tungrorum Epiſcopis, qui hac ſerie (vt ſupra ex Herigero Abbate Laubienſi dictum eſt) numerari ſolent, *Maternus*, *Nauitus*, *Marcellus*, *Metropolus*, *Seuerinus*, *Florentius*, *Martinus*, *Maximinus*, *Valentinus* & *Seruatius*, tres in Romani Martyrologij Faſtis ſunt noti: videlicet *Maternus* (qui & Treuerenſibus ac Colonienſibus præfuit, vt dixi) die 14. Septembris, *Martinus*, Haſbanorum Apoſtolus nuncupatus, 21. Iunij, & *Seruatius* 13. Maij.

Martij

Martij 28. *die*. *Martyrol. Rom.*

S. GVNTRAMNVS Rex Francorum.

GVntramnus Rex, ſpiritalibus actionibus ita ſe mancipauit, vt relictis ſæculi pompis, theſauros ſuos pauperibus & Eccleſiæ erogaret. Moritur, iuxta Sigeberti calculum, anno Chriſti quingenteſimo nonageſimo ſeptimo, ſepultus in baſilica S. Marcelli, quam in ſuburbano Cabilonẽſi erexerat. Multa de eo recitat Greg. Turonenſis Hiſt. Francorum lib. 9. cap. 21. & lib. 4. cap. 24. & lib. De Gloria Mart. cap. 76.

Martij 29. *die*. *Martyrol. Rom.*

S. Euſtachius ſiue Euſtaſius Abbas Luxouienſis, in d. Biſontina.

S. Euſtaſius Abbas Luxouienſis, ord. Benedictini, diſcipulus fuit S.

 Co-

Columbani, & ſexcẽtorum ferè monachorum pater, circa an. Chriſti ſexcenteſimum viceſimum quartum. Vitam eius à Surio editam ſcripſit non Beda, ſed Ionas Abbas: vt teſtatur Sigebertus lib. De viris illuſt. cap. 61.

B. STEPHANVS IX. Papa, Florentiæ conditus.

FVit Gothelonis Lotharingiæ Ducis filius, & ex Archidiacono Leodicenſi per S. Leonem IX. Papã creatus eſt Cardinalis. Factus Papa Theoduino Epiſcopo Leodicenſi miſit pretioſum ſuperhumerale, quod hodieque in baſilica cathedrali ibidem adſeruatur. Solent autem illud in humeris geſtare Epiſcopi Leodicenſes, ſi quando in feſtis ſolemnioribus Miſſæ ſacrificium celebrent. Obijt B. Stephanus an. 1098.

Martij 30. *die.*

S.VERONVS confeſſor.

SVnt qui volunt ipſum fuiſſe filium Ludouici Regis Alemanniæ, qui frater Caroli Calui Imp fuit, adeoque circa an. 870. floruiſſe. Eius tamē genealogiam prorſus latere ſcribit Olbertus Abbas Gemblacenſis, & Burchardi Wormatiēſis Epiſcopi præceptor, in hiſtoria tranſlationis eiuſdem & miraculorum manuſcripta. Idē nec S. *Veronæ* virginis mentionem facit, quam tradunt alij fuiſſe S. Veroni ſororem. Illud certò conſtat, S. Veronū Lembecâ Montes Hannoniæ à Raginero Comite Montenſi an. 1004. fuiſſe tranſlatum, & S. Veronum quieſcere in baſilica S. Crucis, inter Louaniū & Furam. Ceterùm vita SS. Veroni & Veronæ, quæ, incerto auctore, in Rubra Valle apud Bruxellam ms. exſtat, varijs de cauſſis nimis authentica nobis videtur, itemque Nic. Serario,

Soc. Ieſu Theologo, cui exemplar inde ſumptum aliquãdo miſimus. Iſtud certè, quod inter cetera ibi legitur, (S. Veronã Moguntiæ plurimùm, ſuo & poſterorum æuo, ob liberatam à malo igne ciuitatem, innotuiſſe) per litteras mihi ſignificauit Serarius, rerum Moguntinarum ſcriptor, numquã ſibi, alijſue viris Moguntiæ eruditis auditum fuiſſe, adeoque minùs probari. *Olbertum* porrò Sigebertus & Tritthemius libro de ſcriptoribus eccleſiaſticis memorant, & *Albertum* nõnumquam nuncupant.

APRILIS.

Kalendis Aprilis. Martyrol. Rom.

S. VVALERICVS Abbas.

FVit S. Columbani, Luxouienſis in Burguudia Abbatis diſcipulus, indeque ad diœceſim Ambianenſem venit, prædicandi Euangelij cauſſa. In qua quidem diœceſi *Leuconaum* monaſte-

naſterium ſtruxit, quod hodie eſt Benedictinorum Abbatia, S. Walerici titulo clara: vbi & obijt circa an. 630.

Aprilis 2. die.

Commemoratio Victorię contra Hũgaros, prope Laubium obtentæ.

AN. 955. barbara Hungarorum gens à Laubicſi monaſterio, quod obſidebant, pluuia prægrandi, & terrore diuinitus immiſſo eſt repulſa: vt fusè Folquinus Abbas in Chronico Laubienſi, & Sigebertus Gêblacenſis commemorant. Triennio pòſt eadem gens *Cameracum* obſedit, & viciniam omnem exuſſit: vt Baldericus in Chronico Cameracenſi lib. 1. cap. 74. tradit.

B. GENOVEFA Palatina.

VElut altera Suſanna emicuit pudicitia, patientia, & ſingulari Deiparæ cultu. Vitam eius ſcripſit anno 1472.

1472. Matthias Emmichius, Doctor Theologus ex ordine Carmelitano; exſtatque ms. Confluentiæ, in ditione Treuerenſi, apud Carthuſianos. Elogium eiuſdem publicauit Erycius Puteanus, Regis Catholici Hiſtoriographus.

Aprilis 4. die.

V. Hildebertus Abbas Gandenſis.

FVit Abbas non Blandinienſis, vt Meierus Annalium Flandriæ ſcriptor putauit, ſed Gandenſis ſeu Bauonicus. Chronicon ms. caſtri & cœnobij Gandẽſis notat eum an. 728. *VVilrado* ſucceſſiſſe, & pro cultu ſacrarum imaginum an. 752. à fautoribus Conſtantini Imp. Iconomachi interfectũ eſſe.

Aprilis 5. die. Martyrol. Rom.

S. VINCENTIVS FERRERIVS, ord. Prædicatorum.

POtens opere ac ſermone permulta Iudæorum, Saracenorum, aliorumque infidelium millia ad Chriſtũ conuertit. Varias cõcionando prouincias obiuit, in his & Flandriã: vt ex Meiero ad an. 1418. conſtat. Obijt in vrbe Veneta apud Britannos Aremoricos, miraculis clariſſimus, non 1418. ſed anno proximè ſequenti: vt Vincẽtius Iuſtinianus docuit.

B. Iuliana Cornelienſis virgo.

NAſcitur an. 1191. in diœceſi Leodicenſi, & anno ætatis quinto monialibus inſtituti Ciſtercienſis inſtituenda traditur. A teneris annis cultui ſacroſanctæ Euchariſtiæ mirificè fuit addicta. Quapropter inter cetera Chriſtus pijſſimę virgini reuelare dignatus eſt, ad fidei Catholicæ augmen-

tum,

tum, peculiarem Corporis & Sāguinis ſui feſtiuitatem inſtituendā. Quod quidem cùm viris primarijs, in his *Iacobo Trecenſi*, tunc Archidiacono Leodicenſi (qui poſtea fuit *Vrbanus* IV. Papa) aperuiſſet, ijdem negotium iſtud acriter promouerunt. Adeò vt paulò pòſt Officium proprium, cuius exordium eſt, *Animarum cibus*, hortatu Iulianæ, à Ioanne ord. Ciſtercienſis monacho ſit compoſitum, quod à ſuperioribus approbatum, Leodici, Tungris, & alibi in vſu fuit, priuſquā Officium à S. Thoma Aquinate concin-
Anno natum, auctoritate Vrbani IV. publi-
1264. caretur. De prima & vera origine Feſtiuitatis eiuſdem, exſtat Tractatus hiſtoricus à *Ioanne Chapeauillo*, Canonico & Vicario Leodicenſi ex authēticis hiſtorijs collectus, & tomo 2. Rerum Leodicenſium annexus. Iulianæ vita fuſiſſimè deſcripta exſtat apud Gillemannum in Rubra-Valle prope Bruxellam. Obijt an. 1257. condita in Villario, monachorum Ciſtercienſium Abbatia apud Brabantos.

Scripſit

Scripſit item Ioannes Blærus Diſtemius, Prior S. Iacobi Leodicenſis, libellum De reuelatione facta B. Iulianæ ſuper inſtitutione FeſtiuitatisV· Sacramenti, qui anno 1605. Duaci eſt editus cum Speculo magno Exemplorum.

Aprilis 7. die.

S. AIBERTVS monachus Criſpinienſis in Hannonia.

NAtus eſt in agri Tornacenſis vico, quem *Eſpeen* vocant, & monaſticā S. Benedicti regulam amplexus eſt Criſpinij, quæ vetuſta eſt apud Hannones Abbatia. Vixit quinque & viginti annis cellæ ſuæ incluſus; ſic tamen vt plurimis interea ad ſe confluētibus, & peccata ſua confitentibus aures daret, idque mandato Paſchalis & Innocentij Pontificum Romanorum. Obijt VII. Idus Aprilis an. circiter 1140. & vitam eius ſcripſit Robertus Archidiaconus Auſtrouandiæ, ad Aluiſum

uiſum Epiſcopum Atrebatenſem, quā Surius foras dedit.

B. Hermannus Steinfeldenſis, preſbyter & confeſſor ex ord. Præmonſtratenſi.

Steinfeldt.

VIxit & an. 1236. ſanctiſſimè obijt in Steinfeldenſi diœceſis Colonienſis Abbatia: vbi corpus eius è terra eleuatum viſitur. Ob morum ſimplicitatem, & ſingularem erga Deiparam adfectum, dictus eſt & *Ioſeph*. De vita illius ſcripſit Dialogum Raſo Bonus-vicinus, eiuſdem inſtituti Præmonſtratenſis Canonicus, qui apud Surium legitur.

Aprilis 9. die. Martyrol. Rom.

S. HVGO Rotomagenſis Epiſcopus.

PRæfuit aliquamdiu Eccleſijs Pariſienſi & Baiocenſi, itemque Abbatijs Gemeticenſi & Fontinellenſi, & an. 722.

an. 722. electus eſt Archiepiſcopus Rotomagenſis: vt Ioannes Chenutius in Chronologica Epiſcoporum Galliæ hiſtoria, Pariſijs 1621. edita, tradit. Baldericus Epiſcopus Nouiomenſis, in Chronico Cameracenſi lib. 2. cap. 29. narrat ipſum *Carlomanni* Regis filium fuiſſe, & relicto Epiſcopatu, monaſticen amplexum, ſub S. *Philiberto* fundatore & Abbate Gemeticenſi; indeque oſſa eius tranſlata, vnà cum S. *Aichadri* Abbatis Gemeticenſis oſſibus, ad villam *Haſprum*, quæ ſita eſt inter Cameracum & Valentianas: vbi ſacra vtriuſque lipſana hodieque adſeruantur in Præpoſitura Benedictinorum, ad Vedaſtinos ſpectante. *Haſpre.*

B. HVGO, Archiepiſcopus XLVIII. Biſontinus in Burgundia.

HVgo, cognomento *Salinarius*, clariſſima apud Salinas familia natus *Rodulphi* Burgundionũ Regis Capellanus, pòſt Abbas commendatarius ad S. Paulum in vrbe Biſontinenſi, ac

demum Archiepiſcopus Biſontinus fuit. Ante Epiſcopatum, reædificauit eccleſiam *S. Anatolij Salinenſis*, in eaque ordinem Canonicorum inſtituit. Idē eccleſiam S. *Pauli* (quæ à priſtino ſplēdore atque opibus, ipſi olim à S. *Donato* primo fundatore attributis, valdè defecerat) reſtituit, auxit, dotauit, multiſque Epiſcopis conuocatis, cōſecrauit. Eſt autem S. *Pauli* Abbatia Canonicorum hodieque regularium intra muros Biſontinos ſita. Collegium inſuper Canonicorum *B. Mariæ Magdalenæ*, eadem in vrbe fundauit. Obijt verò *B. Hugo*, anno circiter milleſimo, ſexageſimo ſeptimo, in dicto S. Pauli monaſterio conditus: vbi in media naui eccleſiæ tumulus eius cernitur. Vide plura apud Chiffletium in Veſōtione.

S. WALDETRVDIS Abbatiſſa, & tutelaris Montenſium in Hannonia.

14. *Iul.* CVm beatus *Vincentius*, relicto mūdi naufragio, monaſterij portum expetiuiſſet, Waldetrudis eius cōiux, diuina

diuina clementia inſpirante; calcare quoque ſæculum æſtimauit, ſanctoq; a:briata ſpiritu, à beato Autberto Cameracenſi Epiſcopo confortata, habitum ſancti velaminis ſumpſit. Deinde verò; ex ſuis dotalibus beneficijs & proprijs prædijs, in monte *Caſtriloco*, monaſterium in honorem S. Mariæ, ex ſententia & auctoritate eiuſdē B. Autberti, condidit. Vbi etiam, adſcitis non paucis familiaribus feminis, puritatem vitæ laudabilis ducens, cæleſti ſponſo obuiam itura, lampadem lucernæ ſibi inexſtinguibilis præparauit. Sic ferè Baldericus lib. 2. cap. 39. in Chronico Cameracenſi. *Mons en Haynau.*

Monaſterium iſtud hodie eſt prænobile virginum Canonicarum collegium, in vrbe Montenſi, apud Hannones, quæ fundatricis ſuæ ſacrum corpus ſumma religione adſeruant. Ceterùm caput S. Waldetrudis à reliquo corpore an. 1250. ſeiunctum eſt, ingenti pompa ac ſolemnitate, in ipſo Montenſis vrbis foro: qua de re diploma exſtat:

P. Albanenſis Epiſcopus, Apoſtolicus Legatus, Pruſſiæ & Liuoniæ Archiepiſcopus, Nicolaus Cameracenſis Epiſcopus, Margarita Flandriæ & Hannoniæ Comitiſſa, vniuerſis &c. ſalutem. Norint vniuerſi, quòd cùm eſſemus in eccleſia S. VValdetrudis, craſtino Octauarum S. Laurentij an. 1250. conſentiẽte Capitulo, præſentibus ijs, qui volebant adeſſe, capſam corporis eius aperuimus, & caput extraximus à corpore (toto corpore reliquo in eadem capſa remanente) vt illud idẽ caput in ſuo philaterio oſtendatur.

i S. Vincentius porrò ex Waldetrude coniuge proles quattuor, omnes cælo adſcriptas, ſuſtulit, *Landricum, Aldetrudem, Madelbertam,* & *Dentlinum.*

17. *April.* S. LANDRICVS quieſcit cum patre Sonegijs in Hannonia. Fuit is nõ Metenſis, vt Molanus & alij vulgò exiſtimant, ſed Meldenſis in Gallia Epiſcopus. Quod quidem primùm didici ex Balderici Chronico Cameracenſi, ad Gerardum II. Epiſcopum ante annos ferè 600. ſcripto, Georgij Coluenerij, Theologi & Cancellarij Duacenſis operâ, evulgato. Conſentiunt Ant. Demo-

Demochares, & Ioannes Chenutius in tabulis Epiſcoporum Meldenſium.

ALDETRVDIS ſiue Adeltrudis, & MADELBERTA, virgines, apud materteram B. Aldegundem in Melbodienſi monaſterio ſunt inſtitutæ. 25. *Febr.* 7. *Sept.*

S. DENTLINVS, puer ſeptem annorum, in albis obijt, & quieſcit Reſæ ad Rhenum in Cliuia, illius opidi patronus. 14. *Iul.*

S. ALDEGVNDIS, ſoror natu minor B. Waldetrudis, Melbodij ad Sabim fl. in Hannonia ſtruxit, & rexit vt Abbatiſſa monaſterium, quod nunc eſt nobilium virginum Canonicarũ collegium. Poſt cuius obitum Melbodiẽſi monaſterio prȩfuit *S. Aldetrudis*, & poſt ſororis obitum S. *Madelberta*. Aldegũdis porrò & Aldetrudis corpora Melbodij quieſcũt. Madelberta verò Leodicum tranſlata, ibidem in cathedrali S. Lamberti baſilica piè colitur. 30. *Ian.*

V. NOTGERVS Leodicenſis Epiſcopus.

VEnerabilis Notgerus, alter vrbis Leodicenſis, poſt S. Hubertum, velut conditor, fuit Antiſtes omnino egregius, vt qui plurimas ædes ſacras ſtruxerit & dotarit. Ac Leodici quidem tria Canonicorum collegia, *S. Ioannis Euangeliſtæ*, in Moſæ fluminis inſula, *S. Crucis*, & *S. Dionyſij* inſtituit. Machliniæ verò, quod olim ditionis Leodicenſis opidum pro parte fuit, XII. præbendas, vt vulgò vocant, ſeu potiùs præbenda in primaria *S.* Rumoldi baſilica fundauit. Ex eius contubernio Antiſtites clariſſimi, *Rothardus* & *Erluinus*, Cameracenſes, *VVazo* Leodicenſis, & alij prodierunt. Præfuit annos ſex & triginta, ſumma cum laude, & obijt V. Idus Aprilis an. 1107. conditus in S. Ioannis Euang. baſilica, à ſe ædificata. Res eius præclarè geſtas ex ms. tabula membranea eiuſdē baſilicæ Abrahamus Ortelius, ad calcem Itine-

Itinerarij ſui Belgici, typis Plantinianis euulgauit.

Aprilis 10. *die. Martyrol. Rom.*

S. Macarivs Epiſcopus Antiochenus, contra peſtem tutelaris.

RElicto Epiſcopatu Antiocheno, Hieroſolymam ad pia loca viſenda ſe contulit; varijs demum prouincijs luſtratis in Belgicam venit, floruitque miraculis *Machliniæ, Malbodij, Cameraci, Tornaci*, & alibi. *Gandauum* nouiſſimè profectus, ibidem in Bauonica Benedictinorum Abbatia annum ferè ſubſtitit, ac peſte demum correptus an. 1012. pijſſimè obdormiuit. An. 1067. corpus omnino integrũ, *Balduinus* Nouiomẽſis, & *Lietbertus* Cameracẽſis Epiſcopi VII. Idus Maij eleuarũt, *Philippo* Francorum Rege, *Balduino Inſulano* Flandriæ Comite, eiuſque filio *Balduino* Hannoniæ Comite, & alijs proceribus adſtantibus. Hiſtoria vitæ & eleuationis, *Sigeri* tunc Abbatis man-

mādato ſcripta, apud Surium legitur. An. 1615. ſacra eius oſſa Mōtes Hanoniæ, ad propulſandam luem epidemicam, qua tunc ea vrbs grauiſſimè laborabat, ſunt tranſuecta, magno ciuium bono. Quæ quidem feretro argenteo, affabre elaborato, à Montenſibus, in beneficij accepti memoriam, incluſa, menſe Iulio anni proximè ſequentis, magna pompa Gandauum ſunt reuecta, vbi in baſilica cathedrali religioſè adſeruantur.

Aprilis 12. die. Martyrol. Rom.

S. ERQVENBODO ſeu Erkenbodo, Epiſcopus Morinenſis.

FVit diſcipulus S. Bertini, & creatus eſt Abbas quartus monaſterij Sithienſis (quod hodie Bertinianum dicitur) anno ſeptingenteſimo decimo, ac demum Epiſcopus Morinenſis ſeu Teruanenſis. Munus vtrumque annis ſex & viginti ſedulo obiuit, obijtque anno ſeptingēteſimo triceſimo quarto,

to, in S. Mariæ baſilica (quam S. Audomarus Epiſcopus Morinenſis priùs dedicarat) conditus. Eſt ea facta cathedralis Audomaropolitana a. 1559. per Paulum IV. Papam: ibique corpus S. Erkenbodonis religioſè adſeruatur in ara ſumma. Vita eius fusè deſcribitur à Ioanne Iperio, Abbate & Chronographo Bertinenſi, nondum typis edito.

Memoria victæ Conſtantinopolis per Latinos.

VRbis huius regiæ diem genethliacum Græci in ſuo Menologio annotant: maioribus itaque noſtris potiori iure memoranda fuit Victoria illius vrbis à Gallis ac Venetis anno 1204, occupatæ. Subacta namque Conſtantinopoli, victores Balduinum Flandriæ Hannoniaque Comitem, communibus ſuffragijs cùm Orientis Imperatorem renuntiaſſent, is Græcã mox Eccleſiam Romanæ audientem atque concordẽ reddidit. Cuius vnio-

nis ab Innocentio Papa in cõcilio IV. Lateranenſi fit mentio. De capta per noſtros Conſtantinopoli exſtat prolixa eiuſdem Balduini Imp. Epiſtola,
Soigny. in archiuis collegij Canonicorũ Sonegijs in Hannonia. Plura vide apud Gretſerum in tomis de Cruce.

Aprilis 13. *die.*

B. IDA Comitiſſa Bolonienſis ad Oceanum, in tractu Caletano.

FVit ea mater *Godefridi Bullonij* & *Balduini*, poſtea Regum Hieroſolymitanorum: quæ in Flandriæ monaſ-
Waſt. terio Waſtenſi iacet ſepulta, virtutibus & miraculis clara. Ad hunc locum petierat ipſa monachos quoſdã mitti
29. *Apr.* à B. *Hugone* Cluniacenſi Abbate. Plura vide apud Iperium in Chronico ms. Bertinenſi, & apud Ioannem Goropiũ Becanum lib. 1. Originum Antuerpienſium. Idæ pietas ac liberalitas erga monachos Affligemienſes in Brabãtia agnoſcitur ex iſto diplomate: *Ego Ida Bolonienſis Comitiſſa, humilis Chriſti ancilla*

ancilla &c, in allodio meo & villa, quæ vocatur Genapia, pro ſalute animæ meæ, patris quoq; mei Ducis Godefridi, & Comitis Euſtathij Domini mei, eccleſiam cum decimis, & vniuerſis eius reditibus, dedi fratribus noui monaſterij, cui vocabulum Hafflingem; in idipſum filijs meis Godefrido, Euſtathio, & Balduino mihi cooperantibus. Filius quoque meus Dux Godefridus, in eadem villa Genapia, quinque manſos terræ donauit ijſdem fratribus, ad quos ego poſtea in augmẽtum conceſſi quaſdam partes circumiacentes. Factum eſt autem hoc Incarnationis Domini anno milleſimo nonageſimo ſexto: anno etiã profectionis Chriſtianorum contra paganos in Ieruſalem. Diploma integrum exſtat in Chronico noſtro Benedictino cap. 70. & in Codice diplomatum veterũ, breui à nobis edendo. *Genap in Gallo-Brabantia.*

Aprilis 14. *die. Martyrol. Rom.*

S. LAMBERTVS Epiſcopus Lugdunenſis.

NAtus eſt familia nobili in territorio Teruanenſi, & ſucceſſit *VVan-*

dregi-

dregiſilo in regimine monaſterij Fōtanellenſis, & S. *Geneſio* in Epiſcopatu Lugdunenſi. Claruit circa annum ſexcenteſimum ſeptuageſimum, vt Iacobus Seuertius in Chronologia hiſtorica Antiſtitum Lugdunēſium tradit.

B. LIDVINA, ſeu LIDVIGIS, virgo Schidamenſis in Hollandia.

VErum patientiæ exemplar hanc virginem Hollandicam meritò quis nuncupet. Nam ægritudines varias, eaſque grauiſſimas annis triginta octo patiētiſſimè tulit: ac demum anno Chriſti 1433. ætatis 53. ſanctiſſimè in Domino obdormiuit. Plurimis virtutibus, viſionibus, ac miraculis claruit, quæ *Ioannes Brugmannus*, Franciſcanus, à Surio editus, & *Thomas Kempenſis* fusè deſcripſerunt. Oſſa pijſſimę virginis *Albertus* & *Iſabella*, Belgarum Principes, Schidamo Hollandiæ opido Bruxellam ſecretò transferenda curarunt, ne à Caluinianis violarentur. De qua tranſlatione exſtat diplo-

ma

ma Matthiæ Houij, Mechliniēſis Archiepiſcopi.

Matthias, Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia, Archiepiſcopus Mechlinienſis, omnibus has viſuris ſalutem in Domino. Cùm iuxta morem Eccleſiæ, teneantur Chriſti fideles omni veneratione ſacras Beatorum reliquias, quæ habitacula S. Spiritus, & hoſpitium felicium animarum in hoc mundo fuerunt, proſequi; ne interim fraudes & impoſturæ circa eas erroris dent occaſionem & ſcandali, præcipit ſacroſancta Tridētina Synodus nullas publicè honorandas exponi, niſi ab Ordinarijs loci de veritate earum cognoſcatur. Cùm itaque, ex parte Sereniſſimorum Principum noſtrorum, nobis fuerit expoſitum, qualiter oſſa ſiue corpus B. Liduinæ ex poteſtate hæreticorum vindicauerint, idemq́; per ſacerdotes & teſtes idoneos exhumatum, eleuatum, & Bruxellam, Dei fauore, ſit tranſlatum: Nos viſis auditiſq́; proceſſu verbali, & depoſitione teſtium, miraculorum multitudine, tam ipſa viuente quàm poſt obitum, eius interuentu patrata, conſideratiſq́, quæ in ſimilibus conſiderari ſolent & debent, auctoritate noſtra ordinaria, permittimus dictas B. Liduinæ reli-

reliquias cum cerimonijs & honore debito exponi, & Chriſti fidelibus venerãdas proponi. Quod vt ſtudioſiùs fiat, omnibus Chriſti fidelibus ante dictas reliquias, in humilitatis ſpiritu & corde contrito, preces fundẽtibus, pro ſanctæ matris Eccleſiæ, Principum Chriſtianorum concordia, & hæreſis extirpatione deprecantibus, de omnipotentis Dei miſericordia, beatiſſimæ Virginis Mariæ, & SS. Petri & Pauli; nec non aliorum Sanctorum & Sanctarum interceſſione confiſi, 40. Indulgentiarum dies miſericorditer in Domino elargimur. Datum Mechliniæ ſub manu & ſigillo noſtris proprijs, anno Domini milleſimo ſexcenteſimo decimo ſexto, menſis Ianuarij 14. die.

Dicta B. Liduinæ oſſa, argenteæ arcæ incluſa, in ſuo oratorio domeſtico Sereniſſima *Iſabella Clara Eugenia*, Hiſp. Infans, adſeruat: ex quibus os vnum prægrande, cruci argenteæ ac vitro criſtallino incluſum, an. 1616. ab eadem Infante, eiuſque marito *Alberto Pio*, per me *Aub. Miræum*, dono miſſum eſt illuſtri nobilium virginum Canonicarum collegio Montenſi in Han-

Hannonia (quæ vrbs lue tunc peſtilēti laborabat) & die 14. Septembris collocatum ibidem in baſilica S. Waldetrudis, per *Henricum Franciſcum Buſignium*, Abbatem S. Dionyſij, vniuerſo Clero, Senatu, ac populo comitante. Nec pietati merces defuit; ceſſante nimirum ex eo tempore epidemia.

Aprilis 16. *die. Martyrol. Rom.*

S. DROGO confeſſor, patronus calculo & hernia laborantium.

NAtus eſt familia nobili in *Spineto*, Arteſiæ pago, qui apud Baſſæam opidum viſitur, Principatus titulo clarus, ſpectatque ad gentem Meluniam ſeu Melodunenſem. Grandior factus, Romana SS. Petri & Pauli limina, aliaque pia loca viſitauit. Laboribus demum, ruptaque ventris pelle impotens factus, iuxta Seburgenſe templū cellulæ ſe incluſit, in qua annis 45. ſanctiſſimè exactis, demum an. 1186. viuere deſijt. Ad eius tumulum plurimi

Eſpinoya

Sebourg

rimi calculo & hernia laborantes valetudinem recuperarunt ; in his iam olim *Ioannes* Hollandiæ & Hannoniæ Comes: vt Iacobus Guiſius in Annalibus Hannoniæ narrat, quibus integram vitæ S. Drogonis hiſtoriam inſeruit. Multi etiam noſtra patrumque memoria ibidem ſunt curati : inter alios P. *Claudius Viuarius*, ord. Minimorum in Belgio Pręfectus Prouincialis, poſt votum S. Drogoni factum, anno Chriſti 1620. ætatis 52. curatus eſt ab hernia, qua annis 17. laborarat. Eſt autem Seburgum Hannoniæ pagus, ſecundo à Valentianis milliari ; multorum piè peregrinantium concurſu celebris, vt & inde S. Drogonis cognomentum induerit. *Sainct Druon.*

Aprilis 17. *die.*

S. LANDRICVS Epiſcopus Meldenſis.

LAndricus, filius S. Vincentij & S. Waldetrudis, Hannoniæ Comitũ, fuit

it Epiſcopus non Metenſis in Lo- *Mets.*
aringia (vt nonnulli ſcripſerunt) ſed
Ieldēſis in Gallia: quod didici ex Bal- *Meaulx*
erici Chronico Cameracenſi l. 2. c.
6. & ex collatis cum eo tabulis An-
ɔnij Democharis, qui illum nūcupat
piſcopum XXIV. Meldenſem. Flo-
uit autem circa annum Chriſti ſexcē-
ſimum ſexageſimum aut ſeptuageſi-
ıum. Sacrum eius corpus in capſa
rgentea adſeruatur Sonegijs (quod *Soignij.*
ſt Hannoniæ opidum inter Hallas &
Iontes, Hannoniæ metropolim) à
ollegio Canonicorum, quod ibidē S.
'incentius inſtituit ac dotauit; vbi &
uieſcit in alio feretro argenteo.

.GERVINVS, Abbas ſecundus Aldē-
burgenſis in Flandria.

Hieroſolymam bis adijt, Romā &
alia ſancta loca inuiſit: annis 40.
carnibus abſtinuit. Abbatiali demū
ignitate abdicata, in Waſiam ad ſil-
am *Coſfort* ſeceſſit: vbi ædificato ſa-
ello, an. 1117. viuere deſijt. Vitam
N eius

eius ſcripſit *Hariulphus*, in Abbatiali regimine ſucceſſor.

B. Aia Comitiſſa Hannoniæ.

SAnguine iuncta fuit S. Waldetrudi, & maritum habuit S. *Hildulfũ*, Ducem Laubienſem, cuius oſſa Binchij adſeruantur; vt infra 23. Iunij dicetur. Aia quieſcit Montibus Hannoniæ, in eccleſia S. Waldetrudis, cui varia prædia contulit; vt Guiſius in Annalibus Hannoniæ lib. 11. cap. 4. narrat. Nondum è terra eſt eleuata: eius tamẽ memoriam facit Eccleſia Montenſis in Litanijs.

Aprilis 19. die. Martyrol. Rom.

S. VRSMARVS Epiſcopus & Abbas Laubienſis.

Eius. INter Belgica ſacris Cęlitum pignoribus illuſtria opida, *Binchium*, quod eſt in Hannonia haud procul à Mariæ-Monte ſitum, meritiſſimo iure obtinet prin-

principatum. Eſt in eo collegium Canonicorum, quod octo Diuorum corpora, *Vrſmari*, *Ermini*, *Theodulſi*, *Vlgiſi*, *Amoluini*, *Abelis*, *Hildulſi*, & *Amelbergæ*, totidem feretris argenteis concluſa, atque ex vicina Laubienſi Benedictinorum Abbatia an. 1409. tranſlata, religioſè adſeruat. Ex his priores quinque, Epiſcopi atque Abbates Laubienſes à nouem retrò ſæculis fuerunt; *Abelem* Remi Archiepiſcopũ laudarunt; *Hildulfus* Princeps Laubičſis, circa an. 660. floruit; *Amelberga*, S. Gudilæ, Bruxellenſium patronæ, mater exſtitit. Horum lipſana, ſe præſente, *Albertus Pius*, Belgarũ Princeps, à *Franciſco Burchio*, Archiepiſcopo Cameracenſi, cærimonia inſigni, viſitanda curauit. Ceterùm menſe Iulio ineunte, quotannis, magno hominum concurſu, Diui Binchienſes, ſolenni ſupplicatione, per opidum piè circũferuntur: cui exornandæ, idẽ Princeps varias ex auro, argento, ac ſerico vmbellas, & alium ornatum pretioſum dono dedit.

15. Aug. *23. Iunij* *10. Iulij*

N 2 Vrſma-

25. *Apr.* Vrſmarus porrò ex villa *Fleon* quæ infra ſiluam Teraſciam ſita eſt, oriundus fuit: quem pijs moribus præditũ, & in functoria tantùm prædicatione ſacratum Epiſcopum, *S. Landelinus* Laubienſi monaſterio à ſe fũdato præfecit. Hoc igitur doctore, & dein *Ermino* ſuccedente, locus iſte mirificè *Fleon.* effloruit: vt Baldericus in Chronico Cameracenſi lib.2.cap.37.loquitur.

S. LEO Papa IX.

IN Alſatiæ finibus an. 1002. natus eſt Bruno, patre *Hugone* Comite, Conradi Imperatoris conſobrino, & *Heluide* matre. Herimanno Leucorum ſeu Tullenſium Epiſcopo defuncto an.1026.ſufficitur. Demum an. 1048. die 12. Februarij Papa creatur, adſũpto Leonis IX. nomine. Poſt Pentecoſten, *Coloniam Agrippinam* venit, cũ *Henrico* Imperatore, & ab Herimanno Archiepiſcopo honorificè ſuſcipitur. *Cuius rogatu Eccleſiæ Colonienſi metropolitanæ*

Wiber-tus l. 2. c. 4.

tanæ hoc priuilegium conceſſit, vt ad altare S. Petri ſeptem presbyteri Cardinales quotidie diuinum celebrent officium in ſandalys. Dedit eidem Archiepiſcopo officium Cancellary S. Romanæ Sedis, eiuſq; ſucceſſoribus, tribuens illi Eccleſiam S. Ioannis ante portam Latinam. Hinc, inuitatus ab Herimaro Abbate S. Remigy, Remos abyt, & illius cœnoby eccleſiam recens exſtructam conſecrauit. Hiſtoria dedicationis iſtius Remis ms. exſtat, vt & Itinerarium ab *Anſelmo* monacho Remenſi litteris conſignatum, cuius Sigebertus libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis meminit.

Eodem anno neptem ſuam *Richildem*, Hermanni Hannoniæ Comitis viduam, in *Bello-monte* opido viſitauit, & capellam S. Venantij, in caſtro eiuſdem loci, conſecrauit. Iuxta *Condatum* baſilicam Xenocdochij de *Macourt*, & *Valentianis*, prope muros, capellam alterius Xenodochij in honorem S. Michaelis dedicauit: vt Iac. Guiſius tomo 3. Annalium Hannoniæ commemorat.

Beaumont.

Condet.

Valenciennes.

Leodico ſecum in Italiam abduxit Fredericum, illius Eccleſiæ Archidiaconum, qui poſtea *Stephanus IX.* eo nomine Pontifex fuit. Eo ipſo anno *Remis* concilium habuit initio menſis Octobris.

An. 1050. poſt Paſcha Romæ habita Synodo, & altera Vercellis in autumno, Gallias & Epiſcopatum ſuum Tullenſem reuiſit. Anno 1052. Lietbertus Cameracenſis Epiſcopus, iuſſu Leonis Papæ, Balduino Flandrenſi, (qui anno ſuperiore Richildem ſibi iunxerat) ſacris interdicit, ob nuptias illicitas & raptum. *Meierus.* An. 1053. Leo Papa XIV. Kal. Iulij pugna aduerſa cōtra Normānos in Apulia capitur: vt Lamb. Scafnaburgēſis in Chronico ſuo refert. Cùm Romā redijſſet, & *Gerardū* Tullēſem Epiſcopū in Diuos retuliſſet, XVI. Kal. Maij an. 1055. deceſſit. Homilias, Epiſtolas, & alia ingenij monumenta, typis edita, Bellarminus lib. de Scriptoribus, Eccleſiaſt. enumerat. Res eius geſtas Wibertus Archidiaconus, coætaneus, libris duobus

bus deſcripſit, quos Iacobus Sirmondus, Soc. Ieſu presbyter, Lutetiæ typis Niuellianis publicauit.

Leoni in Pontificatu ſucceſſit Gebehardus Eiſtatenſis Epiſcopus, *Victor II.* nuncupatus, Victori anno 1057. Fredericus, Godefridi Arduennæ Ducis frater, nuper Archidiaconus Leodicenſis, *Stephanus IX.* dictus : de quo ſupra 29. Martij egimus.

Præter Leonem IX. Belgica noſtra & alium Pontificem Romanum, videlicet *Innocentium II.* vidit ; qui è Francia veniens, per *Nouiomum* & *Cameracum*, XI. Kal. Aprilis, Dominica tertia Quadrageſimæ, *Leodici* à Lothario Rege an. 1131. exceptus eſt. Dominica ſequenti, à baſilica S. Martini in monte, ad S. Lamberti cathedralem idem deſcendit, ibiq; Miſſæ ſacrificio celebrato, Regem & Reginam coronauit. Eodem anno *Bruxellam* veniens templum S. Ioannis, in maiore vrbis Xenodochio, conſecrauit.

Aprilis 19. *die.*

S. WERNERVS, poſtremus Germaniæ martyr, à Iudęis occiſus.

IVdæorum in Chriſtianos rabies nemini ignota. *Simonem* puerum Tridentinum an. 1475. ſuſtulerunt; quem miraculis clarum Officio proprio colunt Tridentini, permiſſu Sixti V. Papæ: vt Ph. Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ tradit. Nordouici in Anglia an. 1235. *Guilielmum* ſimiliter puerum in crucem egerunt: vt Pol. Vergilius, & Nic. Harpſfeldius in Hiſt. Angl. & Vincentius in Speculo commemorat. Ne ſuus iſto in genere martyr Germaniæ deeſſet, an. 1287. die Paraſceues, qui tunc erat 19. menſis Aprilis, in Veſalia ſuperiore, *VVernerum* adoleſcentem crudeliter forcipibus & cultro dilaniarunt. Natus is fuerat in *VVammenrato* vel *VVammerano* pago, qui diei vnius ſpatio abeſt Baccharaco opido, in Palatinatu ad Rhenum ſito. Itaque poſt

S. Simō. 24. Martij. — *S. Guilielmus 11. Martij.* — *VVeſel.*

poſt mortem corpus Baccharacum eſt deportatum, & in ſacello, quod in colle hodieque viſitur, honorificè depoſitum. Cuius meritis cæci, ſurdi, muti, claudi, paralytici, & alij varijs morbis laborantes ſunt curati. Sacrum iſtud corpus, ob hæreſim Lutheranam primò, pòſt Caluinianam in Palatinatum introductam, ibidem muro incluſum vſque ad menſem Martiũ anni 1621. latuit: quo anno iuſſu *Ambroſij Spinulæ*, Marchionis Seſti, ſtudiosè quæſitũ inventum, & per R. P. *Thomam Saillium*, Bruxellẽſem, Soc. Ieſu presbyterum, in arcula decẽter collocatũ eſt, ac Bruxellam tranſlatum. Oſſa tamẽ aliquot minora ſunt depoſita in Moguntino Soc. Ieſu collegio, vt ſi quãdo Catholica Religio apud Baccharacenſes reſtituatur, aliquod martyris ſui monimentum habeant.

Anno 1548. *Ioannes Chuppinus*, Canonicus *S.* Mariæ Magdalenæ in vrbe Veſontina apud Burgundos, eiuſdem martyris digitum indicem dextræ manus, cum parte ſudarij eiuſdem, ex opi-

do Baccharacenſi ad illam Veſontinā baſilicam, *Ioanne* Treuerenſi Electo, & *Frederico* Comite Palatino, conſentientibus, tranſtulit: quæ ibidem hodieque adſeruantur. Ex eo tempore Biſontini viticolæ, magna pars plebis, *S.* Wernerum ſeu Vernerium, vt ipſi vocant, ſibi patronum adoptarūt; eſtque ſub illius nomine ac patrocinio inſtituta ſodalitas in dicta *S.* Magdalenæ baſilica; vt Chiffletius in ſua Veſontione narrat. Exſtat eadem in vrbe edita vitæ *S.* Werneri hiſtoria, idiomate Gallico.

S. Vernier.

B. BERNARDVS, cognomento POENITENS, monachus Bertinenſis.

HVnc propter miracula, in vita & ad tumbam facta, *S*anctorū collegio aggregatum pietas credit Eccleſiæ. Fuit natione Prouincialis, ex diœceſi Magalonenſi, & an. 1183. obijt. Vitam eius ſcripſit quidam nomine Ioannes, iubente *S*imone Abbate, qui

qui beatum virum in monachum adſumpſerat; exſtatque ms. Andomaropoli in D. Bertini cœnobio.

Aprilis 20. *die.*

B. ODA virgo, & monialis inſtituti Præmonſtratenſis in Hannonia.

NObilibus parentibus *VViberto* & *Theſcelina* nata in Hannonia, & per *Odonem* Abbatem Bonæ Spei, in propoſito ſeruandæ virginitatis confirmata, carnales ſpreuit nuptias. Ad quas ne inuita à patre traheretur, naſum ſibi ipſa præſcidit, eo nomine martyribus meritò annumeranda. Veſtem itaque monaſticam ord. Præmõſtratenſis à dicto Odone accipiẽs, virginum cœnobium haut procul à Bonæ Spei Abbatia olim ſitum (quod nunc deſijt) eſt ingreſſa; in quo Prioriſſa XII. Kal. Maij an. 1158. viuere deſijt. Sepulta eſt in dicto Bonæ Spei monaſterio: certus tamen tumuli locus

cus hodie ignoratur. Vitam illius eleganti ſtilo ſcripſit Philippus Bonæ Spei Abbas, Bernardo Clareuallenſi coætaneus, exſtatq́; inter Opera eiuſdem Duaci nuper edita.

B. HILDEGVNDIS, virgo & monialis in Schonaugia, ord. Ciſtercienſis cœnobio.

QVamquam ſacræ litteræ, & litterarum ſacrarum interpretes, Tertullianus, Cyprianus, & alij hos ſecuti, rem Deo inuiſam & abominandam tradant, ſi vir feminam aut femina virum ſimulet; exponunt tamē legem ſacri & politici ſcriptores, licere pio certoq́ue fine nonnumquam veſtem & nomina permutare, cùm id periculum innoxiæ vitæ vel pudoris, vel etiam honeſta piaq́ue cauſſa permittunt vel exigunt. Quod vſque adeò certum eſt, vt multæ cùm virgines, tū matronæ, miris claræ factis & operibus, in Diuorum cenſum venerint. Quales memorantur *Eugenia*, quæ ſe

Euge-

Eugenium dixit, cuius laudes omnia Martyrologia, cum Alcimo Auito, Fortunato, Altelmo, Metaphraſte præ dicant; *Euphroſina* Smaragdus non vano nomine appellata; *Pelagia* ſeu Pelagius, *Theodora Alexandrina*, *Antonina*, *Athanaſia*, *Suſanna*, *Marina*, *Anaſtaſia patricia*, *Anna*, *Matrona*, anonyma quoque illa à Sophronio in Prato ſpirituali c. 170. laudata; & *Glaphyra* virgo, Conſtātiæ Auguſtæ, Conſtantini M. ſororis, Licinij coniugis, pediſequa (de qua Baronius ad an. 316.) *Iachelina* virgo illuſtris, & ſoror Comitis Apuliæ (de qua Speculum magnum Exemplorū) denique *Hildegundis*, quæ ſe Ioſephum nominauit: cuius Acta quamuis à Cæſario referantur, certiora tamen ex ſcriptore virgini coætaneo Matthæus Raderus in Viridario Sanctorum cōmemorat: ad quem remitto Lectorem curioſum.

Fuit autem nata Noueſij, vulgò Nuſſiæ, quinto infra Coloniā Agrippinam lapide, & an. 1188. beatam Deo animam reddidit. A morte, cùm virgineum

gineum corpuſculum, vt mors fert, lauaretur, ex faſcia pectorali, qua tumorem vberum coërcuerat, pro femina eſt agnita. Sic patrum memoria, apud Hiſpanos B. *CatharinaCardona*, nobiliſſimo Ducũ Cardonæ ſtirpe nata, veſtẽ monaſticam Carmelitanam, virili nõ abſimilem, induit, & multis annis in eremo auſteriſſimè vixit, ac demũ an. 1577. ſanctiſſimè obijt. Vitam eius breuiter deſcripſit S. Tereſia in libro Fundationũ ſui ordinis Carmelitani, vbi de Villa-noua agit, & fuſiùs R. P. Thomas de Ieſu Bracienſis.

V. Wolbodo Epiſcopus Leodicenſis.

Anno 1017. BAldrico vir ſanctiſſimus ſucceſſit, S. Iacobi monaſterium Leodicenſe perfecit, & an. 1021. ad meliorem vitam tranſijt, in Abbatia Benedictinorum S. Laurentij, ad muros vrbis Leodicenſis, conditus: cui Abbatiæ multas res ſacras dederat.

Aprilis

Aprilis 23. die. Martyrol. Rom.

S. GERARDVS Epiſcopus Tullenſis in Lotharingia.

LEo IX. Papa, antea Tullenſis Epiſcopus, ex Apulia Romam reuerſus, *& ſuperna admonitus reuelatione, beatum Gerardum ſuæ ſedis, Leucorum videlicet, olim Præſulem in numero Sanctorum computandum ſtatuit; eodemq́ anno in patriam regreſſus, ipſius ſanctos artus cum ſumma gloria tranſtulit: quæ omnia in eius Vita & Miraculis dilucidè exarata ſunt:* vt Wibertus Archidiaconus lib. 2. de rebus geſtis eiuſdem Leonis cap. 6. loquitur. Sigebertus in Chron. ad an. 1052. eadem ferè refert.

Aprilis 24. die. Martyrol. Rom.

S. EGBERTVS Abbas, in Huienſi inſula.

EGbertum presbyterum (à quo S. Willibrordus & ſocij, ad prędicandum

dum Euangelium, in Germaniã noſtram miſſi ſunt) an. 728. obijſſe Beda lib. 5. Hiſtoriæ Anglorum cap. 23. ſcribit. Idem tamen, in Epitome hiſtoriæ, vult eum ſequenti demum anno deceſſiſſe. Vixit autem in Huia ſeu Hoia inſula, quæ hodie *Iona* dicitur, ſpectatque ad regnum Scotiæ. In ea reſidere ſolet Hebridum inſularum Epiſcopus, cuius propria ſedes erat opidũ *Kolmkill* vulgò nuncupatum, quod Latinis eſt *S. Columbæ cella ſeu eccleſia*. Vide Notitiam noſtram Epiſcopatuum, typis Plantinianis editam.

Aprilis 25. die. Martyrol. Rom.

S. ERMINVS Epiſcopus & Abbas Laubienſis ad Sabim fl. in agro Leodicenſi.

Laon HIc vir vitæ laudabilis, & non parum prædiatus, de pago Laudunenſi oriundus exſtitit, & de die in diẽ in bonis operibus proficiens, omnium virtutum cluebat exercitijs. Quem, quia

quia odor bonæ opinionis illius longè latèque increbuit, beatus *Vrſmarus* Epiſcopus, Laubienſe monaſterium *Lob.*
regens, ſæpiùs accerſiuit, diemque ſuæ vocationis imminere intelligens, ipſum rectorem monaſterij, officijque ſui poſt ſe ſupparem & miniſtrū, Pontificemque delegit. In functione igitur vicaria ſubrogatus, totum ſe in diuinis cultibus propenſiùs mancipauit, ſuique magiſtri forma inſtructus, de creditis ſibi ouibus curam ſollicitè geſſit. Prædium etiam ſuum *Ercli* in vſibus fratrum expendit. Poſtquam verò ambo ad remunerationem vocati, primò quidem B. *Vrſmarus*, dein vir Dei *Erminus*, in parochiali eccleſia Laubienſi tumulati fuiſſent, tot & tãtis munificentijs locus ille donatus eſt vt monaſterio facto, Canonici eò mitterentur. Sic ferè Baldericus lib. 2. cap. 38. in Chronico Cameracenſi. Ceterùm B. Ermini, & aliorum Diuorum corpora Laubio Binchium anno 1409. cum Canonicorum collegio ſunt tranſlata. Laubijs tamen hodie-

que in crypta baſilicæ parochialis tumuli ſpectantur SS. *Vrſmari* & *Ermini*, vt & S. *Seruatij* apud Traiectenſes, & *S. Huberti* apud Leodicenſes in æde D. Petri, ſimiliter in cryptis.

S. FLORIBERTVS Epiſcopus Leodicenſis, S. Huberti filius.

HVnc non ſpiritualem tantùm, ſed carnalem S. Huberti filium fuiſſe, contendit Ioannes Roberti, Soc. Ieſu Theologus, in Notis ad Hiſtoriam S. Huberti, an. 1621. Luxemburgi editam. Nec eſt, cur cuiquam id vel abſurdum, vel mirum videatur, cùm ipſum habuiſſe vxorem conſtet, quam nonnulli *Floribanam* nuncupant. Patri autem ſuo an. 727. defuncto in Epiſcopatu ſucceſſit, & an. 746. obijt.

Aprilis 26. die. Martyrol. Rom.

S. RICHARIVS Abbas Centulenſis.

CLaruit is circa annum Chriſti ſexcenteſimum triceſimum, & quieſcit

cit in opido ſui nominis & monaſte- *Sainct*
rio Benedictinorū, haut procul à Ca- *Riquier.*
letibus ſito. Cùm à Giſſemaro & S. Mauronto fundum in ſilua Kerſiacēſi apud Flandros accepiſſet, ibidem monaſteriū excitare cœpit, quod poſtea Broilenſe dictū eſt, & ab ipſo S. Mauronto inhabitatum. Vitam eius à Surio editam Albinus Flaccus ad Carolum Magnum Imp. ſcripſit. De eodem fusè Baronius ad an. 631. & 640.

Aprilis 27. die.

V. Conradus Epiſcopus Vltraiectinus.

CVm in occidua vrbis parte baſilicam Canonicorum ædificaret, an. 1098. feria 4. Paſchæ poſt Miſſæ ſacrificium à ſe celebratum, ab architecto Friſio eſt trucidatus, & in eadem æde à ſe edificata, à clero ac populo honorificè tumulatus. Sigebertus eius obitum ad annum proximè ſequentem refert. De eius laudibus multa legun-

 tur,

tur, apud Ioannem Becanum, & Guil. Hedam, rerum Vltraiectinarum ſcriptores.

Aprilis 29. die. Martyrol. Rom.

S. HVGO Abbas VI. Cluniacenſis.

ANno 1109. obijt; cuius Acta, ab Hugone monacho Cluniacenſi cõſcripta, exſtant apud Surium. Vide Bibliothecam Cluniacenſem, Pariſijs opera Andreæ Quercetani editam, & Origines noſtras Monaſticas lib. 2. cap. 2.

S. ROBERTVS Abbas & fundator ord. Ciſtercienſis. *Martyrol Rom.*

CIſtercium, ordinis caput, an. 1098. in Burgundiæ Ducatu, fundatur à S. Roberto, Abbate Moliſmẽſi. Obijt autem die 9. non autem die 29. Aprilis: ſed qno anno, nondum mihi conſtat. Diuis adſcriptus eſt per *Innocentium III.* Papam: cuius diploma Querceta-

cetanus in Notis ad Bibliothecã Cluniacenſem recitat. De Belgicis huius inſtituti cœnobijs vide Chronicon noſtrum Ciſtercienſe, in Vbijs editũ.

B. AVA virgo & monialis Dononienſis.

CVm eſſet cæca, ad ſepulcrnm S. *Ragenfredis* Abbatiſſæ Dononienſis viſum recepit, & vt gratam ſe teſtaretur, omnia prædia ſua, ſeruos & ancillas medicæ ſuæ obtulit. Vide 8. Oct. & 1. Iulij. *Denain.*

Aprilis 30. *die. Martyrol. Rom.*

S. FORANNANVS Epiſcopus & confeſſor.

SAnctus Forãnanus, nobili genere in Scotia natus, & ibidem Epiſcopus, Angelica viſitatione monitus, vt trãs mare Vallem-decoram adiret, mox ſe itineri, cum duodecim ſocijs, commiſit. Ad mare cùm perueniſſet, nec na-

uem ad traijciendum reperiret, duo ligna in formam crucis diſpoſita, cum comitibus aſcendit, & ſtupendo miraculo, aura Spiritus Sancti flante, in Gallias peruenit. Cùm autẽ vlteriùs perambulaſſent Lomacum, Comiti *Eilberto*, Vallis-decoræ ſeu Walciodori fundatori, cauſſam ſuæ perigrinationis aperuerunt. Qui gratulabundus cum eo Romam eſt profectus: vbi à *Benedicto VII.* monaſterij confirmationem & priuilegia obtinuerunt. Voluit autem Apoſtolicus Præſul, beatũ Forannanum Abbatem, quamdiu viueret permanere Vallis-decoræ Epiſcopũ.

Wal-court.

In reditu autem Forannanus, & comites *Gorziæ* regulã S. Benedicti ſunt profeſſi, & inde læti ad Vallem ſuam redierunt, totis viribus Deo famulaturi. Tum Comes *Eilbertus* locum illũ multorum bonorum largitione dotauit: ac ſeptennio poſt aduentum Forãnani, plenus bonis operibus, ſpiritum Deo reddidit. Sanctus autem Epiſcopus & Abbas, paſtor vigilantiſſimus, pater pauperum, omnium virtutum flori-

floribus ornatus, quinto poſt Eilbertum anno, ſalutis verò nongenteſimo octogeſimo ſecũdo, in Domino quieuit, & in lęua baſilicę Walciodorenſis honorificè depoſitionem accepit, non abſque inſignium operatione miraculorum. Sic fere legitur in Officijs proprijs Eccleſiæ cathedralis Namurcenſis, an. 1619. ibidem excuſis, & à Ioanne Dauuino Epiſcopo approbatis. *An. 982.*

V. Radulphus Tacens, monachus Afſligemenſis in Brabantia.

THomas Cãtipratanus lib. 2. Apũ cap. 13. tribuit illi ſilentium ſexdecim annorum. Vide Notas Colueneri j ad Cantipratanum.

MAIVS.

Kalendis Maijs. Martyrol. Rom.

S. Sigiſmundus Rex Burgundiæ & martyr.

FVit is in puteum præcipitatus, anno Chriſti quingenteſimo decimo *Anno 515.*

 quin-

quinto, vt Sigebertus ſupputat. De eo multa leguntur apud Gregorium Turonenſem, Aimoinum, Papirium Maſſonum, noſtrum olim in Gallia amicum, & alios rerum Gallicarum ſcriptores. Sacrum illius corpus Carolus IV. Imperator & Rex Bohemiæ
Anno an. milleſimo trecenteſimo ſexageſi-
1366. mo ſexto, Pragam honorificè tranſuexit, & in æde metropolitana collocauit.

Fuit autem in puteum præcipitatus in vico diœceſis Aurelianenſis, qui *Columna* à Gregorio Turonenſi & alijs nuncupatur, vulgò *Sainct Pierre auy la Colombe:* quo loco baſilica, S. Sigiſmũdi nomine clara, viſitur, eſtque Prioratus ord. S. Benedicti, cuius collatio pertinet ad Miciacenſem S. Maximini Abbatem: vt fusè commemorat Carolus Sauſſeius in Annalibus Eccleſiæ Aurelianenſis.

S. WAL-

S. WALBVRGA virgo & Abbatiſſa.

S. BONIFACIVS Germaniæ Apoſtolus, ad propagandam Euangelij doctrinam, circa an. 728. vtriuſque ſexus complures adiuuas ex Anglia in Germaniam euocauit. Ex viris ſex præcipuos, & ex feminis totidẽ Othlonus commemorat. Illorum primus

S. BVRCHARDVS, pòſt Herbipolenſis Epiſcopus a S. Bonifacio ordinatus. Eius vitam libris duobus complexus eſt Exvvoldus ſeu Egilvvaldus, & ex eo Surius to. 5. in Octobri: itemque anonymus quidam ab H. Caniſio editus tomo 4. Antiquæ Lectionis. I.

S. LVLLVS, B. Bonifacij in Moguntino Archiepiſcopatu ſucceſſor. II.

S. VVILLIBALDVS Aichſtatenſis Epiſcopus I. à B. Bonifacio conſtitutum: cuius vitam ſcripſit Reginoldus Epiſcopus. III.

S. WINNIBALDVS presbyter, S. Vuil- IV.

libaldi frater. Eum à S. Bonifacio ſeptem monaſterijs Abbatem præfectum fabulatur Bruſchius. Vide infra 18. Decembris.

V. B. Vuitta, qui & Vuittanus aut Vuetta, Birburgenſis Epiſcopus à B. Bonifacio ordinatus: ad quem Zachariæ Papæ epiſtola, tom. 2. Decretal. exſtat. Fuit autem Birburgum ſeu Buriburgum olim opidum, quod iuxta Fritzlariam aut Padebornam putatur ſitum fuiſſe. Nam locum, in quo olim fuit, certò deſignare, non eſt in promptu. Ad hoc autem opidum S. Vuigberchti Abbatis Fridlarienſis corpus tranſlatum fuiſſe, indeque ad Herolſtfeldenſe monaſterium, teſtatur Lupus Seruatus, beati viri res geſtas deſcribens. Ceterùm B. Vuitta à Lupo Seruato cap. 24. vocatur Albuinus, per Latinam ſcilicet barbari nominis interpretationem: nam *VVitt* album Germanis ſignificat.

VI. S. GREGORIVS Traiectenſis, ſiue (vt hodie ad diſtinctionē à Traiecto, Moſæ adſito, faciendam, vulgò loquimur)

quimur) Vltraiectenſis Epiſcopus III. de quo infra 25. Auguſti. Huius vitam deſcripſit S. Ludgerus Monaſterienſis Epiſcopus, eius diſcipulus; quā Fuldæ manuſcriptam exſtare ait Serarius lib. 3. Rerum Moguntīcarum, not. 24.

Notat autem Serarius S. Gregoriū hîc ceteris annumerari, non quòd ex Anglia venerit (fuit enim natione Germanus, & in Germania cum ſibi S. Bonifacius adſciuit, vt infra ſuo loco dicetur ex B. Ludgero) ſed quod inter præcipuos B. Bonifacij diſcipulos & adiutores fuerit. Ideoque poſt eos, quos ex Anglia veniſſe dixerat Othlonus, poſtremo hîc loco recenſetur.

Addi verò his B. Bonifacij diſcipulis & adiutoribus poſſunt, teſte eodem Serario,

S. STVRMIS, qui & *Sturmus* aut *Sturmo* dicitur, Abbas I. Fuldenſis, quem ex nobilibus ortum parentibus, & ex Noricā regione, in Germaniæ monaſteriorum Chronologia Bruſchius tradit. Meminit eius & B. Lutgerus, in

vita

vita S. Gregorij Vltraiectenſis Epiſcopi III. nondum typis edita.

S. Sola ſeu *Solus*: cuius vitam ſcripſit Ermenoldus, ſeu Ermernicus diaconus, Rabani Fuldenſis adhuc Abbatis tempore, exſtatque apud H. Caniſium in Antiq. Lect.

S. Vvigbertvs Abbas I. Fridlariẽſis, cuius vitam doctiſſimè Lupus Seruatus, Rabani eiuſdem æuo, litteris conſignauit; quam Buſæus, cum Hincmari Remenſis Archiepiſcopi Epiſtolis, ex ms. edidit.

Ceterùm feminæ à B. Bonifacio ex Angliâ in Germaniam euocatæ, fuerunt iſtæ.

I. Chvnihilt, quæ apud Suriũ Cunigildis, aut Cunighildis dicitur.

II. Berathgit, apud Surium Bergitis.

III. Chvnidrvt, ſeu Cunitrudis.

IV. Tecla, de qua Martyrologiũ Romanum, 15. Octobris. In hiſtoriarum Epitome à Tritthemio vocatur Hadelongo & Hadelloga.

S. Lio-

S. LIOBA ſeu *Lieba*, id eſt, Agape ſeu Charitas. Eius vitam, iuſſu Rabani Mauri deſcripſit Rodulphus huius diſcipulus, exſtatque to. 5. apud *S*urium. Memoriam eiuſdem celebrat Martyrologium Rom. 28. *S*eptembris. *V.*

S. Vualiburgis ſiue *Vualburga*, virgo, *SS.* Willibaldi & Winnibaldi ſoror. Eius vitæ hiſtoriam litteris mandauit Philippus *A*ichſtatenſis Epiſcopus, petente id Hungarorum Regina, *A*lberti Romanorum Regis filia. Exſtat apud H. Caniſium to. 4. *A*ntiq. Lectionum. Wolfhardus item monachus & presbyter Haſerietanus libros tres de miraculis huius ſanctæ virginis ad Erchanboldum Epiſcopũ VIII. Eichſtatenſem conſcripſit, exſtãtque mss. *A*ntuerpiæ in baſilica *S.* Walburgis, in veteri codice pergameno. *VI.*

Non eſt hoc loco ſilendum ex B. Vualburgis corpore oleoſum, vt ſic loquar, & ſalutarem hodieque liquorem manare, ſicut & ex *S. A*ndreæ *A*poſtoli, & *S.* Nicolai Myreenſis Epiſcopi oſſibus.

Ce-

Ceterùm conſtans Antuerpienſis Eccleſiæ traditio eſt, hanc ipſam virginem Antuerpiam diuertiſſe, cùm ex Anglia in Germaniam pergeret. Viſitur hodieque crypta (in qua eam orare ſolitam tradunt) in antiquiſſima vrbis Antuerpienſis baſilica, quæ *Caſtrenſis* vulgò dicitur, à burgo ſeu caſtro vetuſtiſſimo, cui incluſa eſt; quam poſtea maiores noſtri S: Walburgis titulo nobilitarunt.

Borchkerck.

Et verò, ante Eccleſiaſticum Romani officij vſum noſtra memoria adſumptum, Antuerpienſis Eccleſia S: Vualburgis, vt patronæ domeſticæ, memoriam ſingulis annis quater ſolemni ritu celebrare eſt ſolita; nunc ſemel quotannis id facit. Crediderim autem hanc virginem, vt popularem, à S. Vuillibrordi ſodalibus aut diſcipulis Antuerpiæ hoſpitio exceptam. Conſtat enim ex Teſtamento S. Vuillibrordi, infra 7. Nou. à nobis recitando, ipſum vſque ad obitum poſſediſſe *eccleſiam in caſtello Antwerpo ſuper fluuio Scalde conſtructam, cum tertia parte*

telonei,

telonei, idque ex donatione Rohingi Antuerpienſium Principis.

Valeant itaque fabuloſa iſta, quæ de idolo Vualburgis neſcio quo, ab Antuerpiēſibus ante Chriſtianiſmum ſcilicet culto, Ioannes Goropius Becanus, in Originibus ſuis Antuerpianis, vt alia multa, nullo teſte producto confinxit.

Porrò in S. Walburgis oratorio ſeu crypta Antuerpiæ adſeruatur pars mandibulæ eiuſdem, quam an. 1615. *Albertus Pius* & *Iſabella*, Belgarum Principes optimi, viſitatione & oſculo honorarunt.

S. VLTANVS Abbas Peronenſis & Foſſenſis.

FRatres habuit SS. *Furſeum* & *Foillanum*, & S. Gertrudi Niuellenſi familiaris exſtitit, quæ partem hereditatis ſuæ, villam, ex ſitu loci Foſſas nuncupatam, ipſi dono dedit. In quo loco monaſterium Scottorum (vt Eginhardus *Foſſe.*

dus in hiſtoria SS. Marcellini & Petri nuncupat) exſtruxit, quod nunc eſt Canonicorum collegium, Foſſis, ditionis Leodicenſis opido, incluſum. Huius monaſterij rector cùm eſſet Vltanus, fratrem ſuum Foillanũ martyrio in ſilua Carbonaria coronatum cognouit: de quo infra 30. Octob. dicemus. Idem in regimine Peronenſis monaſterij (quod nunc quoque Canonicorum in Picardia eſt collegium) Furſeo fratri ſuo iã antea ſucceſſerat: ibique S. Amatum Epiſcopum Senonenſem, in exilium à Theodorico Rege miſſum, diu fouerat. Sacra eius oſſa partim Peronæ, partim Foſſis, à Canonicis adſeruantur.

S. EVERMARVS, Friſo, martyr Ruthenſis.

EVermarus, nobilis Friſo, ſuccreſcentibus cum ætate meritorũ virtutibus, ad ſancta loca peregrinabatur. Cùmque Traiectum-Moſæ, ad S. Seruatij limina viſitanda, tẽderet, in ſilua Har-

Harſclapia,cum ſeptem comitibus,ab impijs eſt interemptus. Honoratur verò inter Dei martyres à Ruthenſi Canonicorum collegio, & à vicinis Tungrenſibus: ad quod opidum ſingulis annis ſacrum corpus ſolenni ſupplicatione defertur. Quod quidẽ circa an. 968. *Heraclius* Leodicenſis Epiſcopus è terra eleuauit,ſubſequente ingenti miraculorum gloria. Eſt autem Rutha,vulgò *Rotthem*, pagus ditionis Brabantinæ, ſed in diœceſi Leodicẽſi ſitus.

Maij 2. *die.*

S. WALBERTVS Abbas Luxouienſis.

NObilibus parentibus in pago Meldenſi,loco qui *Nant* vocatur, Walbertus Comes genitus, S. Bertino Abbati Sithienſi *Comitatum Arquenſem*, & *Poperingam* Flandriæ municipium in vſus monachorum tradidit. Atque ita paulatim caducis rebus ſe exuens,cum *Arkes; Poperinghem.*

filio ſuo *Bertino*, quem Bertinus Abbas de ſacro fonte ſuſceperat, Sithienſibus monachis ſe adiunxit. Inde Luxouiũ in Burgundiam miſſus, beato *Euſtathio* vita functo in Abbatiali regimine ſucceſſit, ibidemque ſanctè obijt. Huic *VValdeberto* & *Bobo*l*eno* Abbati Bobiẽſi, Ionas Scotus hiſtorias SS. Columbani, Attalæ, & Euſtathij inſcripſit, quæ apud Surium exſtant. Eiuſdem Walberti diſcipulus fuit B. *Germanus* martyr, primus Abbas Grandis-Vallis, quem verſibus Sebaſtianus Brantius celebrauit.

Maij 3. *die*.

Memoria Cruoris Chriſti, Brugis in Flandria.

CRuor Chriſti, qui magna religione Brugis in eleganti baſilica S. Baſilij adſeruatur, per *Theodoricum Alſatium*, Flandriæ Comitem, ex Terra ſancta allatus eſt, eiuſque mãdato per *Leonium* Abbatem Bertinenſem anno 1148.

1148. in dicta baſilica collocatus: vt Iperius in Chronico Bertinenſi cap. 43. tradit. Sunt qui volunt ipſum à Ioſepho & Nicodemo collectum cùm de cruce Chriſtum deponerent. Qua de re Matthæus Galenus Catecheſi 128. & 21. conſulatur.

In tabulis Martyrologij Romani, 9. Nouembris, ſic legitur: *Beryti in Syria, commemoratio imaginis Saluatoris, quæ à Iudæis crucifixa tam copioſum emiſit ſanguinem, vt Orientales & Occidentales Eccleſiæ ex eo vbertim acceperint.* Putāt autem nonnulli, Cruorem, qui Brugis adſeruatur, ex iſta Berytenſi aut alia Orientali imagine profluxiſſe.

De Cruce Traiectenſi ad Moſam.

TRaiecti ad Moſam, in templo Canonicorum B. Virginis, adſeruatur magnaque religione colitur Crux, & quidem gemina, ex auro gemmiſque eleganter & artificioſè cōfecta, in qua pars de Cruce Chriſti eſt incluſa: cuius ectypon Iacobus Gretſerus *Maeſtricht.*

tomo 3. lib. 4. de Cruce expreſſit. Cruci grandiori epigramma Græcum eſt inſcriptum, quod Latinè ad verbũ ſic ſonat:

Lignum quod adſpectu pulchrum apparuit,
Guſtu necat me, qui ſum ſecundum imaginem Dei.
At qui pulchritudine diuinæ ſubſtãtiæ pulcher eſt,
Chriſtus, hic me viuificat, carne in ligno mortuus.
Cuius hanc thecam Romanus terræ Dominus,
Pulchritudine virtutum coronatus,
Gratia ſeu venuſtate pretioſorũ lapidũ inſigniuit,
Vincens per ipſum (lignum) dæmones & barbaros.

Loquitur in hoc epigrammate Homo per lignum olim perditus, & poſtea beneficio Chriſti per lignum reparatus. Lignum, *inquit,* illud bonũ ad veſcendum, & pulchrum oculis & adſpectu delectabile, quod primis parẽtibus in paradiſo obiectum eſt, guſtu ſuo necat me, qui ſum ſecundũ ſimilitudinem & imaginẽ Dei formatus. At verò Chriſtus, qui pulchritudine diuinæ naturæ ſeu eſſentiæ ſpecioſus eſt, viuificat me mortuus carne in ligno Crucis: cuius ligni hanc thecam ſeu capſellã *Romanus* terræ Dominus, hoc eſt, Imperator, omni virtutũ genere

nere decoratus, pretioſis vnionibus & gemmis exornandam & illuſtrandam curauit: quippe qui per lignum hoc ſanctæ Crucis, quod in Cruce iſta, ex auro & vnionibus confecta, includitur, tanquam in theca quapiam, & dæmones, & barbaros ſuperare conſueuerit.

Eoſdem verſus editor Antiquarum Inſcriptionum totius orbis Romani, pag. 1048. ex Apiano publicauit, ſed non ſine erroribus, quos Gretſerus citato loco caſtigat. Ipſa certè Inſcriptio (*Hieroſolymis Epigraphe Crucis, iuſſu Demetrij Imp. Conſtantinopolitani*) prorſus falſa eſt. Neque enim Hieroſolymis, ſed Traiecti ad Moſam nunc viſitur, & antea Conſtantinopoli: neque Crux hæc Hieroſolymis facta eſt, ſed Conſtantinopoli ab Imperatore, qui nomine *Romanus* nuncupabatur, non Demetrius, qualis nullus exſtitit.

In ima Crucis parte cõſpicitur quidem imago, & nomen *Demetrij* legitur, ſed *martyris Theſſalonicenſis*, ex cuius ſacris lipſanis oleum largiter fluxiſſe Ni- *Martyr. Rom. 8. Oct.*

Nicetas Choniates lib. 1. de Imperio Andronici Comneni memorat.

Ceterùm communis perſuaſio habet, Crucem iſtam grandiorem Traiectum miſſam fuiſſe an. 1204. à *Philippo* Imp. Conſtantinopolitano : ſed error vulgaris eſt, & à vulgo exortus. Nullus enim tunc illius nominis Conſtantinopoli Imperator; quæ à Latinis an. 1204. demum capta eſt, creato Imperatore *Balduino* Flandrorum Comite, cui ſucceſſit *Henricus* frater : vt ex Niceta & alijs liquet. Illud tamen certum exiſtimo, hanc Crucem Traiectum veniſſe, ex direptione Conſtãtinopolitana, à Venetis & Belgis, aliarumque nationum militibus crucesignatis facta, poſt occupatam vrbẽ; & quidem beneficentia *Philippi* Imperatoris Occidentalis, qui Iſaaci Comneni filiam, ſororem Alexij, quem Latini reſtitutum ibant, in matrimonio habuit. Ad quem etiam Reliquiarum, quæ tunc Conſtantinopoli aliò paſſim tranſlatæ ſunt, portio nõ modica peruenit; munificentia præſertim *Martini*

Abba-

Abbatis Pariſienſis qui interfuit, quã-do Conſtantinopolis in Latinorum poteſtatem eſt redacta, quique nil niſi ſacra lipſana expetebat, alijs prædæ profanæ intentis: vt Guntherus in hiſtoria Conſtantinopolitana fusè refert. Qui vbi percenſuiſſet omnes Reliquias, quas Martinus in expugnatione Conſtantinopolitana adeptus fuerat, hæc ſubiungit: *De his autem Philippo Imperatori laudabilem valdè contulit portionem, Tabulam videlicet quandam inæſtimabilis ferè pretij, auro & gemmis pretioſiſſimè exornatam, & plurima ſanctarum Reliquiarum genera, longè auro & gemmis pretioſiora, ibi diligenter recondita continentem: quam Tabulam Græcorum Imperator in ſolennibus feſtis, velut quoddam certum pignus Imperij, geſtare conſueuerat, de collo ſuo catena aurea dependentem.*

Vt igitur ex ſpolijs Conſtantinopolitanis hæc Tabella *Philippo* ceſſit, ita & Crux ſupradicta cedere potuit, dono vel *Martini* Abbatis vel alterius; quæ deinceps à *Philippo* Eccleſiæ Traiectenſi donata ſit: à *Philippo*, inquam,

Germaniæ Imperatore, cuius rogatu Veneti, Belgæ, & alij cruceſignati Conſtantinopolim expugnarant, primùm quidem reſtituendi Alexij gratia (cuius ſoror Philippo nupta erat) dein vindicandæ perfidiæ cauſſa.

Gretſerus porrò ſuſpicatur, Tabellam, quam Guntherus Philippo donatam à Martino Abbate aſſerit, eſſe illam ipſam Cruciculam pretioſiſſimã, quæ in eadem Traiectenſi eccleſia aſſeruatur, & certis anni temporibus populo oſtenditur. Cui quidem Cruci hæc ſeu adſcripta ſeu ſubſcripta leguntur: *Cruciculā, quam Conſtantinus Imperator ex collo ſuſpenſam ferre ſolebat, quãdo cum paganis prælio decernebat.* Additurque hoc epigramma Latinum:

Ecquid Erythræa gemma & ſpectabilis auro,
Et longa annorum ſerie, complexa Tabella eſt?
Quã cernis, Magni eſt Crux paruula Conſtãtini:
Parua quidẽ, at nunquã magnis effœta triumphis.
Idq; triumphatus fert Heſperus, fert & Eous,
Iſq; ſuos vincens animos, vt cetera, vicit.

Dicitur Crux paruula, reſpectu alterius grandioris; alioquin abſolutè ſatis magna eſt. Hanc ergò Crucem pro-

probabile eſt eſſe eam, quã Guntherus vocat Tabellam, à Conſtantino Magno diebus ſolemnioribus geſtari ſolitam; quæ Traiecti, vt dixi, in magna eſt veneratione, cùm ob memoriam Conſtantini Magni, tum ob Reliquias Cruci ſeu Tabellæ iſti incluſas.

B. AVFRIDVS vel Anfridus, ex Comite Huienſi Epiſcopus Vltraiectinus.

AVfridus, alijs Ausfridus, vel Anfredus, Comes Huij & Bratuſpantij, vxorem habuit *Hilſuindem*, ex qua filiam nomine *Benedictam* genuit. Depoſito poſtea militiæ cingulo, Aufridus totum ſe Deo dicauit, & hortatu Notgeri Leodicenſis Epiſcopi, *Thorẽſe* ad Moſam virginum monaſteriũ fundauit, quod nunc eſt illuſtre nobiliſſimarum virginum Canonicarũ collegium. Huius loci monialibus vxor *Hilſuindis* ſe adiunxit, & filia *Benedicta* regimen prima ſuſcepit: vbi & ſepeliri voluerunt. Idem Aufridus Comitatũ *Thoren.*

Huy. *Huienſem* ſeu *Hoienſem* Eccleſiæ Leodicenſi dono dedit: quàm donationem an. 985. Otho Imperator, petente eodem Notgero, confirmauit. Exinde creatus Epiſcopus Vltraiectinus, multa patrimonij ſui prædia in Comitatu *Teiſterbantij* eidem ſuæ Eccleſię contulit, vt & in Comitatu *Rie, ſi* loca varia, vt *VVeſterloo, Oiſterloo, Boloo, Meerbeke*, *Hombeke*, & *Buronte*. Diplomata exſtât apud Guilielmum Hedam in Hiſtoria Epiſcoporum Vltraiectenſium, Franiqueræ apud Friſios edita. Demum in Monte-ſancto, apud Amersfurtum opidum, inſigne Benedictinorum monaſterium exſtruxit, in quo monachū induit. & an. 1008. ſanctiſſimè exſpirauit. Monaſterium iſtud poſtea in vrbem Vltraiectinam eſt tranſlatum, &

S. Pauli Abbatia *S. Pauli* titulo decoratum. De hoc ſancto viro ita Sigebertus Gemblacenſis ad an. 997. in Chronico: *Cluebat hoc tempore inter Gallos Ausfridus, qui cùm fuiſſet Comes Bratuſpantium, non minùs iuſtitia quàm potentia ſeculari famoſus, depoſito militiæ cingulo, tonſuratus in clericum*

eò

eò profectus eſt, vt ordinaretur Epiſcopus Vltraiectenſis Eccleſiæ.

Maij 5. die.

S. Maurontus Abbas, ciuitatis Duacenſis patronus ac tutor.

DVaci (quod opidum eſt Flandriæ, ad Scarpum fluuium, Academia an. 1562. inſtituta clarum) in vetuſta Deiparæ baſilica quattuor Sanctorum corpora, *Amati* videlicet, *Mauronti*, *Oneſimi* & *Gurdinelli*, adſeruantur. De quibus hi verſus ante orcheſtram leguntur: *Douay.*

Corpora Sanctorum ſanctiſſima quattuor horũ
Hæc habet eccleſia pignora cara ſibi.
Aſtra tenent animos cæleſti nectare potos:
His vt iungamur, Chriſte Ieſu fer opem.

MAurontus ſeu Mauruntus (vt Baldericus lib. 1. cap. 22. in Chronico Cameracenſi nuncupat) *B. Adalbaldi* Ducis atque *S. Rictrudis* filius, *Amatum*, Senonenſis eccleſiæ Præſulem, exulẽ ſanctum, ex Perona, municipio Vero- *Sainct Druon.*

man-

manduenſi, ad Auſtrouandenſem pagum duxit, & in *Hamatico* primùm monaſterio, pòſt in *Broilo* honorificè tractauit, ac demum ſepeliuit in monaſterio, quod ibidem, hortatu eiuſdẽ Præſulis, exſtruxerat. Quod monaſteriũ, ſæuientibus Normanis, inde an. 870. Duacum, ad Deiparæ ædem, in burgo ſeu veteri caſtello ſitam, cũ S. Amati corpore, eſt tranſlatum; lapſuque temporis pro monachis Benedictinis Canonici ſũt ſubſtituti. Obijt autẽ Maurõtus an. 701. in Marchianẽſi monaſterio, quod mater eius S. Rictrudis, excitarat; vnde Duacũ a. 900. vel 985. trãſuectus, eã vrbẽ non ſemel ab hoſtibus defẽdit; vt nominatim an. 1556. ab inſidijs & armis *Gaſparis Coligniȷ*, Hugonottorum in Gallia anteſignani. Qua de re *Arnoldus VVionus*, patria Duacenſis, in Ligno vitæ, lib. 3. die 6. Ianuarij, conſuli poterit. In eodem S. Amati templo adſeruatur brachiũ B. *Adalbaldi* Ducis, quem dixi S. Mauronti patrem fuiſſe, itemque *S. Gertrudis*, quæ auia illius exſtitit.

Ce-

Ceterùm Broilus, Gallicè *Bruel*, prædium S. Mauronti fuit, in quo idē Maurontus monaſterium ædificarat. Ipſum autem municipium, in quo iſtud prædium & monaſterium ſita fuerunt, hodie *Meruille* dicitur, Antonino in Itinerario eſt *Minariacum*. S. Mauronti, itemque S. Amati res geſtas circa an. 1040. ſcripſit auctor anonymus, temporibus Albrici Marchianenſis Abbatis, exſtatque ms. Duaci ad S. Amatum. Vide plura in Notis Georgij Coluenerij, Cācellarij Duacenſis, ad Balderici Chronicon Cameracenſe lib. 1. cap. 22.

Maij 7. die.

S. DOMITIANVS Traiectenſis ad Moſam Epiſcopus, Huienſium patronus, apud quos & quieſcit.

INterfuit concilio Aruernenſi, anno 541. iuxta Baronij calculum, celebrato; cui & ſubſcripſit his verbis: *Domitianus in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ*

Eccleſiæ Tungrorum, quod eſt Traiectũ, ſubſcripſi. Idem in concilio Aurelianenſi, ſub Childeberto Rege an. 552. iuxta Baronium celebrato, exſtitit. Quod attinet ad concilium Pariſienſe primũ, & Turonenſe ſecundum, in quibus legitur, *Domitianus peccator conſenſi & ſubſcripſi;* Baronius in Annalibus adſerit
Anno 570. Domitianum iſtum fuiſſe Catalaunenſem Epiſcopum, non autem hũc noſtrum Traiectenſem, vt Molanus in Natalibus SS. Belgij exiſtimauit.

Maij 8. die. Martyrol. Rom.

S. WIRO Epiſcopus.

WIro non infimæ conditionis parentibus in Scotia natus, diſcendis literis ac pietatis ſtudijs adhibitus, virtutum incrementis deditus, terrena pro nihilo ducens, Chriſtique amore accenſus, ad cœleſtia totis viribus anhelabat. In virtutis itinere inuictus progrediens, nec frangebatur aduerſis, nec ſecundis efferebatur. Vigilijs non

non fatigabatur, paſcebatur precibus, ieiunijs lætabatur; & propoſitis ſibi ſanctorum Patricij, Gutberti & Columbæ pijs veſtigijs, vitam cœleſtem in terris meditabatur.

Vnde & peregrinandi amore incẽſus, ſacra Diuorum Apoſtolorum limina precibus, vigilijs & lacrymis deſiderabat ſalutare: ſed morte ſui Epiſcopi impeditus ſubſtitit, atque à populo in ſucceſſorem fuit electus: cuius votis cùm reſiſtere non poſſet, Romã adijt, presbytero Plechelmo, vnà cũ Otgero diacono comitatus; ibique à Romano Pontifice conſecratur: & ad ſuos reuerſus, officium Epiſcopi, admiranda vitæ ſanctimonia, & religionis pietate, ad aliquod tempus illic præſtitit. Sed ad prædicandum Gallis Belgicis Euangelium, Chriſti amore incitatus, ad Pipinum Frãcorum Ducem cum ſuis illis ſocijs peruenit. Qui cognita beati Wironis ſanctimonia, eum inter ſuos primum coluit, ac locum à mundi ſtrepitu in ſiluis remotũ ad Ruram fluuium tribuit; vt cœleſtiũ con-

contemplationi liberiùs vacaret: qui Mons ſancti Petri vocabatur, nunc ſanctæ Odiliæ dicitur: in quo & oratorium Dei genitrici virgini Mariæ erat ædificatum.

Quo in loco admirandum ſe omnibus veræ pietatis ſpeculum exhibuit. Chriſtus illi in corde, Chriſtus illi in ore: nec aliud præter Chriſtum diligẽs, quotidiè ſe illi in ara cordis ante altaris ſacrificium mactabat. Vigilijs, precibus, ieiunijs ſe macerans, fortis aduerſus vitia, ne illis ſuccumberet; facilis ad veniam, ſi quis in ea prolapſus, diſplicentiam geſtu aut verbis teſtabatur. Sibi parcus, alijs largus & benignus; vbique humilitatis & charitatis de ſe præbens exempla; populo tum doctrina tum vita præluxit. Vnde & Dux Pipinus, detractis ſibi calceis, vt ſua peccata confiteretur, quotannis ipſum ſolet adire, ſuiſque adhibere cõſilijs ſecretioribus. Tãdem verò multis fractus laboribus, à Domino, miles emeritus in regnum cœleſte, modica febre correptus, euocatur. Cuius veneran-

nerandum corpus in eccleſiam Vltraiectenſem tranſlatum (Danis & Normannis eam deuaſtantibus) Canonici illinc profligati ad dictum S. Petri Montem, fauente Lothario Rege, reuexerunt: vbi multis & cœleſtibus miraculis illuſtre fuit. Ita legitur in Officijs proprijs Eccleſiæ cathedralis Ruremundanæ in Geldria, iuſſu *Henrici Cuquij* Epiſcopi, Coloniæ an. 1605. editis.

B. ITTA ſeu Iduberga, mater S. Gertrudis Niuellenſis.

FRatrem habuit S. *Modoaldum* Epiſcopum Treuerenſem, ſororem S. *Seueram*, maritum B. *Pipinum Lãdẽſem*, filias verò S. *Gertrudem* & S. *Beggam*: Defuncto marito, Niuellenſe monaſterium an. 650. fundauit, eique filiam ſuam Gertrudẽ præfecit: teſte Sigeberto in Chronico. Quieſcit ibidem cum marito, & filia Gertrude. Plura vide ſupra 21. Februarij & 17. Martij: quibus hæc adde, ſi placet.

Pingitur S. Gertrudis cum muribus & gliribus, quòd aquâ ex puteo, qui eſt in clauſtro baſilicæ Niuellenſis, à fidelibus hauſtâ, ij propulſari ſoleant. Sic & *S. Vdalrico Epiſcopo Auguſtano conceſſa eſt quàm maxima à Deo prærogatiua, contra offenſiuos glirium incurſus. In toto namq́; territorio, quod inter Vindam & Lycum fluuios ſitum eſt, nullum vmquam viuum permanere poſſe, manifeſtiſſimè comprobatum eſt: quod meritis glorioſi Pontificis impetratum eſſe, nulli ſit dubium. Sæpiùs enim à nonnullis curioſis, Sancti potiùs tẽtatoribus, experientiâ inuentum eſt, quàm citò vltra præfatos deportati fuere fluuios, illico fuiſſe mortuos, & hoc in toto communi territorio. Eſt verò & alia quaſi miraculoſa contra prædictos ſubuentio glires, in toto penè orbe promulgata. Terra namq́; (quæ ſancti Vdalrici dici conſueuit) in qua ſanctum eius corpus mediantibus ſacris veſtibus (quæ omnes inconſumptæ, omniq́; ſine læſione cum eo inuentæ fuerunt) humatum fuit, ſi cui fidelium donata, ab eoq́; dignè, vt Sanctorum Dei reliquias decet, venerata fuerit, mox omnes, ac ſi peſtem fugientes, habitationem*

nem

nem relinquunt,& eidem nequaquam deinceps appropinquare audent. Hæc toties vbiq́; terrarum vera eſſe inuenta ſunt, vt numerū excedere videantur. Hæc ex hiſtoria inuentionis & tranſlationis S. Vdalrici, à Marco Velſero, Auguſtæ Vindelicorum 1595. edita deſumſimus. Suntq́; plura huius generis exempla in Sanctorū hiſtorijs obuia. Illud eximiū de Hieremia propheta, *quòd ad eius ſepulcrum fideles (vt refert S. Epiphanius) ſupplicare conſueuerunt, indeq́; ſumto puluere, aſpidum morſibus medebantur:* vt in Martyrologio Rom. Kalendis Maij legitur. *Cap. 14. & 15.*

S. PETRVS Archiepiſcopus Tarentaſienſis, ex ordine Ciſtercienſi, *Martyrol. Rom.*

MIgrauit ad Chriſtum an. 1171. & in Diuos ab Lucio III. Papa eſt relatus: cuius iuſſu vitam eius ſcripſit Gaufridus Abbas, à Surio editus. Quieſcit in Bella Valle, quæ eſt Abbatia ord. Ciſtercienſis, in Comi-

tatu Burgundiæ ſita, haut procul à Veſontione.

Maij 10. die.

S. SILVESTER Archiepiſcopus IX. Biſontinus, eiuſque ſucceſſor S. Frominius.

SIlueſter, beati *Aniani* ſucceſſor, S. Mauritio ac ſocijs martyribus baſilicam Veſontione dedicauit, quæ hodieque ſupereſt. Putantur ipſius, & S. Nicetij corpora, condita iacere in medio choro baſilicæ S. Petri; quo loco hæc legitur inſcriptio:

Sāctorum ſepelit cancellus corpora multa:
Hac igitur cauſſa ſuſcipit haut alia.

Hoc quoque loco fortaſſe ſepultum iacet S. *Euſebij* quarti Archiepiſcopi corpus.

S. Frominius. S. Silueſtrū ſecutus eſt S. *Frominius*, qui ſuperiorem montis Coelij baſilicam, in honorem S. *Stephani*, ab *Hilario* Epiſcopo excitari cœptam, & à *Pancratio* promotam perfecit: atque in ea regu-

regularium Canonicorum collegium primus conſtituit.

Maij 11. *die. Mart. Rom. & Surius.*

S. GANGVLPHVS ſeu Gingulfus, martyr, natione Burgundus.

VIr nobiliſſimus ſub Pipino Francorum Rege militauit, & quieſcit Varennis in baſilica à ſe fundata. Reliquiæ eius multis miraculis floruerũt in collegiata Canonicorum ſui nominis eccleſia, quam *Gerardus II.* Cameracenſis Epiſcopus apud Florinas, ditionis Leodicenſis opidum, fundauit: vt Baldericus in Chron. Cameracenſi lib. 3. càp. 18. & *Gonzo* Abbas IV. monaſterij S. Ioannis Bap. Florinẽſis, teſtantur. *Florine.*

De S. *Maiolo* Cluniacenſi in Burgũdia Abbate, Siluiniaci defuncto, vide Origines noſtras Monaſticas lib. 2. cap. 3. & lib. 5. cap. 2. *S. Maiolus.*

Maij 12. *die.*

S. RICTRVDIS, Abbatiſſa & fundatrix cœnobij Marchianenſis.

APud villam Marcenias, RICTRVDIS, ex proprijs opibus & prædijs, conſilio ſancti *Amandi*, Traiectēſis ad Moſam Epiſcopi, qui tunc temporis inſignis habebatur, monaſteriū
Anno 653. ſtruxit; vbi ſanctimonialibus ad ſeruiendum delegatis, ipſa etiam Abbatiſſa habenas regiminis moderata eſt. In cuius vita plurimùm, & poſt vitam aliquantulum religio creuit, vſuſque eccleſiaſticus regulariter adoleuit. Sæculo autem ſemper in deterius vitiato, ipſarum etiam puellarum ordo vitiari & deprauari cœperat. Iamque magis ac magis deprauatus mos in degeneri poſteritate vſque in præſens durauerat. Nuper verò *Leduinus* Abbas Vedaſtinus, *Gerardo* Cameracēſi Epiſcopo, & *Balduino* Flandriæ Marchione ſatagentibus, feminas turpiter viuentes,

tes, mundato loco, exturbauit; ac monachos, qui meliùs & religioſiùs Deo deſeruiant, conſtituit. Ita ferè *Baldericus* in Chronico Cameracenſi lib. 2. cap. 26.

Marchianenſe itaque cœnobium, in diœceſi Atrebatenſi, ad Scarpū fl. ſecundo lapide à Duaco ſitum, quod olim monachorum & monialiū fuit, monachis ſolis Benedictinis anno 1028. fuit commiſſum, qui illud hodieque poſſident, & vnà adſeruāt corpora *S. Rictrudis*, eiuſque filiæ S. *Euſebiæ*, duobus feretris argenteis affabrè elaboratis incluſa. *Marchiēnes.*

Arnoldus Gantoiſius, Abbas Marchianenſis, magnificum gymnaſium, in Academia Duacena, an. 1574. exſtruxit, quod an. 1621. Patribus Soc. Ieſu eſt traditum; habentque in eo ſcholas Philoſophicas ac litterarias vt & in vicino gymnaſio *Aquicinctino*, ingenti iuuentutis concurſu. *Anchin.*

Geſta S. Rictrudis, eiuſque prolium, ab *Hucbaldo* Elnonenſi monacho deſcripta, exſtant mss. Marchianis; vt

 & Chro-

& Chronicon Marchianenſe: quod in Rubræ Vallis cœnobio prope Bruxellam quoque videre me memini.

S. Pancratius. De S. PANCRATII martyris Romani reliquijs, partim Vltraiectum, partim Gandauum an. 985. tranſlatis, Molanum conſule in Natalibus SS. Belgij, hoc die.

S. Modoaldus. De S. MODOALDO, Epiſcopo Treuerenſi, vide 8. Maij.

Maij 13. die. Martyrol. Rom.

Vita S. SERVATII Tungrenſis Epiſcopi, annorum ſerie diſtincta.

An. 312 PAce Eccleſiæ reddita anno 312. per *Conſtantinum Magnum* Imperatorē, probabile eſt tunc primùm Tungrenſi vrbi peculiarem Epiſcopum S. *Seruatium*, vt & Coloniæ Agrippinæ *Maternum*, eo nomine ſecundum, datū fuiſſe. Nam primis Eccleſiæ temporibus, vnus idemque Epiſcopus Tungrenſibus, Colonienſibus, & Treuerenſibus præfuit. Concilio certè *Arelatenſi* *An. 314* primo, quod an. Chriſti treceteſimo decimo

decimo quarto habitum rectè probat Baronius, ſubſcripſiſſe reperiuntur, inter alios, *S. Agritius* Treuerenſis, & *Maternus* ſecundus Agrippinenſis, Epiſcopi: ex quo datur intelligi, Treuerenſem & Agrippinenſem diœceſes hactenus coniunctas, proprios, illius Concilij tempore, Epiſcopos habuiſſe. Ceterùm quo anno incohatus fuerit S. Seruatij Epiſcopatus, certi nihil conſtat.

Anno trecenteſimo triceſimo ſexto, *An.* 336
S. Athanaſius Epiſcopus Alexandrinus, Arianorum calumnijs in exilium pulſus, Treueros venit: vbi à *S. Maximino*, illius vrbis Epiſcopo, & poſtea Tungris à *S. Seruatio*, omni officiorum genere eſt exceptus. Subſtitit autē Treueris biennio & menſibus quattuor.

An. trecēteſimo quadrageſimo ſeptimo, *An.* 347
Seruatius generali Concilio *Sardicēſi* interfuit & ſubſcripſit, cū *S. Maximino* Treuerorum, *Euphrate* Colonienſium, *Dioſcoro* Remorum, *Eulogio* Ambianenſium, *Victorino* Pariſiorum, *Superiore* Neruiorum, *Victore* Mediomatrico-

tricorum ſeu Vangionum, multiſque alijs Galliæ Epiſcopis : ex qua ſola Athanaſius, qui & præſens fuit, triginta quattuorEpiſcopos adfuiſſe memorat.

An.349 Biennio pòſt, hoc eſt, anno trecenteſimo quadrageſimo nono, poſt Cõſulatum Amantij & Albini, IV. Idus Maij (vt Ægidius Bucherius in Diſputatione hiſtorica de primis Tungrorũ Epiſcopis cap. 4. cenſet) S. Seruatius Concilij *Agrippinenſis* celebrandi auctor fuit, contra *Euphratem*, hæreſis ſuæ venena iam ſpargentem. In quo ille, omnium omnino Patrum calculo, pontificia dignitate deturbatus eſt.

An.350. Anno trecenteſimo quinquageſimo, menſe Martio, *Magnentius* tyrannus, cæſo Imperatore *Conſtante*, Occidentis imperium Auguſtoduni in Gallia exiſtens occupauit. Cumque ſibi à Conſtantio Orientis Auguſto, Conſtantis cæſi fratre, metueret, pacemq; imperio ſuo ſtabiliendo proficuã exiſtimaret; binos è Gallijs maximi nominis Epiſcopos ad id munus delegit,

Serua-

Seruatium Tungrenſem, & *Maximinum* Treuerenſem Antiſtites; quibus & additi ſunt Comites duo, *Clemens* & *Valens.* Appulerunt hi Alexandriam, Italia prius & Vrbe haud dubiè tranſmiſſa; atque ab *Athanaſio,* non ita pridem in ſedē reſtituto, magna ſignificatione caritatis ſunt excepti, vtpote illi in Gallijs ac Sardicenſi Concilio probè cogniti, beneque de eo meriti. Hinc conflata Athanaſio noua calumnia, quaſi per hos ad *Magnentium* contra Conſtantium ſcripſiſſet: de quo ſe purgat Apologia ad Conſtantium, & inter innocentiæ ſuæ teſtes primum nominat Seruatium.

Anno trecēteſimo quinquageſimo nono (vt idem Bucherius ſupputat) *Ariminenſe* in Italia concilium contra Arianos eſt habitum, cuius ipſe *Seruatius* ſiue *Seruatio* (vt eum veteres ſcriptores nuncupant) pars magna fuit; teſte Seuero Sulpitio lib. 2. hiſtoriæ, his ferè verbis: *Imperator Conſtantius Præfecto Tauro mandat, vt ſynodum non ante laxaret, quàm con-* *An.359.*

ſcriptæ

ſcriptæ ab Arianis fidei conſentire ſe omnes ſubſcriptionibus profiterentur. Ac ſi qui pertinaciùs obſiſterent, dummodo is numerus intra quindecim eſſet, in exilium pellerentur. Plerique igitur Epiſcoporum, partim imbecillitate ingenij, partim tædio peregrinationis euicti, dedere ſe aduerſarijs. Factaque ſemel inclinatione animorum, cateruatim in partem Arianorum conceſſum, donec ad XX. vſque numerus Catholicorum imminutus eſt. Sed hi quanto pauciores, tanto validiores erant. Conſtantiſſimus inter eos habebatur noſter Fægadius, & Seruatio Tungrorum Epiſcopus. Hos, quia minis & terriculis non ceſſerant, Taurus Præfectus precibus aggreditur, ac lacrimans obteſtatur, ſequerentur plurium exemplum, auctoritatem ſaltem ex numero ſumerent. Enimuerò Fægadius paratum ſe exilio atque ad omne ſupplicium profiteri: ſe ab Arianis conceptam fidem non recepturum. Ita in hoc certamine aliquot dies tracti: vbi parum ad pacem proficiebant, paulatim & ipſe infractior, ad extremum propoſita ab Arianis conditione, euincitur, vt adderent Catholici quæ addenda profeſſioni putarent; præbituros ſe in his, quæ eſ-

ſent

ſent adiecta, conſenſum. Conceptæ igitur à Fœgadio & Seruatione profeſsiones, edi cœpere. In quibus primùm damnatur Arius; ceterùm non etiam Patri æqualis, & ſine initio, ſine tempore Filius Dei pronuntiatur; ſed tantùm ſimilis non eſſe ceteris creaturis, ab Ariano Valente adijcitur. Quæ fraus non intellecta, ſerò demum animaduerſa eſt. Hoc modo Cõcilium dimiſſum bono initio, fœdo exitu eſt conſummatum. Hactenus ex Seuero.

Præſenſerat hanc deceptionem, adhuc in exilio degens, S. *Hilarius* Pictauus, Epiſcopoſque Gallicanos anno ſuperiore præmonuerat, ſcripto ad eos libro illo, qui de Synodis inſcribitur, cuius exordium eſt: *Dominis & beatiſsimis fratribus, & Coëpiſcopis prouinciæ Germaniæ primæ, & Germaniæ ſecundæ, & primæ Belgicæ & Belgicæ ſecundæ, & Lugdunenſis primæ* &c. Sed quin in illam deceptionem incurrerent, vt vides, impedire non potuit.

Ex his quantus apud omnes in Oriente & Occidente Seruatius fuerit, (quanquam hîc vtcumque deluſus) liquidò

quidò perſpicitur, dum tot Concilijs tamque diſſitis intereſt, & fluentes, torrentis more, Arianorum impetus ſua auctoritate remoratur.

Fuit hæc ſecunda Seruatij in Italiam, ac fortè etiam ad vrbem Romã profectio. Cùm rediјſſet, fraudeſque Hæreticorum ac pericula videret, reliquum vitæ tempus, partim in intima cum Deo familiaritate procurãda, partim murum ſe pro Dei domo fortiter opponendo, integerrimè traduxit; donec de Galliarum ac ſpeciatim Tungrorum ſuorum vaſtitate imminente diuinitus edoctus, Romam tertiùm vltimùmque ſe conferret.

Ceterùm *eximiæ vir ſanctitatis, vigilijs ac ieiunijs vacans, crebro lacrymarum imbre perfuſus, miſericordiam Domini precabatur, ne vnquam Hunnorum, aliorumq; barbarorum gentes incredulas in Gallias venire permitteret. Sed ſentiens per ſpiritum, pro delictis populi, hoc ſibi non fuiſſe conceſſum,*
An. 382. *Romam iuit, ad beati Petri tumulum, vt adiunctis ſibi Apoſtolicæ virtutis patrocinijs, quæ flagitabat mereretur faciliùs obtinere.*

Ibi

Ibi verò multis diebus ſeſe oratione & maxima inedia affligens, reſponſum accepit, deliberatione Domini ſancitum eſſe, Hunnos Gallias debere depopulari: ipſius autem oculos ea mala non viſuros. Quo reſponſo ſuſcepto, celeriter rediit ad vrbem Tungrorum; valeq́. dicens clericis ac reliquis ciuibus vrbis, denuntiat illis cum fletu, quia non viſuri eſſent vltrà faciem ſuam. At illi cum eiulatu magno ſupplicabant, Ne derelinquas nos, pater ſancte; nec obliuiſcaris noſtri, Paſtor bone. *Sed cùm eum fletibus reuocare non poſſent, accepta benedictione cum oſculis, redierunt. Hic verò ad Traiectēſem vrbem accedens, modica pulſatus febre, receſſit à corpore: ſublatuſq́. à fidelibus, iuxta pontem aggeris publici eſt ſepultus. Ad cuius meritum demonſtrandum, tempore hiemis, cùm omnia in circuitu nix repleret, numquā ſepulcrum eius operuit, donec induſtria & impenſa ciuium, ſupra eumdem illum ſepulcri locum baſilica, ad eius memoriam (per S. Monulphum Epiſcopum) ædificata eſt:* vt totidem ferè verbis Gregorius Turonenſis narrat. *An.382.*

Obiit autem Seruatius anno 383.

quo

quo *Gratianus* Hunnos, Galliæ per ſe inhiantes, contra *Maximum* tyrannum, ex Britannia venientem, euocauit. Hoc eſt, anno vno alteroue ante Synodum Treuerenſem contra Priſcillianiſtas, iuſſu Maximi, Gratiano deuicto, habitam: cui quidem cùm S. *Martinus* Turonenſis Epiſcopus, alijq; remotiores Galliarum Epiſcopi interfuerint, Seruatius autem tam vicinus neque per ſe neque per legatum comparuerit, prorſus vero ſimile ſit, ipſu paulò ante è vita migraſſe. Seruatius itaque annos ferè 70. Tungris Epiſcopus præfuit: ex qua annorum in Epiſcopatu diuturnitate, trecentos vitæ annos illi vulgus attribuit.

Eſt ea habita an. 384. vel 385.

Quieſcit porrò S. Seruatius Traiecti ad Moſam, in illuſtri vetuſtaque Canonicorum ſui nominis baſilica: in cuius crypta hodieque viſitur ſepulcrale eius monumentum, & à peregrinis (quos inter maximum numerum faciunt Britones Aremorici) piè etiãnum viſitatur. Seruatiani verò tẽpli, inter Belgica vetuſtiſſimi, initia debẽtur

Bretons Bretonans.

tur *S. Monulpho*, octauo poſt Seruatium Epiſcopo Traiectenſi, incrementa autem *Carolo Magno* Imperatori: quibus inſigne & amplum ſacellum adiecit *Ludouicus XI*. Galliæ Rex, vitæ longioris percupidus; quem in finem & *S. Franciſcum Paulanum*, ord. Minimorũ conditorem, ex Calabria ad ſe euocarat; vt Ph. Cominæus narrat.

S. ONESIMVS Epiſcopus Sueſſionenſis.

FVit ſeptimus illius vrbis in Gallia Antiſtes, & prædeceſſorem habuit *Mercorinum*, qui Agrippinenſi contra Euphratem concilio an. 370. interfuit. Mercorinum voco, ex ms. codice Duacenſi ad S. Amatum, non Mercurium, vt vulgò legitur.

S. Oneſimi, itemque S. GVRDINELLI confeſſoris corpora, circa an. 896. ex vrbe Sueſſionenſi Duacum ſunt tranſlata: vbi quieſcunt in collegiata Canonicorum S. Amati æde. Vide 5. Maij & 13. Sept.

S. ROLENDIS, virgo Gerpinienſis.

Die 16. April. VT ad S. *Drogonis*, ſic ad ſanctæ huius virginis tumulum, plurimi ſanantur, calculo, ſtranguria & iliaca paſſione laborantes. Eiuſdem corpus circa an. 1100. *Obertus* Leodicenſis Epiſcopus è terra in feretrum trãſtulit. *Gerpin.* Quieſcit Gerpiniæ, qui pagus eſt Comitatus ac diœceſis Namurcenſis, inter Tudinium & Foſſas opida, ſecũdo lapide à Walcuria.

Maij 13. die. Martyrol. Rom.

S. DIMPNA, virgo & martyr.

Gelr. Kempẽ. GEla, populoſum eſt Campaniæ Brabantinæ municipium, diœceſis Siluiducenſis, quod habet collegiũ Canonicorum, in honorem SS. Martini & Dimpnæ, an. 1562. à *Ioanne Merodio* Barone ac toparcha fundatũ. Quieſcit hîc S. DIMPNA virgo, Regis Hiberniæ filia, quæ pro fide Chriſti & virgi-

virginitate ſeruanda, à patre iuſſa eſt decollari. Eius vitam ſcripſit Petrus Cameracenſis.

Dimpnæ à ſacris fuit S. GEREBERNVS, pariter martyr, & eximiæ probitatis presbyter: cuius corpus Gela *Sōſbecam*, ditionis Cliuenſis opidum, eſt tranſlatum. Vbi per errorem vulgi, non Gerebernus, ſed Bernardus nunc vocatur; & annulis ſacratis, qui contra chiragrā & febres à fidelibus geſtari ſolent, non Gereberni, ſed S. Bernardi nomen impreſſum legitur. *S. Gerebernus*

V. Thomas Cantipratanus.

THomas *Leuuis S. Petri*, celebri Brabantiæ municipio, altero lapide à Bruxella natus, primùm fuit Canonicus regularis in *Cantiprato*, ad muros vrbis Cameracenſis (vnde & cognomentum accepit) pòſt familiæ Prædicatorum recens natæ nomen dedit. Scripſit vitas *B. Chriſtinæ Mirabilis. S. Lutgardis, B. Margaritæ Iprenſis, S. Mariæ Ogniacenſis, librum de Apibus*, & alia non *S. Peeters Leeuvv Cantimpré.*

pauca. Cùm S. Thoma Aquinate cõmunem præceptorem habuit *Albertum Magnum* : vt ipſe lib.2.cap.vlt.part. 50. de Apibus fatetur. Fuit Epiſcopus ſuffraganeus, vt vocant, Antiſtitis Cameracenſis; obijtque 15. Maij : ſed quoto ætatis ſuæ, vel Dominicæ incarnationis anno, nondum comperi. Vita eius exſtat in Rubra-Valle ms. apud *Ioannem Gilemannum*, in Hagiologo Brabantinorum, quam Hyacinthus Choquetius, Doctor Theologus, an. 1618. Duaci publicauit, in libro de Sanctis Belgij ex ordine Prædicatorum. Eamdem conſcripſit *Georgius Colueneriius*, Cancellarius Duacenſis, & libris Apum an. 1605. præfixit.

Maij 17. *die.*

S. Cæleſtinus, Rotnaci in Flandria celebris.

AN is fuerit Papa, *Bartholomæus Petrus* Lintrenſis, & *Georgius Coluenerius*, Doctores Theologi Duacẽſes, qui

qui Ioannis Molani Natales Belgicos an. 1616, ibidem cum Notis recudendos curarunt, meritò dubitant. Nam Cæleſtinus, qui Rotnaci quieſcit, videtur martyr fuiſſe: vt colligi datur ex illo verſiculo,

Vita Celeſtini gladio fuerat data fini:

Qui verſiculus in veteri Sanctorũ Rotnacenſium feretro legi ſolet; vt Iac. Pamelius in Prolegomenis ad Cyprianum teſtatur, & nos à Rotnacenſibus Canonicis an. 1622. accepimus. Cæleſtinus autem Papa, ad 6. diem Aprilis, Romano Martyrologio adſcriptus, non martyr, ſed confeſſor fuit. Meierus certè, in Annalibus Flãdriæ, ad an. 765. refert Rotnaci obijſſe beatum Cæleſtinum Scotum, Abbatem Blandinienſem, quem in exiliũ Carolus Martellus miſerat. Ego, quod certò ſtatuam, non habeo. Vt vt ſit, ex archiuis eccleſiæ Rotnacenſis accepi, XVI. Kal. Iunij, an. 1167. corpus S. Cæleſtini ex veteri feretro in nouũ, permiſſu Epiſcopi Cameracenſis, eſſe tranſlatum, per Abbatem Einhamen-

Vide 28. *Aug.*

 ſem

ſem, eidemque Abbati tunc datũ fuiſſe caput S. Cæleſtini.

Maij 18. die.

S. Qvinibertvs confeſſor.

Colitur à Benedictinis in Hannonia monachis Lætieſibus, & quieſcit in vico *Serleſches*, crebris ſanitatum miraculis olim clarus.

Maij 20. die. Mart. Rom. & Surius.

S. Dvnstanvs Cantuarienſis in Anglia Archiepiſcopus, exul apud Gandenſes.

Glaſconienſe monaſterium, præter alia, fundauit, & Abbas rexit. Archiepiſcopus exinde creatus, & ab *Eduino* Regem in exiliũ pulſus, Gandaui diu vixit: quo defuncto, cùm eſſet in Angliam reuocatus, an. 988. viuere deſijt.

S. Ha-

S.HADVLFVS, ex Abbate Vedaſtino Epiſcopus Cameracenſis & Atrebatenſis.

ANno circiter 717. Hunoldo *defuncto, ad Epiſcopale ſolium Hadulfus eligitur, quem aſſerunt quidam filium fuiſſe ſancti Ragnulfi martyris, de quo hi, qui noſtris ſuperfuere temporibus, fideles teſtati ſunt, multa ſe ad ſepulcrum eius vidiſſe miracula. Hic Hadulfus in eccleſia S. Petri Apoſtoli, quæ intra muros caſtelli Atrebatenſis eſt, iuxta monaſterium S. Vedaſti, ſepultus eſt. Huius verò ſanctitas, procedente tempore, multis miriſq; portentis oſtenſa eſt. Quorum præcipuus teſtis ædituus monaſterij S. Vedaſti Engrano Cameracenſi Epiſcopo viſiones, quas plerumq; viderat, propalauit. Qui ergò teſtem idoneum animaduertens, ſanctum corpus leuauit. In qua eleuatione ad declaranda ſancti viri merita, mulier quædam ab immundo ſpiritu mirificè liberata eſt. Vnde Epiſcopus lætus, verbo facto ad populum, B. Hadulfi ſolēnia in numero Sanctorum notificauit.* Ita Baldericus lib. 1. Die 26. Maij.

cap.34.& 35. in Chronico Cameracenſi. Ceterùm ex dicta S. Petri æde, quæ intra monaſterij ſepta viſitur, oſſa S. Hadulfi ad digniorem S. Vedaſti baſilicam poſtea ſunt tranſlata.

B. FASTRADVS Abbas VII. Ciſtercienſis.

ANſelmus Peronius, vir nobilis, & Canonicus Sonegienſis, an. 1148. *Cãbron.* S. Bernardo *Camberonam* allodiũ ſuum dedit, ad monaſterium ibidem excitãdum. Quo in loco primus Abbas conſtitutus Faſtradus, exinde ad *Clara-Vallis*, ac demum ad *Ciſtertij* regimen tranſlatus. *Clervaulx. Ciſteaux.* Obijt Pariſijs, inde Ciſtertium trãſuectus ac ſepultus. De eius virtutibus multa leguntur in ms. Exordio ord. Ciſtert. lib.2.cap.24. et in noſtro Chronico Ciſtercienſi, Coloniæ edito.

Maij

Maij 21. *die*.

S. ITISBERGA virgo.

ITisberga, *Pipini* Galliæ Regis filia, & *Caroli Magni* Imperatoris ſoror, condita eſt in monte eius nomine celebri, apud Ariam Arteſiæ opidum, *Aire.* ibique frequenti peregrinantium concurſu honoratur. Reliquiæ illius hodieque ibidem ſuperſunt; quod nota contra Molanum, qui putauit eas an. 1558. ſæuiente bello Gallico, perijſſe.

Maij 25. *die*.

De Miraculo, quod Fauerniaci in Burgundia contigit circa SS. Euchariſtiam.

ANno 1608. die feſto Pentecoſtes, duæ Hoſtiæ conſecratæ, graui & metallicæ pixidi incluſæ, per ſpatium triginta trium circiter horarum, in aë-

grandior profectus, ibidem cum alijs XXII. martyrio coronatus eſt: quorũ corpora *S. Praxedis* collegit ac ſepeliuit. Cæterùm *B.Papolenus* ſeu *Babolenus*, qui S. Remaclo in regimine monaſterij Malmundarienſis ſucceſſit, corpus martyris Roma Stabuletum attulit, & in primaria cœnobij villa, *Ladernaco*, honorificè collocauit. *Die 26. Iunij.* *Lierneux.*

Maij 27. die. Martyrol. Rom.

S. RAGNVLFVS ſeu Ranulphus, martyr in agro Atrebatenſi.

PAſſus eſt in villa Abbatiæ S. Vedaſti, quæ Latinè Tiliodum, Gallicè *Telu* dicitur. Putatur fuiſſe pater S. Hadulfi Cameracenſis Epiſcopi: de quo vide ſuprà 19. Maij.

Hoc ipſo die an. 1121. V. Fredericus Epiſcopus Leodicenſis veneno ab aduerſarijs eſt ſublatus. *V. Fredericus.*

Maij

Maij 29. die.

S. Maximinus II. Archiepiſcopus Veſontinus.

VEſontionem à *Caio* Papa miſſus, & Epiſcopus conſecratus, præfuit annis ſex, obijtque anno ſalutis
An. 291 ducenteſimo nonageſimo primo, ſepultus extra vrbem Biſontinam, in eremo ipſi ſacra. Vbi hodieque ſacra eiuſdem oſſa creduntur quieſcere, è terra nondum eleuata. Feſtiuitatem ſui Antiſtitis Maximini celebrat 29. die Maij Eccleſia Biſontina: quo die & ſuum Treuerenſes S. Maximinum colunt.

S. Paulinus. S. Euſebius. Maximino ſucceſſit eius diſcipulus *S. Paulinus*, huic verò *S. Euſebius*, à Melchiade Papa conſecratus: quorum poſterior obijt circa an. trecenteſimum decimum tertium. De ſingulis vide plura apud *Chiffletium* in Hiſt. Veſontionenſi.

S. Maxi-

S. Maximinus Archiepiſcopus Treuerenſis. *Martyrol. Rom.*

FVit is longè poſterior *S. Maximino Biſontino*, vtpote *S. Athanaſij* Patriarchæ Alexandrini æqualis, quem & Treueris exulantem an. trecenteſimo triceſimo ſexto excepit. Idem an. trecenteſimo quadrageſimo ſeptimo interfuit concilio Sardicenſi, cum *S. Seruatio* Tungrenſi, *Dioſcolo* Remenſi, *Eulogio* Ambianenſi, & *Victorino* Pariſiẽſi, Epiſcopis. Triennio pòſt, cum eodem S. Seruatio, à Magnentio tyranno ad Conſtantium Imp. in Orientem miſſus eſt. Fuit natione Aquitanus, obijtque in patria ſua, inde Treueros per *S. Paulinum* ſucceſſorẽ ſuum reuectus. Vide ſupra 13. Maij.

An. 336
An. 350

I V-

IVNIVS.

Kalendis Iunijs. Martyrol. Rom.

S. SIMEON monachus Treuerenſis.

BEnedictus IX. Papa integerrimæ vitæ monachum in Sanctorũ numeros retulit. De eiuſdem canonizatione agit Tritthemius in Chron. Hirhaugienſi. Acta ab Eueruino cõſcripta exſtant apud *S*urium. De eodem agit *S*igebertus in Chron. ad an. 1015.

Iunijs 2. die. Martyrol. Rom.

S. MARCELLINVS presbyter, & *S*. PETRVS exorciſta, martyres Romani.

EInhardus ſeu Eginhartus, Caroli Magni Imp. olim Cancellarius, pòſt Ludouico Pio eius filio ac ſucceſſori admodum familiaris, an. 826. fit Abbas XV. Bauonici ſiue Gandenſis cœno-

cœnobij. Habuit is notarium *Ratcleicum* nomine, quem ad conquirendas Sanctorum reliquias Romam miſit. Is varijs locis piè luſtratis, tandé diuino fretus auxilio, in crypta baſilicæ S. Tiburtij martyris, quæ eſt via Lauicana, tertio ab vrbe Roma milliari, corpora *SS.* Marcellini & Petri martyrum repperit, atque in Gallias tranſtulit. Ita ms. *Chronicon Gandenſe.*

Quas quidem reliquias, in Galliam Belgicam allatas, Eginhartus partim in Gandauenſi *S.* Bauonis monaſterio, partim in Haſnonienſi Benedictinorũ apud Hannones cœnobio collocauit. Fallitur autem Molanus, dum Haſnonij *SS.* martyrum oſſa noſtrâ ętate ab iconomachis violata, ex vana aliorum relatione, ſcribit. Ea enim piorũ quorumdam hominum ſtudio Valentianis occultata, hodieque ſalua Haſnonienſes adſeruant: quod ex publicis tabulis, ſuper hac re ſolemniter aduerſus Molani ſcriptionem cõfectis, mihi conſtat.

S. Adal-

S. ADALGISVS presbyter Hibernus.

FRatres habuit *S. Ettonem*, de quo infra 10. Iulij, & *S. Gobanum*. Chriſti doctrinam prædicauit in finibus Hannoniæ, inter Iſaram & Helpram fluuios. Quieſcit in S. Michaelis monaſterio, quod apud Picardos in Theraſcia ſilua *Eilbertus* Comes exſtruxit. Idem Comes & Walciodorenſe cœnobium in Comitatu Namurcenſi condidit. Adalgiſi vita ms. exſtat in Bethlehemitano Canonicorum regularium cœnobio prope Louanium.

Iunij 4. die. Martyrol. Rom.

S. SATVRNINA virgo & martyr in Arteſia, ſeu agro Atrebatenſi.

Sainct en Arthois.

APud Sanctos (id loco vocabulum) puellarum baſilica, vbi *S. Saturnina* quieſcit, traditur exſtitiſſe. Hæc virgo de Germania præclaris natalibus

bus orta, à pueritia ſuam virginitatem Domino vouit, quam cùm parentes iuxta ritum ſęcularem maritare diſponerent, integritatem pudoris cælesti ſponſo ſeruare mallens, viriles thalamos procul abhorruit. Videns autem quia aut voluntati parentum nō poſſet reſiſtere, aut proterui ſponſi appetitum euadere, à paternis ædibus latēter egreſſa, fugam inijt, & ad hanc viciniam vſque perueniens, iuxta prædictum vicum curſum vitæ martyrio conſummauit. Nam vir ille cui pacta à parentibus erat, palantem vſque ad ipſum locum perſęcutus eſt. Quem cùm poſt tergum virgo venerabilis eminus proſpexiſſet, tota intremuit, & quomodo ſe morſibus infeſtantis beſtiæ eximeret, neſcit. Quid enim faceret? mox, vti erat animal ſimplex, paſtoribus, qui illic gregem paſcebat, abſcondenda ſe interſerit, taliterque quærentem latere æſtimauit. Quod tamen iuuenis aucupatus, vt lupus eſuriens ſuper innocentem ouiculā irruit, euaginatoque gladio decollauit.

Quæ mox, vt antiquitas relatorũ audet aſſerere, proprium caput manibus ſumpſit, populoque ſpectante vſque in eccleſiam, quæ in ipſa villa in honore ſancti Remigij aderat, deportauit. Ad cuius ergò venerationem, à fidelibus Chriſtianis facto monaſterio, puellaris congregatio delegatur, ſed quibuſdã cauſis intercipientibus, ad vnius presbyteri obſequium redigitur. Eſt autem antiqua relatio, quòd longo poſt tempore Saxones, incertũ qua cauſa, ad hanc viciniam deuenerunt, & per ipſum vicum tranſeuntes, audita quidem ſacra opinione, partem corporis ſacræ virginis aſportarunt. Ita Baldericus lib. 2. cap. 12. in Chronico Cameracenſi.

Saxones partem corporis S. Saturninæ aſportant.

Vt S. Saturnina, ſic alij multi Sãcti capita ſua abſciſſa proprijs manibus portauerunt: in his *S. Dionyſius*, primus Pariſiorum Epiſcopus, *S. Lucianus* primus Bellouacenſis Epiſcopus, *SS. Fuſcianus, Victoricus*, & *Piatus*, *S. Nicaſius* Remenſis Epiſcopus, *S. Demninus* miles, 9. Octobris apud Surium, *S. Iuſtus* ſeu

Iuſti-

Iuſtinus puer, ibidem 18. Octobris, *S. Ceraunus* apud Carnutenſes, *S. Albanus* apud Moguntinos, S. *Laurianus* Epiſcopus Hiſpalenſis, S. *Lambertus* martyr in Hiſpania, *S. Eliphius* 16. Oct. apud Surium, *S. Oſitha* virgo, ibidem 7. Octobris, S. Oelbertus in Brabantia, *S. Regulus*, *B. Adalbaldus* pater S. Mauronti, S. *Sauinianus*, 29. Auguſti, ſex item Martyres ex ordine Prædicatorum, qui Toloſæ coluntur. De ſingulis fuſiùs agit Coluenerius in Notis ad citatum Balderici locum.

Iunij 5. die. Martyrol. Rom.

S. BONIFACIVS, Moguntinus & Vltraiectinus Archiepiſcopus, Germanorum Apoſtolus.

ANgliæ & Scotiæ regna notiſſimā hodie Oceani Europæi inſulam complectuntur, quæ olim vocata fuit *Albion*; vt Beda lib. 1. Hiſt. Angl. cap. 1. tradit. Exinde cùm Auſtraliorem eius partem occupaſſent Britones, qui

ex Aremorico Galliæ tractu venerant, dicta eſt *Britannia*, vt ibidem ab eodem Beda traditur. Tandem verò maior illius inſulæ pars nuncupata eſt *Anglia*, cùm in eam è Germania veniſſent Angli: vt idem eodem libro cap. 15. explicat. *Aduenerant*, inquit, in Britanniam, *de tribus Germaniæ populis fortioribus, id eſt, Saxonibus, Anglis, & Iutis*: ita namque legēdum eſt iuxta manuſcriptos codices, non *Vitis*.

Saxones Angli. Iuta.

Ex iſto Bedæ loco & alijs patet Anglos interdum conſiderari velut populum a Saxonibus diſtinctum: qui tamen alibi, vt lib. 2. cap. 2. 5. 9. & 22. Saxonum nomen adeò latè accipit, vt ipſos etiam Anglos complectatur: *Anglorum ſiue Saxonum gens*, inquit, *inuitata à Rege Vuitigerno, Britanniam tribus longis nauibus aduehitur*. Sed & frequens inde apud veteres ſcriptores Anglo-Saxonum appellatio.

Ex Anglo-Saxonibus porrò oriundi fuere S. *VVillibrordus, Suitbertus, Bonifacius, Eobanus, Athalarius*, & alij primi Germanorum, Friſiorum, ac Batauorum Apoſtoli.

Præter *Saxones, Anglos* & *Iutas*, inſuper *Friſij* ſeu *Friſones* ex Germania in Britanniam eo ipſo tempore tranſierunt: vt Procopius lib.4.de bello Gothico teſtatur. Locum integrum, ex ms. codice Bibliothecæ regiæ Pariſiẽſis à Franciſco Pithæo depromptum, & ex Græco Latinè à ſe redditum, Guilielmus Camdenus in ſua Britannia proponit: *Britanniam inſulam tres numeroſiſſimæ gentes incolunt, quorum vnicuique ſuus Rex imperat. Nominantur hæ gentes, Angli, Friſones, & qui eiuſdem ſunt cum inſula cognominis, Britones. Tanta verò hominum multitudo eſſe videtur, vt ſingulis annis inde magno numero cũ vxoribus & liberis ad Francos emigrent: illi autem in eorum terram, quæ maximè deſerta videtur, excipiunt, vnde inſulam ſibi venditare ferunt: vtiq. non ita pridem, cùm Francorum Rex quoſdam è ſuis Conſtantinopolim ad Iuſtinianum legaret, Anglos etiã miſit, ambitioſius venditans quaſi hæc inſula ſuo ſubeſſet imperio.* *Friſij.*

Ceterùm vt ad S. Bonifaciũ trãſeat oratio, natus is eſt anno Dñi 670.

 Ætatis

Ætatis anno 12. vel 13. Chriſti 683. factus eſt monachus.
Presbyter creatus an. 700.
In Friſiam, Euangelij prædicādi cauſſa, primùm venit an. 704.
In patriam cœnobiumque ſuū redijt an. 716.
Romam proficiſcitur, & à *Gregorio II.* Pontifice an. 718. prædicandi in Germania poteſtatem accipit.
Maio menſe, Roma in Germaniā venit, & *S. Gregorium* puerum, pòſt Vltraiectenſem Epiſcopum, in diſciplinam ſuam accepit, an. 719.
Radbodo Friſiorum Rege, idololatra, anno ſuperiore defuncto, in Friſiā ſecundò iuit, & tribus circiter annis S. Willibrordo Epiſcopo cooperator fuit. 720. 721. 722.
Epiſcopatum Vltraiectenſem à *S. VVillibrordo* delatum refugiens, in Germaniam redijt, & Chriſtianam in ea religionem mirificè propagauit, an. 722.
Romam it ſecundò, & à *Gregorio II.* creatus Epiſcopus, ad cœptos in
Ger-

Germanica vinea labores an. 723. redit, Germaniæ & Galliæ Principibus per eumdem Pontificem cõmendatus.

Carolum Martellum adit, & acceptis ab eo litteris ſecuritatis, ad Cattos ſeu Haſſos euangelizaturus an. 724. proficiſcitur.

Euangelicis in laboribus ſtrenuè verſatur anno eodem & ſequentibus.

Incertæ ſedis Archiepiſcopus à *Gregorio III.* creatur, & ſolitis in laboribus gnauiter deſudat, anno 732. & ſeqq.

Romam tertio vadit ac redit an. 738.

Vt Archiepiſcopus & Apoſtolicæ Sedis per Germaniam Legatus, Bauariam in diœceſes quattuor, *Salisburgenſem, Friſingenſem, Ratiſponenſem* & *Patauienſem*, partitur, an. 739. *Othilone* Baioariorũ Duce conſentiẽte.

Rat. ſponæ XI. Kal. Maij an. 742. ſynodum habet, cui *Burchardus* Herbipolẽſis, *Reginfridus*, *VVittanus* Birburgenſis, *VVillibaldus*, Eichſtatenſis Epiſcopus, *Dadanus* vel *Edanus*, & *Regenſpurg.*

Adanus vel *Adda*, cum ſuis presbyteris, interfuerunt : adiutante *Carlomanno* Duce Francorumq; Principe, Caroli Martelli filio.

Leſtines Liptinis ſeu Liſtinis, in Hannonia, haut procul à Laubiēſi monaſterio, alteram ſynodum Kalendis Martijs an. 743. celebrat: in qua *S. Abel* Remenſis, *Grimo* Rotomagenſis, & *Arbertus* ſiue *Hartbertus* Senonenſis, Archiepiſcopi præſentes exſtiterūt, vnà cum *Carlemanno* Principe, qui Liptinis tunc palatium habebat.

Ex incertæ Sedis Archiepiſcopo per Zachariam Papam fit Moguntinus Archiepiſcopus, & tertiam Mogūtiæ ſynodum an. 745. habet: cui interfuerunt *Abel*, *Burchardus*, *VVillibal lus*, *VVerbethus*, & *VVera*, fortè *VVetta*, ſeu *VVittanus*.

Ad Fuldam amnem in ſilua Buchonia, locum à *Carlomanno* & *Pipino* Principibus, Caroli Martelli filijs, dono datum, ad vſus monachorum aptare cœpit, circa hæc tempora.

Romam vltimò proficiſcitur, indidēque

que reuertitur an. 750.

Herbipoli ſeu Wirceburgi firmum fixumque Epiſcopum conſtituit S. *Burchardum* an. 751.

Pipinum, Caroli Magni patrem, coronauit & vnxit Francorum Regem an. 752. in vrbe Sueſſionenſi, mandante *Zacharia* Papa.

In Friſiam vltimò ſe contulit an. 754.

Martyrio ibidem an. 755. afficitur, in villa *Dockum* quæ hodie opidum eſt inſigne Doccomiū, diœceſis Leouardienſis.

Hanc vitæ illius Chronologiam Nicolaus Serarius, Soc. Ieſu presbyter, in Hiſtoria ſua Moguntina, cōcinnauit, nos verò auximus & illuſtrauimus.

S. EOBANVS Coëpiſcopus, ADALHERVS, & alij ſodales S. Bonifacij.

QVot & qui fuerint S. Bonifacio ſocij ſacræ laureæ in martyrio,

non eſt vna omnium ſententia. Beda in Epitome LIII. Hucbaldus Elnonẽſis LII. Rixfridus Epiſcopus Vltraiectinus LI. ſocios ipſi adſignat. Atq; omnium quidem nomina in libro vitæ ſcripta ſunt: ex ijs tamen ſola XI. ab Othlono, S. Bonifacij præcone, à Beda verò non niſi X. recenſentur.

Eoban.	
VVintrung.	*VVintruge.*
VValtheri.	*VValthere.*
Adalheri.	*Scirpalde.*
Hamunt.	*Boſan.*
Skirbalt,	*Hamon.*
Bderſo.	*Adelhere.*
Vaccar.	*VVancare.*
Kundekar,	*Gundacaré.*
VVilliheri.	*VVillehere.*
Hadolf.	*Athaliolfe.*

De eo, quem Othlonus quarto loco numerat, quæri poteſt, ſitne is S. *Adelarius* ſeu *Adelharius*, qui fuit primus & vltimus Epiſcopus Erfurtenſis ſeu Erfordienſis in Germania. Cuius quidem corpus, & quidem velut integrum, ibidem hodieque adſeruatur in

S. Adelharius.

colle-

collegiata Canonicorum B. Mariæ eccleſia, & anniuerſariam eius memoriã celebrant XII. Kal. Maij. Quæri item poteſt, an ſit idem cum S. *Athalario*, qui vt & S. *Eobanus* Coëpiſcopus, in Vltraiectina Canonicorum S. Saluatoris baſilica olim quieuit. De quibus Molanus in Natalibus Belgicis, & Serarius lib. citato conſuli poterunt.

S. ANIANVS IX. Archiepiſcopus Biſontinus.

ANianus corpora ſanctorum martyrum *Ferreoli* presbyteri, & *Ferrutij* diaconi (qui Veſontione pro Chriſti nomine mortem oppetierant) in crypta, ſeſquimilliari ab vrbe, per quendam Tribunum militum, inter venandum repetra, eleuauit; quæ poſt ad Biſontinam S. Ioannis baſilicam tranſlata ſunt. Viſitur hodieque, & à fidelibus adiri ſolet dicta crypta, extra vrbem, ſub eccleſiâ, quam S. Anianus in honorem iſtorum martyrum excitauit.

Com-

Commemoratio B. Mariæ Virginis apud Bruxellenſes, inſtituta ob victoriam Woringanam.

Diuæus lib. 12. IOannes I. Lotharingiæ, Brabantiæ & Limburgi Dux, V. Idus Iunij an. apud Woringam diœceſis Colonienſis arcem, illuſtrem contra hoſtes victoriam obtinuit. Cæſi ex hoſtibus *Henricus* Comes Luxemburgenſis, cum *Balduino, Valerano*, & *Ioanne* fratribus, & quadringenti equeſtris ord. viri. Capti *Siffridus* Archiepiſcopus Colonienſis, *Reinaldus* Geldriæ Comes, *Valeranus* Falcoburgi Dñs, & *Adolfus* Naſſauię Comes. Woringa arx capta atq; euerſa. In memoriam tantæ victoriæ, vt ſuſpicor, fit quotānis Bruxellæ publica ac ſolemnis ſupplicatio, Dominica Pentecoſten pręcedente: ſoletque per vrbem deferri imago Deiparæ, cum reliquijs S. *Iulianæ* virginis & martyris, quæ in baſilica elegantiſſima, eidē Virgini-Matri in Arenis coſtructa ac dicata, adſeruantur. Vide ſupra 16. Februarij.

Kerck-Miſſe van Bruſſel.

Op de Sauel.

Iunij 6. die. Martyrol. Rom.

S. CLAVDIVS, Archiepiſcopus Biſontinus.

CLaudius, Salinenſibus Comitibus oriundus, cùm eſſet annorū duorū ſuper triginta, Archiepiſcopus eligutur, & ab *Honorio* Papa confirmatur, an. ſalutis ſexcenteſimo viceſimo ſexto. Priuatæ vitæ ſtudio poſtea ductus, Archiepiſcopalem dignitatē an. ſeptimo ſui Epiſcopatus reliquit, & ad Iurenſe S. *Eugendi* monaſterium ſe recepit. In quo cùm annos quinque egiſſet, defuncto Abbate *Iniurioſo*, vno omnium monachorum conſenſu, Abbas eligitur, & a *Ioanne* Papa quarto confirmatur. Rexit autem laudatiſſimè annis quinquaginta quinque dictum S. Eugendi monaſterium; quod ab ipſo hodie S. *Claudij* dicitur, ſitum in diœceſi Lugdunenſi & monte Iura: vnde primitus *Iurenſe* fuit nuncupatum. De eo vide plura apud Chifletium

An. 626

S. Glaude.

tium in deſcriptione Veſontionis; qui rectè obſeruauit Baronium & alios, in concinnanda S. Claudij chronologia, lapſos eſſe. Exſtat apud eumdem Chiffletium vita S. Claudij, ab auctore anonymo, ſed perantiquo cōſcripta, cuius prima verba notat Molanus in ſuis ad Vſuardum Notis.

S. Gvdvvalvs Archiepiſcopus & Abbas in Britannia. *Surius.*

Barbaris Britanniam infeſtantibus, ſacrum eius corpus, inde in Franciam eſt tranſuectum: quod *Arnulfus* Flandriæ Marchio ad Blandinienſe monaſterium, iuxta Gandauum, curauit aduehendum, per *S. Gerardum* Bronienſem *A*bbatem. Vide Harpſfeldium in Hiſt. Eccleſiaſtica *A*ngliæ.

Die 3. Oct.

S. Nor-

S. NORBERTVS, Magdeburgenſis Archiepiſcopus, candidi ord. Præmonſtratẽſis fundator.

NOrbertus, natus eſt *Sanctis* Cliuiæ opido, in diœceſi Colonienſi; quod à S. Victore, alijſque c c c x x x. martyribus Thebçæ legionis, Maximiani Imp. iuſſu, anno ſalutis 298. eò loci pro Chriſto cæſis, nomen habet. Fuit id olim non *Troia*, vt vulgus exiſtimat, ſed *Traiana Colonia* nuncupatum, à Traiano Imperatore: vt in Hercule ſuo Prodicio Stephanus Pighius rectè probat. Ceterùm ordinis ſui fundamenta iecit Norbertus anno 1120. in Præmonſtrato, diœceſis Laudunẽſis prædio: à quo totus Ordo cognomentum poſtea induit. Idem Sacramentariam & Adamiticam *Tanchelini* hæreſin, Antuerpiæ ſæuientem, anno 1124. validè repreſſit. Ob quam rem præclarè geſtam, *Hildolphus* Præpoſitus, & Canonici duodecim (quorum collegium *Gedefridus Bullonius*, Lotharingiæ *Santen.*

ringiæ Dux, & poſtea Ieroſolymorũ Rex, anno circiter 1090. inſtituerat ac dotarat) ipſi Norberto areã, domũ, templumque S. Michaelis, cum præbendis quattuor, eximiâ ſanè largitate donarunt; & locum ipſi ſibi ſuiſque poſteris alium, vbi nunc cathedralis Deiparæ baſilica viſitur, delegerunt. Obijt autẽ S. Norbertvs an. 1134. cùm Magdeburgenſi in Germania Eccleſiæ primatiali annis ferè octo Archiepiſcopus laudatiſſimè præfuiſſet; apud ſuos ibidem in monaſterio S. Mariæ ante aram maiorem conditus. Miraculis rebuſque geſtis clariſſimum Gregorius XIII. Papa in Sanctorum numerum an. 1582. retulit. Vitæ illius hiſtoria à coætaneo deſcripta exſtat apud Laurentium Surium, & in Chronico noſtro Præmonſtratenſi, Coloniæ an. 1613. typis publicato.

Gregorij XIII. Papæ diploma.

Gregorius Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriã. Immenſa

menſa diuinæ ſapientiæ altitudo , cuius in ſcrutabilia ſunt iudicia; dignata eſt olim per Prophetam reuelare , Deum laudari velle in Sãctis ſuis. *Quod nos ad Sanctorum memoriam debita ſolemnitate celebrãdam eò magis inuitat, quia dum eorum merita recenſentur, virtutum quoque exempla fidelibus ad imitandum proponuntur, vt per ea gradientes, ipſi pariter ad cæleſtem beatitudinem, Sanctorum ſuffragijs adiuti, faciliùs valeant peruenire. Quapropter nos, qui fide dignorum, præcipuè dilectorum filiorum* Philippi, *tituli S. Sixti presbyteri Cardinalis,* Boncompagni *nuncupati, maioris Pœnitentiarij noſtri , & Præmonſtr. ord. Protectoris , ac* Ioannis *Abbatis monaſterij Præmonſtr. Laudunenſis diœceſis, relatibus intelleximus, quòd præfatus* Ordo *à B. Norberto, eximiæ ſanctitatis viro, qui etiam Eccleſiæ Magdeburgenſi præfuit, iam ſupra* 400. *annos fũdatus & inſtitutus fuit; dignum, quin potiùs debitum reputamus, quòd B. ipſe Norbertus in veneratione ac honore habeatur in terris, qui nunc honoratur in cælis, & cuius vita bene placens Deo plurimis claruit miraculis, ſicut fide digna* *Anno* 1582.

T *grauium*

grauium auctorum monumenta teſtantur, Ioanni *Abbati, àc vniuerſo Ordini, vt erga Patrem ſuum gratos & deuotos filios ſe valeant exhibere in perpetuum, vt feſtum ipſius S. Norberti Confeſſoris atq; Pontificis die 6. Iuny, qua idem S. Norbertus ex hac vita migrauit ad cœlum cum ſua Octaua, Officio duplici de vno Confeſſore ac Pontifice, in omnibus & ſingulis dicti Ord. monaſterijs, eccleſiis & locis anniuerſaria ſolemnitate in perpetuum celebrare, ac eiusdem Sancti commemorationẽ, quandocunq; aliæ conſuetæ commemorationes ex monaſtico dicti Ord. inſtituto vel ritu fieri debent, facere, nec non præfatũ S. Norbertũ qui in pluribus Martyrologijs, vſu Catholicæ Eccleſiæ receptis, ſub ipſa 6. die Iunij deſcriptus & annotatus reperitur, in Kalendario eiuſdem Ordinis, tãtum ſub eodem die Iunij profeſto duplici cũ ſu Octaua deſcribere, & annotare liberè & licitè valeant, per præſentes concedimus. Sicq; ab omnib. præfati Ordinis vtrinſque ſexus regularib. perſonis, pro tempore exiſtentibus perpetuò obſeruari debere Apoſtolica auctoritate tenore præſentium mandamus, ſtatuimus, & ordinamus. Non obſtantibus*

bus conſtitutionib. & ordinationib. Apoſtolicis, ac dicti Ord. & eius monaſteriorum, iuramẽto, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis Statutis, & conſuetudinibus, cæteriſq́; contrariјs quibuſcumque. Volumus autem, quòd earũdem præſentium tranſſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notariј publici ſubſcriptis, & ſigillo dicti Ord. aut alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in iudicio & extra illud adhibeatur, quæ iiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis, mandati, ſtatuti, ordinationis & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contrarire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac B. Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud S. Marcum, anno Incarnationis Dominicæ 1582. *V. Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri anno vndecimo.*

Iunij 7. die.

S. VALENTINVS Epiſcopus Tungrenſis, & S. CANDIDVS Epiſcopus.

TVngrorum Epiſcopos poſt S. Maternum, B. Petri Apoſtoli diſcipulum, hos recenſet Harigerus Abbas Laubienſis, in Hiſtoria Pontificum Leodicenſium; *Nauitum, Marcellum, Metropolum, Seuerinum, Florentium, Martinũ, Maximinum, Valentinum* & *Seruatium.* De annis & tempore, quo ſinguli floruerint, idem, cum Treuerenſium rerum ſcriptoribus, fatentur Harigerus Abbas Laubienſis, & Ægidius Aureæ Vallis monachus, Leodicenſes Hiſtorici, nihil certi proferri poſſe. Hinc crebra me ſubijt admiratio, qua fronte ſcriptores recentiores iſtorum Præſulum exitus certis Chriſti annis adfigant.

Aiunt enim *Nauitum* quinquageſimo primo ſui Pontificatus apud Tũgros

gros anno, ad Treuerenſis Eccleſiæ gubernacula admotum, ac decimo inde anno vita functum: *Marcellum* huic ſuffectum per viginti nouem annos; inde *Metropolum* per nouédecim; mox *Seuerinum*, per quindecim; præfuiſſe inde *Florentium*, annis tredecim; tum *Martinum* annis vndecim; *Maximinum* annis tredecim; denique *Valentinum* annis octodecim. Hæc illi, nulla veterum auctoritate ſuffulti.

Eccleſia porrò Traiectenſis ex ſupra nominatis Epiſcopis, præter S. *Seruatium* vrbis patronum, colit inſuper *S. Martinum* & *S. Valentinum*: vt ex Oratione ſeu Collecta 6. Februarij in templo recitari ibidem ſolita patet, quæ ſic habet: *Propitiare nobis quæſumus Domine, famulis tuis per ſanctorum confeſſorum tuorum, Seruatij Monulphi, Gondulphi, Martini, Valentini, Candidi, Amandi, & aliorum, qui in præſenti eccleſia requieſcunt, meritaglorioſa, vt eorum pia interceſſione ab omnibus ſemper protegamur aduerſis.*

Ceterùm *Valentinus* fuit proximus

S. Seruatij prædeceſſor: *Candidus* verò Epiſcopus (cuius vrbis aut prouinciæ fuerit, nemo ex rerum Leodicenſium ſcriptoribus expreſſit) *relicta patria, peregrè venit ad tumulum S. Seruatij, & illi Eccleſiæ per multos annos, Sede-vacante, nocte ac die deuotè deſeruijt, vſque ad obitum ſuum, tẽpore Agricolai Epiſcopi:* vt Ægidius ſupra citatus loquitur. Vtriuſq; ſacra oſſa Traiecti nõ in ſummo altari baſilicæ Seruatianæ (vt Molanus putauit) ſed in crypta ſub choro adſeruantur, in vaſe lapideo, retro aram: ſuntque ibidem an. 1611. inuenta, cũ alijs Sanctorum reliquijs.

Treuerenſes porrò *Valentinum* Epiſcopum ac martyrem celebrant 16. Iulij: quo die & Martyrologio Romano inſcriptus legitur. Atque is, niſi fallor, idem eſt cum Valentino, qui Traiecti ad Moſam 6. Febr. & 7. Iunij colitur. Nã quod certò ſtatuam non habeo; eò quòd Treuerenſis & Tungrenſis Eccleſiæ valdè inter ſe differant in ſuis ſingulæ primis Epiſcopis enumerandis: vt ex ſubiectis Catalogis datur in-

tellligi

telligi. Quibus rebus intelligendis ac conciliandis, Criſtoph. Brouueri Hiſtoriam Treuerenſem conſule.

Tungrenſes, Traiectenſes ad Moſam, & Leodicenſes Epiſcopi.

TVngrorum Epiſcopi primùm *Tungris* poſtea *Traiecti ad Moſam*, demū *Leodici* ſedem ac domicilium habuerunt. Horum res geſtas, à varijs auctoribus conſcriptas, annis ſuperioribus, vnum in corpus collegit ac publicauit *Ioannes Chapeauillius*, Canonicus & Vicarius generalis Leodicēſis.

S. Maternus, B. Petri Apoſtoli diſcipulus. *Martyrol. Rom.* 14. *Sept.*

S. Nauitus colitur Treueris 7. *Iulij.* Notet autem Lector, primis Treuerorum Epiſcopos Tungris quoque, & Agrippinenſibus ſeu Colonienſibus præfuiſſe, vſque ad æuum Conſtantini Magni, quo ſingulis iſtis Eccleſijs ſinguli ac proprij dati ſunt Epiſcopi.

S. Marcellus colitur Treueris 5. *Sept.*

S. Metropolus colitur ibidem 8. *Oct.*

S. Seuerinus colitur ibidem 24. *Oct.*

S. Florentius colitur ibidem 16. *Oct.*

S. Martinus, Haſbanorum Apoſtolus. *Martyrol. Rom.* 21. *Iunij.*

S. Maximinus colitur ibidem 2. *Iunij.*

S. Valentinus. vide ſupra pag. 292.

10. S. Seruatius Tungris ſedem Traiectũ an. 383. tranſtulit & obijt. Poſt cuius mortem per annos 114. Sedes vacauit, ob Hunnorũ vaſtationes.

B. Agricolaus an. 497. ſedere cœpit.

B. Vrſicinus moritur 505. vt volunt.

B. Deſignatus moritur an. 508.

B. Reſignatus obijt an. 511. *die* 1. *Dec.*

B. Sulpitius *XV. Kal. Febr.* an. 519. obijt.

B. Quirillus obijt *prid. Kal. Maij,* 521.

B. Eucherius, ſiue Eucherus obijt an. 529. coliturq; à quibuſdam *X. Kal. Martias*; vt tradit Ægidius Aureæ Vallis monachus, qui iſtos IX. Epiſcopos nuncupat Beatos.

B. Falco obijt an. 532.

B. Eucharius obijt *III. Kal. Martij,* 538.

20. S. Domitianus Huienſium patronus. Vide 7. *Maij.*

S. Monulphus quieſcit Traiecti. Vide 16. *Iulij.*

S. Gon-

S. Gondulphus quieſcit ibidem. Vide 16. Iulij.
S. Perpetuus, Dionantenſium tutelaris, 4. *Nou.*
S. Ebregiſus ſeu Euergiſlus, vt Colonienſis, non Tungrenſis Epiſcopus, à quibuſdam putatur omittendus. Vide 24. *Oct.*
B. Ioan. cognomento Agnus, 25. *Iulij.*
S. Amandus, vir verè Apoſtolicus, 6. *Febr.*
S. Remaclus Epiſcopus & Abbas Stabulenſis, 3. *Sept.*
S. Theodardus martyr. 10. *Sept.*
S. Lambertus, Leodicenſium patronus. 17. *Sept.*
S. Hubertus Traiecto ſedem Leodicũ an. 709. tranſtulit, & an. 727. obijt, 3. *Nou.* 30.
S. Floribertus, S. Huberti filius, 25. *April.*
Fulcarius obijt an. 761.
Agilfridus obijt an. 784.
Gerbaldus deceſſit an. 809.
Valcandus corpus S. Huberti tranſtulit Andaïnum 817.

Pirardus moritur an. 841.
Hircarius obijt an. 855.
Franco, antea monachus Laubienſis, obijt 903.
Stephanus, ſcriptor celebris, ob. 920.
40. B. Richarius, antea Abbas Stabulenſis obijt 945.
Hugo, antea Abbas S. Maximini Treueris.
Farabertus, antea Prumienſis Abbas, obijt 953.
Ratherius antea monachus Laubiēſis.
Baldricus I. obijt an. 959.
Eraclius ſeu Euraclus ob. an. 970.
V. Notgerus Leodicum muris cinxit.
Baldricus II. deceſſit an. 1017.
B. Wolbodo animam Deo reddidit an. 1021.
B. Durandus deceſſit an. 1025.
50. Reginardus Moſam ponte ſtrauit, & ob. 1038.
Richardus deceſſit an. 1047.
B. Wazo. an. 1048. obijt. Hîc deſinit Anſelmus.
Theoduinus, Rhutenſis Eccleſiæ fundator.

Hen-

Henricus I. obijt an. 1091.
Otbertus Bullonium & Couuinium emit.
B. Fredericus veneno tollitur 1121.
Albero I. viuere deſijt an. 1128.
Alexander I. obijt an. 1135.
Albero II. Rationale ab Innocentio II. accepit.
Henricus II. à Paſchali PP. donatur pallio.
Alexander II. obijt in Italia 1167.
Radulphus veneno tollitur an. 1191.
S. Alberrus an. 1192. cæſus. *Martyrol. Rom. 21. Nou.*
Albertus Cuquenſis obijt 1200.
Hugo Petrapontius, moritur an. 1229.
Ioannes Apianus Crucigeros fundat Huij.
Guilielmus Valētinus moritur 1239.
Robertus Lingonēſis deceſſit a. 1246.
Henricus Geldrenſis deponitur anno 1247.
Ioānes Angianus impiè cæditur 1281.
Ioannes Guido, antea Metenſis Epiſcopus.
Hugo Cabilonenſis amouetur 1301.

Adol-

Adolphus Waldegius moritur 1302.
Theobaldus Barrenſis deceſſit Romæ 1312.
Adolphus Marcanus obijt an. 1344.
Engelbertus Marcanus, pòſt Archiepiſcopus Colonienſis.
Ioannes Arkelenſis, antea Epiſcopus Vltraiectinus.
Arnoldus Hornanus, antea Epiſcopus ibidem.
Ioannes Bauarus Epiſcopatu ſe abdicat 1418.
Ioannes Walenrodius, vir integerrimæ vitæ.
Ioannes Heinsbergius Epiſcopatum dimittit 1455.
Ludouicus Borbonius interficitur an. (1482.
Ioannes Hornanus obijt 1505.
Erardus Marcanus, S. R.E. Cardinalis, obijt 1538.
Cornelius Bergius Epiſcopatu ſe abdicat 1543.
Georgius Auſtriacus an. 1557. (1565.
Robertus Bergius Præſulatū dimittit
Gerardus Grosbequius S.R.E. Cardinalis ob. 1580.

Erneſ-

Erneſtus Bauarus, Elector Coloniẽſis, obijt 1612.

Ferdinandus Bauarus, Elector Colonienſis, &c.

Treuerenſes Epiſcopi.

S. Eucharius: *de quo Mart. Rom. 8. Dec.* 1.
S. Valerius. *Martyrol. Rom. 30. Ian.*
S. Maternus. *Martyrol. Rom. 14. Sept.*
S. Auſpicius. *Martyrol. Rom. 8. Iulij.*
S. Celſus.
Felix I.
Manſuetus.
Clemens.
Moyſes, vel Moſes.
S. Martinus I. 10.
Anaſtaſius.
Andreas,
Ruſticus.
S. Autor I. tranſlatus Paderbornam.
Mauritius I. alijs Fauritius & Fabritius
Fortunatus.
Caſſianus.
S. Marcus.
S. Nauitus. *Breuiarium Treuerẽſe 7. Iulij.*

S. Mar-

20. S. Marcellus martyr. *Martyrol. Rom.* 4. *Septembris. Breuiarium Treuerenſe* 5. *Sept.*

S. Metropolus. *Breu. Treuerenſe* 8. *Oct.*

S. Seuerinus I. *Martyrol. Rom.* 21. *Decembris. Breu. Treuerenſe* 24. *Oct.*

S. Florentius, aliàs Florentinus. *Breu. Treuer.* 16. *Oct.*

S. Martinus II.

S. Maximinus I. *Breu. Treuer.* 20. *Iunij.*

S. Valentinus martyr. *Rom. Martyrol. & Breuiarium Treuerenſe* 16. *Iulij.*

Archiepiſcopi Treuerenſes.

S. Agritius, temporibus Silueſtri Papæ.

S. Maximinus II. *Martyrol. Rom.* 29. *Maij.*

S. Paulinus. *Mart. Rom.* 31. *Aug.*

30. S. Bonoſius.

S. Britonius, aliàs Pritanius Veteranus

S. Felix II. de quo Martyrol. Romanũ 16. *Martij*: vt ad me Treueris ſcriptũ eſt. Baronius tamen in Notis putat ibi Felicem I. deſignari.

S. Leontius, aliàs Leguntius.

S. Autor

S. Autor II. antea Metēſis Epiſcopus.
S. Seuerus. *Martyrol. Rom.* 15. *Oct.*
S. Cyrillus.
Himerius, aliàs Iamnerius.
Euemerus, qui & Emerus.
S. Marcus II. 40.
Voluſianus.
S. Meletius, aliàs Miletus.
S. Modeſtus. *Martyrol. Rom.* 24. *Febr.*
Maximianus.
S. Vibicius, aliàs Fibicius. In Martyrologio Romano 5. *Nou.* vocatur Abbas.
S. Aprunculus, aliàs Abrunculus.
S. Nicetius. *Martyrol. Rom.* 5. *Dec.*
S. Ruſticus. *Mart. Rom.* 14. *Oct.*
S. Magnericus. *Mart. Rom.* 25. *Iulij.*
Gundericus. 50.
*S*euerinus II.
S. *S*ebaudus, aliàs *S*abaudus.
S. Modoaldus. *Martyr. Rom.* 12. *Maij.*
S. Numerianus. *Martyr. Rom.* 5. *Iulij.*
S. Baſinus.
S. Luitvvinus.
Milo.
S. Hildulphus; de quo Molanus 11. *Iulij.*

Weomadus.

60. Richbodus.

Wazzo.

Amalharius, ſeu Amalherius Fortunatus.

Hetti, aliàs Heddi & Hetto.

Thietgaudus, al. Theotgaudus, & Teutgaudus.

Bertulfus.

Ratbodus.

Ruotgerus.

Ruotbertus.

Henricus I.

70. Theodoricus.

Egbertus.

Ludolfus, vel Luitolphus.

Megingaudus, aliàs Megingozus.

Poppo.

Eberhardus.

Vdo, qui & Ado.

Engelbertus.

Bruno.

Godefridus.

80. B. Meginherus.

Albero vel Adelbero.

Hillinus.

Arnol-

Arnoldus I.
Ioannes I.
Theodoricus II.
Arnoldus II.
Henricus II.
Boemundus I.
Balduinus. 90.
Boemundus II.
Cuno.
Wernerus.
Otho.
Rabanus.
Iacobus Sirkius.
Ioannes II. ex Marchionibus Badéſib.
Iacobus II. ex ijſdem.
Richardus Griffenclaus.
Ioannes III. Metzenhauſius. 100.
Ioannes IV. Hagenſis.
Ioannes V. Iſenburgicus.
Ioannes VI.
Iacobus III. Eltzius.
Ioannes VII. Schonenbergius. (1622.
Lotharius Metternichius viuebat an. 106.

Nudam hanc Epiſcoporum ſeriem ſeu nomina, adiunctis ſanctimoniæ titulis, an. 1620. Treueris à viro eru-

dito accepi: Notas autem ex Martyrologio Romano, & *Ioanne Enenſi*, antiquitatum Treuerenſium ſcriptore, alijſque auctoribus nos adiecimus. Dubito tamen, an omnes iſti Officio eccleſiaſtico publicæ colãtur. Quapropter optant vehementer omnes eruditi ac pij, vt *Chriſtophori Brouueri*, Soc. Ieſu Theologi, Hiſtoria Treuerẽſis breui in lucem proferatur.

Ceterùm apud Belgas ac Germanos inferiores Ciſrhenanos, prima Chriſtianæ religionis fundamẽta *Eucharius*, *Valerius*, & *Maternus*, Petri Apoſtolorũ principis diſcipuli, poſuerunt. De quibus lib. 1. cap. 3. loqui videtur Irenæus Epiſcopus Lugdunenſis, ſcriptor vetuſtiſſimus, & qui Maternum noſtrum ſaltem ſenem puer videre potuerit: *Etſi*, inquit, *in mundo loquelæ diſſimiles ſunt, ſed tamen virtus traditionis vna & eadem eſt: & neque hæ, quæ in Germania ſunt fundatæ Eccleſiæ, aliter credunt, aut aliter tradunt: neque hæ quæ in Hiberis, neque hæ quæ in Celtis, neque hæ quæ in Oriente, neque hæ quæ in Ægypto, neque hæ quæ in*

Lybia,

Lybia, neque hæ quæ in medio mundi ſunt conſtitutæ. Hæc Irenæus, Germaniæ haud dubiè nomen ea notione vſurpans, qua ſolebant illius æui ſcriptores Romani, cùm nullæ adhuc eſſét in Germania Tranſrhenana Chriſtianorum Eccleſiæ.

Iunij 8. *die. Martyrol. Rom.*

S. MEDARDVS Nouiomenſis ac Tornacenſis Epiſcopus.

MEdardus, vir cùm rara vitæ ſanctimonia, tum miraculis iam inde à pueritia nobilitatus, Veromanduorum Epiſcopatum, diu precibus fatigatus, adminiſtrandum ſuſcepit; quorum ſedem (quòd metropolis Auguſta à Vandalis & Hunnis euerſa eſſet) *Nouiomi*, opido propugnaculis egregiè munito, collocauit. Ceterùm quo tempore Nouiomenſem ille eccleſiã gubernabat, S. *Eleutherius* Tornacenſium Epiſcopus, anno quingenteſimo viceſimo tertio, vitam cum morte

Noyon. *An.* 523.

commutauit: cui iam ſeni quoniam S. Medardus fuerat adiutor; clerus ac populus Tornacenſis ſtatim, vt iuſta fuerunt Eleutherio perſoluta, Medardum ſibi Epiſcopum dari poſtularunt; nec deſtitit reluctantem & multa excuſantem obſecrare; donec, adiuuante etiam *Remigio* Metropolitano, ceteriſque prouinciæ Epiſcopis, Rege etiam & proceribus ſua auctoritate rē promouentibus, animum viri expugnarunt, & vt curam Eccleſiæ ſibi commendatæ ſuſciperet, peruicerunt.

An. 523. Victus igitur tanto bonorum omnium cōſenſu, vtriuſque Eccleſiæ adminiſtrationem ſuſcepit, Flandroſque gentem tunc temporis ſilueſtrē, quindecim annorum ſpatio, docendo, inſtando, orando erudiuit, & magnis laboribus præfractos feroceſq; animos ab impietate & barbarie ad manſuetiorem viuendi rationem, per Chriſti Ieſu doctrinam, perduxit. Qua in re compos factus voti, ex hac vita, anno
556. Domini quingenteſimo quinquageſimo ſexto, iuxta Sigeberti calculum, emi-

emigrauit. Defuncti corpus *Clotharius* Rex, filijs lacrimantibus, abſtulit, & proprios in humeros ſublatum, ad ſepulturam apud Sueſſiones paratā trāſportauit, monumentoque honorifico illatum, exſtructo inſigni monaſterio, condecorauit.

Floret hodieq; iſtud S. *Medardi* cœnobium, ſub S. Benedicti regula, haut procul ab vrbe Sueſſionenſi, totius Galliæ primarium; iuxta priuilegium *Ioannis* Papæ, datum circa an. quingēteſimum quinquageſimum ſecundū: quod exſtat apud Nicolaum Belfortiū in ms. Supplemento Suriano, vnà cū Sermone hiſtorico de vita S. Medardi, tempore *Theodeberti* Regis pro concione habito.

Ceterùm diſputant ſcriptores, quo anno S. *Eleutherius* Tornacenſis Epiſcopus obierit, eiuſque cathedram vacantem S. Medardus exceperit. Ioannēs Cognatus in Hiſtoria Tornacenſi dicit poſterius iſtud contigiſſe temporibus *Hormiſdæ* Papæ, qui iuxta Onuphrij & Baronij calculum, an. quin-

genteſimo viceſimo tertio viuere deſijt. Venantius certè Fortunatus cap. 18. vitæ S. Medardi, *Vtrumq;*, inquit, *cui le paſtor egregius Medardus, conſilio & auctoritate comprouincialium Epiſcoporum, tempore Hormiſdæ Papæ, ſub S. Remigio tūc temporis Remorum Archiepiſcopo, aſſenſu Regis & curialium ac vtriuſq; plebis acclamatione tandem ſuſcepit.*

Idem Cognatus tradit S. Medardū obijſſe an. quingenteſimo ſexageſimo tertio, aut proximè ſequenti. Ægidius Bucherius ad an. 561. Tilius ad annū 563. Baronius ad an. 564. id refert.

S. CLODVLPHVS Epiſcopus Metenſis. *Martyrol. Rom.*

CLodulphus Metenſis in Lotharingia Epiſcopus, S. *Arnulpho* patre, & S. *Doda* matre progenitus, claruit an. Domini ſexcenteſimo quadrageſimo: vt Sigebertus in Chronico tradit. Metenſium Epiſcoporum res geſtas ſcripſit Paulus Diaconus. Vide ſupra pag. 112.

V. ACHAS

V. ACHAS puer ſeptennis. 11. *Iunij.*

THorolti in Flandria ſanctiſſimè vixit & an. 1220. obijt. De quo vide Thomam Cantipratanum lib. 2. Apum cap. 28. & Mejerum in Annalibus Flandriæ.

S. ODVLPHVS presbyter, 12. *Iunij.*

OIrſchoti in Campania Brabantiæ natus, ibidem diu Parochum egit. Vltraiectum poſtea profectus, Canonici S. Saluatoris, vulgò *Oudtmunſter*, qui communem ac velut cœnobiticã adhuc vitam tunc agebant, ſe adiunxit, & *Frederico* Epiſcopo gratus acceptuſque fuit. A quo in Friſiam miſſus populũ illum ferocem Chriſtianis diſciplinis ſubegit, & *Stauriæ* Canonicorum in communi pariter viuentiũ collegium conſtituit: quod *Andreas Cuquenſis* XXV. Epiſcopus Vltraiectinus Benedictinis Oſtbrouca euocatis poſtea adtribuit. Feſtiuitas eius pridie Idus *Stauerē.* *S. Odulphi Abbatia.*

dus Iunij celebrari ſolet per totã diœceſim Vltraiectinam: eſtque ipſi dicata baſilica Canonicorum in Loſſenſi diœceſis Leodicenſis opido.

Loon.

Eodem die coli ſolet in Rhenenſi ditionis Vltraiectinæ opido S. CVNERA virgo & martyr, quæ fuit vna ex ſodalibus S. Vrſulæ.

S. Cunera.

Iunij 15. die. Martyrol. Rom.

S. LANDELINVS, fundator quattuor monaſteriorum, Laubienſis, Alnenſis, Criſpinienſis, & Waſſerenſis.

LANDELINVM in primæua quidem ætate, à beato Autberto Cameracenſi Pontifice litteris & moribus ſacris imbutum, poſtea verò, fallente diabolo, pij magiſtri profugium, ſpreto clericatu, manui prædatoriæ, in libro vitæ ipſius legimus, ſociatũ. Hunc inquam, poſtquam magiſter benigniſſimus, diuturna lamentatione, & iugi prece ab errore reuocatum, quaſi pater

ter filium ſuſcepiſſet, ac ſaucium, dulci correctione, ac beniuola conſolatione recreaſſet, in *Laubio*, loco tunc tẽporis ſolitario, ſecedere monuit, vt diſciplinatiùs videlicet errata corrigeret & emendatiùs viueret. Peracto itaque habitationis ædificio, & in veneratione Apoſtolorũ Petri & Pauli cõſecrato (paucis viris nitidæ vitæ ſecũ receptis) monitiones & mãdata magiſtri æqua lance moris & operis adimpleuit, & de die in diem proficiens, ad vitæ ſanctiſſimæ culmen tranſcendit. Vbi verò locus viri ſancti pia cõuerſatione florere cœpiſſet, & ex munificentijs Regum ſiue potentũ quorumlibet, quantò rebus exteriùs, tantò etiam numero monachorum interiùs abundaret, mox inde remotus, vt Deo ſtrictiùs manciparetur, ſecretiorẽ locum, nomine *Criſpinium*, expetere æſtimauit. Seceſſurus autem, Laubio præfecit beatum virum Dei *Vrſmarum*, pijs moribus præditum. In villa quoque *VVaſlero* idem Landelinus monaſterium pro paucis fratribus condidit,

Lob.

Creſpin.

VValers

cui *S. Dodonem* præfecit. Ita Baldericus lib. 2. cap. 37. & 33. in Chron. Cameracenſi. Eiuſdem opibus atque induſtria fundatum eſt *Alnenſe* monaſteriũ, ad Sabim fl. primo lapide à Laubio ſitum: in cuius monaſterij foribus hos verſus marmori inſculptos me legere memini:

Has Landelinus ſedes erexit, & Alnæ
Impoſuit clarum vicinis nomen ab alnis.

Ab alnis, inquam, quod genus eſt arboris illo in tractu.

Fuit autem *Alna* Canonicorum olim in communi viuentium collegiũ, nunc eſt monachorum Ciſtercienſium Abbatia; *Laubium* & *Criſpinium* ſunt Benedictinorum Abbatiæ; *VVaſlerienſe* autem cœnobium, in ſilua Fania verſus Theoraſciam olim ſitum, prorſus eſt dirutum. Corpus verò S. Dodonis hodie quieſcit in Prioratu Laubienſi, qui vulgò dicitur Monaſterium in Fania, *Mouſtier en Faigne.*

Iunij

Iunij 16. *die. Martyrol. Rom.*

S. LVTGARDIS virgo, & monialis inſtituti Ciſtercienſis.

LVtgardis virgo, patria Tungrenſis, à parentibus primùm ſæculo deſtinata, deinde monaſterio ſanctæ Catharinæ, ordinis ſancti Benedicti, prope ſancti Trudonis opidum, inter ſacratas virgines diuino ſeruitio mancipatur an. ętatis duodecimo. Vbi Deo famulari incipiens, duplici tum ſtupri, tum raptus diſcrimine, diuina protectione, liberata, ab omni hominum cõſortio ſe ita ſubduxit, vt tota rebus cæleſtibus inhiaret: & cum timore & tremore ſalutem operans, Chriſti Domini & eius Sanctorum familiari conſolatione frui mereretur. Holocauſtum Domino gratiſſimum arbitrata, eſt ſcipſam inedia & ieiunijs afficere, & ſpiritum ab oratione non relaxare. Cùm autẽ cò aſpiraret ſummopere, vt miniſterio conſecrationis vni viro

viro Chriſto perfectiùs iungeretur: oportunè ei accidit, vt Huardo Epiſcopo Leodienſi plures ſimul virgines conſecrare voléte, his adiuncta fuerit. Et dum Epiſcopus ſingularum capitibus coronam, in ſignum aureolæ, ex zonis contextam imponeret, à quodã ſacerdote viſus eſt Lutgardem corona aurea redimire.

At quia talem lucernam ſub modio latere par non erat, poſita eſt ſuper candelabrum: vt diuinæ gratiæ fulgor omnibus appareret, & vno omnium conſenſu dicto monaſterio ſanctæ Catharinę præficitur. Cumque hac in re affectam ſe iniuria exiſtimaret, & locum & inſtitutum mutare decreuit. Diuino itaque monitu Aquiriam, quod eſt Brabãtię cœnobiũ Ciſtercienſis ordinis, abdicato regendi onere, migrauit: vbi virtutum omnium exercitio inſudans, tantam gratiam à Domino obtinuit, vt multis tum viuentibus ſolatiũ, tum mortuis refrigeriũ ſuis precibus & lacrymis obtinuerit: nec enim ab ea vllus afflictus

rece-

recedebat. Imminēte Albigenſiū hæreticorū peſte, ieiunium ſibi ſeptennale matris Dei hortatu indixit: quo finito alterum eiuſmodi pro cunctis peccatoribus, Chriſto hortāte, ſuſcepit. Tāto martyrij deſiderio arſit, vt dum in oratione meritum eius contemplaretur, rupta fuerit vena, quę cordi extrinſecùs oppoſita eſt: vnde tanta ſanguinis copia fluxit, vt cucullus eius & tunicę abundè eo maderent: & ruptę venæ cicatrix vſque permanſit, dum anima eius ex hac luce migrauit. Prophetiæ etiam ſpiritu claruit. Finito hoc ſecundo ieiunio, terium aggreſſa eſt tam fortiter, vt ne quidem in Paſchatis feſto ſibi pepercerit: & in poſterum illud continuauit vſque ad extremum vitę diem, qui fuit in ſumma animi hilariate, anno ſalutis milleſimo ducenteſimó quadrageſimo ſexto, decimó ſexto Kalendas Iulij, ætatis verò ſexageſimo quarto: cùm ſæpiùs antea obitus ſui diē prędixiſſet, & viuificis Sacramentis munita fuiſſet. 1246.

S. QVI-

S. QVIRICVS ſeu Cyricus, martyr Tarſenſis. *Martyrol. Rom.*

MIlo, Elnonenſis monachus, inter alios diſcipulum habuit nepotem ſuum *Hucbaldum*, pariter monachum: qui in Galliam profectus Niuernenſi Epiſcopo adhæſit, cuius iuſſu ſcripſit hiſtoriam *S. Ciliniæ*, matris S. Remigij. In Belgicam poſtea cogitans Hucbaldus, ab eodem Epiſcopo multa oſſa *S. Cyrici* impetrauit, quæ Elnonem attulit. Philippus porrò Abbas Bonæ Spei, Bernardo Clareuallenſi coætaneus, ad Ioannem Abbatem Elnonenſem ſeu Amandinum, ſcripſit SS. Cyrici & Iulitæ paſſionem, reiectis apocryphis; exſtatque inter opera Duaci edita.

Mira-

Miraculum, quod an. 1380. BOXTELLAE contigit in effuſionê Calicis conſecrati.

SAcerdos quidem, nomine *Eligius Acquerius*, rector altaris S. Spiritus in eccleſia Eſchenſi, prope *Boxtellam*, celebrans Miſſam in eccleſia Boxtellêſi, calice per caſum euerſo, ſacroſãctum Chriſti ſanguinem, qui ex albo vino fuerat conſecratus, in linteùm, quod Corporale vocant, mappamq́ue effudit; mutatoq́ue colore albo in rubrum, euidenter Chriſti ſanguis apparuit. Quo miraculo obſtupefactus *Eligius* lintea domum clam delata lixiuio eluere nititur, fricat, Soli exponit, nihilq́ue induſtriæ aut laboris omittit, ad rubedinem illam eluendã: ſed fruſtra. Permanent enim in hodiernum vſque diem ſanguinis Chriſti notæ. *Aecker*:

Sic anno 1262. apud *Vulſinium* Italiæ opidum, ſacerdote quodam de veritate corporis Chriſti in Euchariſtia ſubdubitante, ex Hoſtia diuiſa ſanguis tã-

ta

ta mox copia effluxit, vt Corporale ĩpſum, cruore tinctum, nullis lotionibus elui potuerit: quod Viterbij hodieque adſeruatur.

Circa annum 947. apud Anglos in vrbe Cantuarienſi, (cui tunc B. *Odo* Archiepiſcopus præerat) cùm hæretici quidam, aſſererent panem & vinũ in verum Chriſti corpus & ſanguinẽ non tranſmutari, idem Antiſtes Deũ rogauit, vt ſua myſteria patefaceret. Itaque inter Miſſæ ſolemnia, cùm Hoſtia ſacra de more fuiſſet diuiſa, inter manus Pontificis ſanguinem emiſit. Huius beati viri oſſa *B. Bruno,* Archiepiſcopus Colonienſis (cui Odo familiaris olim fuerat) Coloniã tranſtulit: indeque nonnulla Boxtellam ſunt
Meerhẽ allata, per nobilem virum *Guilielmum Mærhemium,* Boxtellæ dominum, in aula Cæſarea tunc gratioſum. Hæc ex monumentis Eccleſiæ Boxtellanæ hauſimus.

Pilei Cardinalis diploma.

*Pileus, miſeratione diuina tit. S. Praxedis preſbyter Cardinalis, ad infraſcripta Apoſtolic*a

poſtolica auctoritate ſuffultus, dilectis nobis in Chriſto nobili Guilielmo de Meerhem, Domino temporali de Boxtel, ac toti Cōmunitati villæ iam dictæ, Leodienſis diœceſis, ſalutem in Domino. Deuotionis veſtræ ſinceritas promerétur, vt votis veſtris, quātum commodè poſſumus, fauorabiliter annuamus. Exhibita ſiquidem nobis pro parte veſtra petitio continebat, quòd alias, per negligentiā cuiuſdam ſacerdotis, Miſſam in eccleſia dictæ villæ celebrantis, ſanguis Chriſti, qui de vino albo fuerat conſecratus, in colore rubeo, in forma atque apparentia veri ſanguinis ſuper Corporale effuſus fuit ac apparuit euidenter, ex quo hodierna die maculæ ſeu ſigna rubei coloris relucent: prout etiam teſtes idonei de dicta villa, ſuper hoc debitè examinati, publicè ſunt confeßi. Quare pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus huiuſmodi Corporale inter reliquias ſemel in anno monſtrari valeat, auctoritate, qua fungimur, concedere dignaremur. Nos igitur veſtris ſupplicationibus inclinati, vt Corporale prædictum, ſanguine Chriſti, vt præmittitur, rubricatum, inter reliquias alias ſemel in anno, Chriſti fideli

X *populo*

populo monſtrari valeat, narrando & populo exponendo ea quæ in præmiſſis per prædictos teſtes viſa & intellecta fuerunt, deuotioni veſtræ tenore præſentium, auctoritate Apoſtolica, qua fungimur, plenam concedimus facultatem. Nulli ergò omnino hominum liceat hanc paginam conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli, Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Francofordiæ, Moguntinæ diœceſis, V. Kal. Iulij, Pontificatus ſanctiſſimi & Chriſti Patris & Domini Vrbani diuina prouidentia Papæ VI. anno tertio.

Dictum Corporale in Boxtellenſi Canonicorum baſilica hodieque adſeruatur, & quotannis in feſto S. Trinitatis (permiſſu *Georgij Auſtriaci*, Epiſcopi Leodicenſis, in qua diœceſi Boxtella olim ſita fuit) publicè oſtenditur populo, qui magno numero vndique *Boxtel.* confluit. Eſt autem Boxtella populoſum Campaniæ Brabantinæ municipium in diœceſi hodie Siluiducenſi, ad Comitem Bauſigniaci ex gēte Hornana ſpectans.

Miraculum MIDDELBVRGENSE, quo S. Hoſtia commutata eſt in veram & apparentem carnem; cuius media pars Louanij adſeruatur apud Auguſtinianos.

Middelburgi, quæ Zelãdiæ eſt metropolis, cùm an. 1374. adoleſcẽs quidam, nomine *Ioannes Colonienſis*, nõ præmiſſa confeſſione Sacramentali, in Quadrageſima ad menſam Dominicã acceſſiſſet indignus, illicò ſacra Hoſtia in veram & apparentem carnem fuit commutata. Quam commutationem ille perſentiens, cùm deglutire ſacram Hoſtiam nequiret, dentibus eam diuidere, & ſic deglutire conatus eſt; ſed fruſtra. Nam ex mordentis ore tres guttæ ſanguinis in mappam, quæ ad ſacram communionem venientibus ſolet proponi, ceciderunt. Media pars dictæ carnis etiamnum integra atque illæſa Louanij in monaſterio Auguſtinianorum Eremitarum magna religione adſeruatur, vt & mappæ parti-

cula, in qua tres iſtæ ſanguinis guttæ hodieque viſuntur.

Miraculum DVACENSE, quo corpus Chriſti in effigie pueri & alijs formis apparuit.

Opidum Duacenſe amplum & magnum eſt, inter Cameracum & Atrebatum, nobiliſsimas ciuitates. Hic in eccleſia Canonicorum S. Amati Epiſcopi, cùm ſacerdos in Paſcha, communicato populo, corpus Chriſti ſuper nudam terram ſtupefactus inueniſſet, & flexis genibus eleuare tentaſſet: mox per ſe in aëra ſubleuatum, panniculo quo conſecratos digitos ſacerdos detergere ſolet, inhæſit. Clamans ergò presbyter, Canonicos vocat: accurrunt illi, ſpectant in panno corpus viuificum in ſpecie faciei venuſtiſsimi pueri. Et mox conuocato populo ad ſpectaculum præſentatur, & indifferenter nulli tanta cælitus viſio denegatur. Hæc cùm audiſſem fama vulgante, veni in opidum quod prædixi. Acceſsi ad Decanum eccleſiæ, cui optimè notus eram. Petij videre miraculum, annuens ille, præcepit vt fieret: aperta eſt theca, concurrit

currit populus, moxq́; vbi pixis reuoluitur, clamant omnes: Ecce iam video, ecce conſpicio Saluatorem. Stabam ego attonitus nihil videns, niſi tantùm ſpeciem panis albiſsimi, nihil quidem conſcius mihi, quare ſacroſãctum corpus cum cæteris non viderem. Nec diu mecum iſta voluebam, cùm ecce vidi faciem in mẽſuram ætatis plenitudinis Chriſti, ſpineam habentem in capite coronam, & duas guttas ſanguinis de fronte ex vtraque parte naſi per faciem deſcendentes. Mox igitur genibus flexis cum lacrymis adoraui. Surgens autem, nec coronam in capite, nec ſanguinem vidi: ſed faciem hominis ſuper omnem effigiem honoratam, conuerſam ad dexteram, ita vt vix dexter oculus videri poſſet. Naſus erat admodum longus, directus valdè, ſupercilia arcuata, oculos ſimpliciſsimos, & demiſſos habebat, cæſariem longam ſuper humeros deſcendentem; barbam intõſam & ſub mento curuatam, exterminatãq́; ſub rictu iocundiſsimi oris, ex vtraque parte menti nudas prope à pilis habebat valliculas, vt in iuuenibus apparere ſolet qui à puero barbam nutrierunt, frontem lætam, macilentas genas, & collum longum cum capite parũ

inflexum. Hoc ſchema, hic decor benigniſſimæ faciei. Eam autem diuerſi diuerſimodè ſub vnius horæ ſpacio videre ſolebant. Alij in cruce extẽſum, alij quaſi ad iudicium venientem, plerique, & hoc ex magna parte, ſub pueri forma viderunt. Hæc Thomas Cantipratanus lib. 2. Apum cap. 40. num. 2. narrat. Iſtius miraculi apud Duacenſes hodieque celeberrima eſt memoria, quæ ſolemni ritu quotannis feria 4. Paſchæ renouatur, ſoletque in publica ſupplicatione deferri Hoſtia illa, capſulæ argenteæ incluſa. Contigit autem miraculum iſtud an. 1254. vt ex tabella Duaci ad S. Amatũ ſuſpenſa didici.

Scalabitanum miraculum. De SCALABITANO apud Luſitanos miraculo nonnulla ſimilia Ant. Vaſconcellius, Soc. Ieſu Theologus, in Deſcriptione regni Luſitaniæ pag. 549. commemorat: atque inter alia

Santarẽ dicit, *noſtra ætate frequentiſſimum eſſe Scalabitanum ſacrarium, propter multiplices rerum formas & figuras, quæ videntibus ſe paſſim offerunt, cùm bis ſingulis annis illuc confluentibus videndum proponitur. Alij*

enim

enim Chriſtum in crucem actum, alij Ieſum puerum in molli parentis amplexu, alij alia obtuentur, prout cæleſtis Numinis fert volũtas.

Similia videri narrant in *Herquenroda*, monialium ord. Ciſtercienſis Abbatia, in agro Leodicenſi, haut procul ab Haſſeleto opido. *Herquẽrodenſ.*

B. FVLCO Archiepiſcopus Remenſis. *Iunij 17. die.*

EX Canonico B. Mariæ Audomarẽſis, factus monachus ad S. Bertinũ, pòſt ibidem, & Atrebati ad S. Vedaſtũ Abbas exſtitit. Anno 882. Hincmaro Remenſi Archiepiſcopo defũcto ſuccenturiatus, *Carolum Simplicem* Galliæ Regem an. 892. vnxit. Corpus S. *Calixti* Papæ, & oſſa S. *Gibriani* ac ſociorum eius Remos attulit. Hucbaldo Elnonenſi & Remigio Autiſſiodorẽſi ad ſe euocatis, ſcholas Remis reſtituit. Sedit annis 17. & à *VVinemaro Lilerienſi*, Balduini Calui Flandriæ Comitis fraude, an. 901. lanceis perimitur,

tur, in baſilica S. Remigij Remis cõditus. Flodoardus lib. 4. cap. 10. in Hiſtoria Remenſi, Iperius in Chronicis mss. Bertinenſium, & Meierus in Annalibus Flandriæ conſulantur De S. Gibriano ſacerdote Hiberno, eiuſque fratribus ac ſororibus idem Flodoardus lib. 4. cap. 9.

B. Advlphvs Epiſcopus.

FRatrem habuit S. *Botulphum* Abbatem, cuius memoriam Eboracenſis apud Anglos Eccleſia tribus Lectionibus celebrate ſolet. In quibus Lectionibus dicitur *Adulphus* Traiectenſis ſeu Vltraiectedſis Eccleſiæ Epiſcopus fuiſſe, fortaſſis ante tempora S. Willibrordi. Sic & beatum *Koniochum* anno 666. Traiectenſe Epiſcopium poſſediſſe Guilielmus Heda tradit. Floruit autem B. Adulphus an. 650. cum fratre ſuo Botulpho conditus in *Icanno*, quod hodie eſt S. *Botulphi* opidum, in Comitatu Lincolnienſi, niſi fallor.

S. Ale-

S. ALENA virgo & martyr.

FOreſtum, illuſtris virginum Benedictinarum, haud procul à Bruxella, ad Sennam fluuium eſt Abbatia, in qua corpus S. *Alenæ* ſeu *Halenæ*, anno 1193. per *Godeſcalcum* Abbatem Affligemienſem è terra leuatum, quieſcit. Patrem habuit *Leuoldum*, Dilbecæ eodem in tractu Regulum, & an. 640. floruit, temporibus S. Amandi Traiectenſis Epiſcopi. Exſtat Foreſti & in Rubra-Valle hiſtoria Latinè manuſcripta, & Teutonicè Bruxellis excuſa.

Vorſt, an. 1105

B. MARIA, cognomento DOLOROSA, virgo & martyr. *Iunij* 18. *die*.

QViescit Woluæ in agro Brabantino, haud procul à Bruxella, ſub altari baſilicæ parochialis. Cùm eam falsò de furto impius homo, caſtitatis inſidiator, accuſaſſet, innocenter circa an. 1290. in terram defoſſa, & ſude

Allendigher Marie.

tranſuerberata fuit. Hiſtoria exſtat ibidem & in Rubræ-Vallis monaſterio.

S.Bainvs Epiſcopus Morinenſis. *Iuny* 20. *die*.

FVit is primùm Abbas Fontanellæ (quod eſt monaſterium Franciæ, à S. Wandregiſilo fundatum) pòſt Epiſcopus Morinorum, in vrbe Teruana, quæ temporibus Caroli V. Imp. funditus eſt exciſa. Floruit anno ſeptingenteſimo viceſimo nono, quo SS. Wandregiſilum, Ansbertum & Vulframnum è terra eleuauit ac trãſtulit.

S. Aldegvndis virgo Truncinienſis.

FVit filia S. *Baſini* Reguli ac martyris, quæ, temporibus S. Amandi Traiectenſis Epiſcopi, circa an. 640.
Drongẽ. Deo ſeruiuit in Truncinio, prope Gãdauum: vbi cum patre quieſcit in Canonicorum regularium, ord. Præmõſtra-

ſtratenſis, Abbatia, per *Iuanum* Comitem Aloſtanum an. 1137. fundata.

De B. IDA, Gandaui quieſcente, vide Molanum hoc loco.

Iunij 21. die. Martyrol. Rom.

S. MARTINVS Tungrenſis Epiſcopus.

HAſbanorum Apoſtolus meritò nuncupatur, eò quòd Chriſti doctrinam in pleriſque villis Hasbaniæ, (quæ partim Leodicenſis, partim Brabantini iuris cenſetur) ſeriò prædicarit. Vide ſupra pag. 160. & 296. *Haſpengou.*

S. INGELMVNDVS Velſæ patronus.

INgelmundus, natione Anglo-Friſius, temporibus B. Willibrordi, Batauos & Kenemarios Euangelica doctrina imbuit. Animam Deo, poſt multos labores, reddidit, & *Velſæ*, diœceſis Harlemenſis pagô, ſepultus, per *Baldricum* Epiſcopum Vltraiectenſem an. 977. eſt è terra eleuatus. *Velſen.*

Iunij 22. die Martyrol.Rom.

SS.GALENVS & VALENVS, martyres, Geldrenſis opidi tutelares.

APud Alexandriam, maioris Armeniæ vrbem, in monte *Ararath*, decem millia Chriſtianorum militum, Hadriano imperante, crucis ſupplicio ſunt affecta. In horum numero martyrum fuerunt SS. *Galenus* & *Valenus*: quorum corpora *Adolphus Egmūdanus*, *Geldre.* Geldriæ Dux, an. 1468. ad opidum *Geldriam* (à quo toti prouinciæ nomē) honorificè tranſtulit. Vbi multis in hodiernum vſque diem miraculis coruſcarunt: vt in Officijs proprijs Eccleſiæ Ruremundēſis, Coloniæ 1605. editis, legitur.

S.ALBANVS martyr. *Rom.Martyrol.*

NAmurci, in honorem *S. Albani* martyris, *Albertus II.* Comes Namur-

murcenſis collegium XX. Canonicorum an. 1047. conſtituit; dotem *Philippus* cognomento *Nobilis*, ibidẽ Comes (qui an. 1213. obijt) & *Fredericus* II. Imp. auxerunt; Epiſcopalem dignitatem an. 1559. *Paulus IV.* adiecit. Adſeruatur hîc pars capitis dicti martyris Albani, quam *Guilielmus*, Abbas cœnobij S. Albani prope Moguntiã, circa an. 1040. eò tranſmiſit. Ibidem ſummo in honore magna pars Crucis Dominicæ, & aliæ ſacræ Reliquiæ habentur, quas *Henricus* Imp. Conſtantinopolitanus, ad fratrem ſuum *Philippum* Comitem Namurcenſem, anno 1205. menſe Martio ex vrbe Conſtantinopolitana dono miſit. Diplomata ex autographis deſcripta leguntur in Sacrario Comitatus Namurcenſis, an. 1619. ibidem, & Leodici edito.

S. DOMITIANVS confeſſor Criſpinij.

FVit S. *Landelino* in peregrinationibus comes indiuiduus, & cum magiſtro

Creſpin. giſtro ſuo felix Criſpinij quieſcit. Vide ſupra 15. Iunij.

S. ROTRVDIS virgo Giſnenſis.

ROtrudis, aliàs Ortrudis corpuſculum *Milo II.* Epiſcopus Teruanēſis in feretro decenter collocauit; præſente *Arnoldo* Comite Giſnenſi, & *Petro* Abbate Andrenſi, qui de ea libellū ſcripſit. Olim in Andrenſi Benedictorum cœnobio an. 1084. per Balduinū Comitem Giſnenſem fundato, nunc Audomaropoli in S. Bertini Abbatia quieſcit.

S. HILDVLFVS Dux Laubienſis.
Die 23. Iunij.

HILDVLFVS, ſiue Hidulfus an. 670. floruit, eiuſque interuētu B. *Vrſmarus* Laubienſe monaſterium ſuſcepit regendum.

Hildulfi vxor fuit B. AIA, cuius nōdum è terra eleuatæ tumulus viſitur Montibus Hannoniæ in baſilica S. Vualdetrudis. Vide ſupra pag. 178.

S. MA-

S. MARIA OGNIACENSIS virgo.

MAria *Niuellis*, Brabantiæ opido, honeſtis parentibus orta, ab ineunte ætate futuræ ſanctitatis prodidit indicia non pauca, inter cætera aſſiduæ orationis exercitium: in quo frequenter non ſomno, ſed Angelicis choris ſopita pernoctabat. Anno quarto decimo ætatis, à parentibus contra voluntatem nuptui tradita, ſponſum ita caſtitatis ac pietatis ſtudio incẽdit, vt eum deinceps, in ſui caſti propoſiti & vitæ inſtitutione, coadiutorem habere meruerit & ſocium. Mutuo enim conſenſu facultatibuſ in pauperes erogatis, in vicum opido vicinum ſeſe conferunt, leproſis miniſtraturi. Tanta in ægrotos commiſeratione ipſa afficiebatur, vt apud eos integras quandoque noctes duxerit inſomnes. Vnde & eius merita pleriſque corpore, pluribus verò animo malè affectis medebantur: contra blaſphemiæ autẽ & deſperationis ſpiritum gratia eminebat

nebat ſingulari. Vt verò orationum eius efficaciam experti ſunt homines ad ſubſidiùm, ita & dæmones ad tormentum: eorum enim laqueos alijs detegebat, & quos interdum precibus non poterat, addito ieiunio vincebat.

Porrò abſtinentia fuit admirabili: à carnibus & vino abſtemia, herbas & legumina, rariſſimè piſciculos, & maiore anni parte panem & aquam, ſemel in die circa veſperum, eaque parciſſimè, ad victum adhibebat. Imò plures dies, vltra naturę vires, inediâ conſumebat, poſtremo atque primo ieiunij die nihilo ſeciùs labori apta. Ieiunio verò, ad corporis caſtigationem, alia pietatis opera addebat, magis admiranda quàm imitanda; pari charitate, pari vigilantia, pari ſolitudine & ſilentio, cuius ſtudioſa fuit vel maximè.

Lacrimarum dono excelluit, idque alijs impetrauit; prophetiæ inſuper & ſeptemplici ſpiritus dono illuſtris. *At* hominum, qui ad eam confluebant, frequen-

frequentiam exoſa, in *Ogniacum.* locũ ſibi antea non notum, ſed diuinitus oſtenſum migrauit. Trimeſtre interuallum vndecim refectionibus, ijſque parciſſimis poſtremùm dimenſa eſt: quinquaginta verò & tres vltimos dies, ſolum Chriſti corpus ſumens, tranſegit. Tandem morti proxima, à morbo quo afflicta fuerat, per Dominum ſubleuata, & inter Sanctos illos, quibus ſana familiaris fuerat, in Cantica erupit, viſo quidẽ ſed fugato communi generis humani hoſte; & quaſi victoriam canens, in Chriſti adſtantis manus, cantato *Alleluya*, & gratijs Deo Patri actis, ſpiritum commendauit ac reddidit, ipſa Dominici Præcurſoris vigilia, anno ſalutis ſupra milleſimum ducenteſimo tertio decimo, ætatis verò circiter triceſimo ſexto. Ita legitur in Officijs proprijs Eccleſiæ cathedralis Namurcenſis, an. 1619. ibidem excuſſis, & à Ioanne Dauuino Epiſcopo approbatis. 1213.

Vitã illius ſcripſere *Iacobus Vitriacus* Card. & Epiſcopus Aconenſis, &

Thomas Cantipratanus. Eiuſdem corpus, Romani Pontificis permiſſu, an. 1609 per *Franc. Buiſſeretum*, Epiſcopum Namurcenſem, eſt è terra leuatum, thecæ argenteæ incluſum, & ſupra altare Ogniaci collocatum. Eſt autem Ogniacum nobile monaſterium Canonicorum regularium ad Sabim fl. in Comitatu & diœceſi Namurcenſi, cuius originem & viros illuſtres *Frãciſcus Moſchus* an. 1600. deſcripſit & Atrebati publicauit. Viſitur ibi tumulus ſupradicti Cardinalis Vitriaci, qui corpus ſuum ex Terra ſancta eò transferri tabulis teſtamenti mandarat.

Oignies.

S. WALHERVS presbyter & martyr.

Bouines.

ORtus fuit Bouini, quod opidũ eſt Comitatus Namurcenſis, Moſæ fl. adſitum. Parochum diu egit *Onhaniæ*, & pro iuſtitia occiſus nunc Walciodori quieſcit in Benedictinorum Abbatia.

B. LIET-

B. LIETBERTVS XXXII. Cameracenſis Epiſcopus.

GErardo I. in Epiſcopatu ſucceſſit Lietbertus, qui ex Bracbatẽſi patria, nobili ortus proſapia, à progenitoribus educandus puer commiſſus eſt ſub eiuſdem Gerardi diſciplina. Fundauit monaſterium *S. Sepulcri*, quod eſt Benedictinorum in vrbe Cameracẽſi, & in eccleſia *S. Auberti* eiuſdem vrbis, Canonicos regulares cum Abbate cõſtituit, eiectis clericis negligenter nimis & inordinatè tunc Deo ſeruientibus, quos *Anſbertus* Epiſcopus XXVI. ibidem collocarat. Lietberti, qui an. 1076. viuere deſijt, vitam fusè proſequitur Baldericus lib. 3. in Chronico Cameracenſi.

Iunij 24. die. Martyrol. Rom.

S. THEODVLFVS Epiſcopus & Abbas Laubienſis, in agro Leodicenſi.

S. THEODVLFVS Epiſcopus fuit ad conuerſionem fidelium ordinatus, & Laubienſe monaſterium, poſt SS. Vrſmarum & Erminum, feliciter rexit. Tritthemius lib 3. De viris illuſt. ord. Benedictini, & alij non rectè illum nuncupant Archiepiſcopum Remenſem: nec vlla ſit illius mentio à Flodoardo (qui an. 966. obijt) in Hiſt. Remenſi. Quieſcit Binchij, quod eſt Hannoniæ opidum, in collegiata Canonicorum baſilica, eo tranſlatus Laubijs cum alijs Sanctis Laubienſibus. Vide ſupra pag. 195.

Diua virgo VILLARIENSIS.

Scherpē-henuel. COllis-aſper, vulgò Mons-Acutus, locus olim ſilueſtris, nunc Brabātiæ opidum, portis ac mœnibus, iuſſu Alberti

Alberti Pij, Belgarum Principis, clauſum, haut procul à Sichenis, vetuſto opido & arce, viſitur. In dicto Colle quercus annoſa exſtabat, cui imago ſeu ſtatua Deiparæ pendebat affixa. Ad hunc locum, à multis retrò ſæculis cultu eiuſdem Virginis celebrem, cùm ſolito frequentior hominum, opem ac ſolatium in morbis alijſque malis à Diua petentium fieret confluxus, ſacellum primò ex tabulis ligneis, pòſt è lapide ſecto iuxtà exſtructum, & an. 1604. à *Matthia Houio*, Machlinienſi Archiepiſcopo, eſt conſecratū. Quercus autem, mandato *Ioannis Miræi*, patrui noſtri, tunc Antuerpienſis Epiſcopi deſignati (quem ad Miracula diſcutienda, aliaque pro bono piè peregrinantium ſtatuenda idem Archiepiſcopus eò miſerat) paucis antea mēſibus à ſtirpe exciſa fuerat: idque vel ideò, quòd trunco variè ſciſſo & imminuto, cùm fragmenta & aſſulas quiſque peteret, caſum iam minaretur. Exciſa itaque, & quod eius ſuperfuit, à varijs piè ac religiosè eſt expe-

 titum,

titum, vt inde ſtatuas ſeu icones ſibi faciendas curarent.

Sic & *Ioannes Miræus*, ex fragmentis grandioribus eiuſdem quercus, domũ allatis, ſtatuas aliquot Deiparæ ſculpi mandauit. Ex his vnam dono dedit *Roberto Henriono*, Abbati Villarienſi, quam in ſacello nouo, à fundamentis Villarij extructo, cùm is an. 1616. collocaſſet, factus mox eſt ingens accolarum ac longè diſſitorum concurſus, qui hodieque durat, febribus præſertim curandis. Venit & inter alios Vir ampliſſimus *Petrus Pecquius*, Brabantiæ Cancellarius, lêto febris quartanæ, à nouem retrò menſibus, horrore impeditus: ſacellum ſubijt, votũ promſit, & quid hæreo? horrere deſijt. Rem ipſam loquuntur Verſus iuxtà nitidi ac pij, quos typis Plantinianis editos Deiparæ ſacrauit.

Alia ſimilis eſt Antuerpiæ in choro cathedrali.

Nouem maligna febre fractus menſium,
Medicæq; iam ſpem mente deſerens opis,
Opem requiro cælitũ, ſuppl x nouam,
MARIA, ad aram pronolutus hanc tuam.
Voco MARIAM: culpa Matrem non ſinit.
Sed ecce Mater, Mater illico es mihi.

Quar-

Quartana febris abijt. ô benignitas
Dei parentis immerens hominum in genus!
Abijt repente febris. Id geſtum res,
Villarienſis Aſpricollis in iugo,
Cognoſcat ætas noſtra, poſtera & ſciat.
Ego grata laudis vſque & vſque cantica
Matri ſalutis offeram venerans mea.
Prid. Kal. Iunij M. DC. XIX.

Ceterùm vt *Villarij*, & *Liræ* in Brabantia, ſic *Graiaci*, *Ornaci*, ac *Gonſani* in Burgundia, & varijs in locis alibi icônes ſeu ſtatuę Virginis, ex Aſpricolléſi quercu confectæ, in magna ſunt veneratione. *Grey.*

B. Ioannes Monchiacenus.

TRadunt eum fuiſſe opilionem, ſeu ruſticanum paſtorem ouium; eſtq́; è terra in feretrum eleuatus & frequẽti peregrinantium concurſu honoratur. Adeò verum illud, *Infirma mundi elegit Deus.* Quieſcit in *Monchiaco petroſo*, Artesiæ pago, ſecundo milliari ab Atrebato. Vide plura apud Ferreolum Locrium in Arteſiæ Chronicis. *M'chij le Preux*

Talis apud Brabantos fuit S. *Guido*, de

de quo infra 12. Septembris, & S. *Iſidorus Madritenſis*, quem, hoc ipſo anno 1622. quo iſta commentabamur, Gregorius XV. ſolenni ritu in Diuos retulit, vnà cum *Ignatio Loiola*, Soc. Ieſu conditore, *Franciſco Xauerio*, Indorum ac Iaponum Apoſtolo, *Philippo Nerio*, presbyterorum Oratorij anteſignano, & *Tereſia* Carmelitani ordinis inſtauratrice.

Iunij 25. die. Martyrol. Rom.

S. ANTIDIVS Archiepiſcopus XIII. Biſontinus, eiuſque immediati ſucceſſores, S. *Leontius*, & S. *Celidonius*.

VIta & paſſio S. Antidij, ex manuſcriptis metropolitanæ eccleſiæ Biſontinæ, & Accincti ord. Ciſterciē ſis monaſterij, codicibus edita exſtat apud Ioannem Iacobum Chiffletium, in Deſcriptione Veſontionis. Eſt autē *S. Antidius* martyrio coronatus, in cōmuni illa Galliarum clade, à populis Sep-

Septemtrionalibus, maximè verò à Vandalis illata, circa an. Chriſti quadringenteſimum nonum, aut proximè ſequentes. Occiſus eſt apud caſtrum *Ruffeium*, vnde poſtea Veſontionem tranſlatus eſt ad S. Pauli baſilicã, Canonicorum regularium. 409.

S. LEONTIVS præfuit annis viginti quinque, & ſepultus eſt in eccleſia *S. Stephani*, putaturque iacere in ſacello S. *Agapiti*.

S. CELIDONIVS, à S. *Leone* Papa ſedi ſuæ Biſontinæ eſt reſtitutus, qua per S. *Hilarium*, Arelatenſem Epiſcopum, fuerat amotus, circa an. Chriſti quadringenteſimum quadrageſimum 440. quartum. Agit de Celidonio idem Leo, Epiſtola 87. ad Epiſcopos prouinciæ Viennenſis. Putatur cum prædeceſſore ſuo Leontio, ſepultus in ſacello S. *Agapiti*: quo loco ſepulcra duo antiquiſſima viſuntur abſque inſcriptione. De ſingulis vide plura apud Chiffletium in Veſontione.

S. ADELBERTVS confeſſor, Egmundæ celebris. *Martyrol. Rom.*

ADelbertus, regio Deirorum genere in Britannia natus, S. Willibrordi ſocius, primus Vltraiectinæ Eccleſiæ Archidiaconus, in Batauis ac Friſijs rem Chriſtianam egregiè promouit, Egmundæ in Hollandia conditus. Vita eius à cœnobitis Medelocenſibus circa an. 990. eſt conſcripta. In eius honorem *Theodoricus II.* Hollandiæ Comes illuſtrem Benedictinorum Abbatiam fundauit: de qua fusè Ioannes Becanus, Ioannes Leidanus, & alij rerum Batauicarum ſcriptores, & nos in Orig. Benedictinis.

S. ODVINVS presbyter & martyr.

HVgardiæ, quod eſt municipiũ celebre diœceſis & ditionis Leodicenſis, eſt vetuſtum Canonicorum S. Gorgonij collegiũ, quod initia ac dotẽ ſuam debet *Alpaidi*, Caroli Martelli Fran-

Francorum Principis pellici. *Adſeruant* hi Canonici corpus S. *Oduini* presbyteri, ab homine impio occiſi, quod capſæ incluſum deferre ſolent in publicis ſupplicationibus.

Secundo lapide ab Hugardia & à Thenis opido, viſitur *Orpium maius*, pagus Brabantiç celebris, in d. Namurcenſi: vbi eadem *Alpais*, ad meliorem frugem conuerſa, monaſterium virginum fundarat, quod à Normannis aut alijs barbaris euerſum putatur. *Alpaidis* autem tumulus in Orpienſi templo parochiali, retro aram Deiparæ, an. 1618. eſt inuentus. *Orp le grand.*

Iunij 26. die. Martyrol. Rom.

S. SALVIVS Epiſcopus Engoliſmenſis, & S. *Superius* martyres.

SAluius natus eſt *Aruennæ* in partibus *Aquitanicæ* regionis. Diſponente autem diuina ſapientia, ſtudijs eſt liberalibus eruditus, graduque ſacerdotali ac demum pontificali dignitate

nitate inſignitus. Egreſſus eò terra ſua, quia in acquirendis animabus ſũma eius feruebat intentio, *Valentianas* in Hannoniam venit. Vbi verbũ Dei populis publicè prædicauit, eoſque ac vicinos ad colendum Deum melliflua prædicatione confortauit Valentianis egreſſus, dum cogitat *Condatum* opidũ vicinum, in villa quæ dicitur *Breuiticum*, à *VVinegardo* homine impio occiditur, vnà cum ſocio ſuo S. *Superio* an.
801. Chriſti octingenteſimo primo: vt Sigebertus in Chronico tradit. Sacrum vtriuſque corpus Garolus Magnus Imperator, ab *A*ngelo monitus, è terra leuauit, & ad S. Martini baſilicam, haut procul à Valentianis ſitam, tranſtulit, monaſterio ibidem excitato, quod hodie eſt Prioratus monachorũ ord. Cluniacenſis: in quo etiamnum quieſcunt.

Valenciennes.

Condet.

S. Saluij vitam ac paſſionem ſcripſit *Philippus Haruengius*, ſecundus Abbas Bonæ Spei, ord. Præmonſtratenſis in Hannonia, vnà cum eiuſdem operibus Duaci an. 1620. editam. Hunc

S. Sal-

S. Saluium Meierus an. 801. non rectè dicit Ambianenſem Epiſcopum fuiſſe. De quo vide ſupra 11. Ianuarij.

S. BABOLENVS Abbas.

PRimùm *Malmundario*, pòſt *Stabuleto* Abbas præfuit, S. *Remaclo* ad Superos euocato. Corpus eius quieſcit Stabuleti: vbi aram habet ſuo nomini dicatam. Oſſa S. *Simetrij* martyris Roma Ladernacum attulit: vt ſupra 26. Maij retulimus. *Malmedij.* *Stauelo.*

Victoria Belgarum contra Stadingos ſeu Stadenſes hæreticos. *Staden.*

IN ſacris expeditionibus, contra Saracenos, idololatras, & hæreticos iam olim ſuſceptis, Belgarum in primis virtus ſemper enituit. Hieroſolymis captis primùm Regem *Godefridum Bullonium*, Conſtantinopoli ſubactæ primum ex Latinis Imperatorem *Balduinum Flandrum* nos Belgæ dedimus. In bello contra Stadingos an. *Vide infra die 15. Iulij.*

1234.

1234. noſtri item primas tenuerunt. Hi nimirum præſidio paludum freti, cùm Bremenſibus Archiepiſcopis multos annos obluctati fuiſſent, nec vlla ratione ad obſequium reduci poſſeat, *Gregorius IX*. Pontifex, publicata ſacra expeditione, omnes pęnè inferioris Germaniæ Principes in eos concitauit. *Henricus II*. Brabantiæ Dux vniuerſæ expeditioni præfectus: cui ſe coniunxerunt *Florentius* Hollandiæ, & *Theodoricus* Cliuiæ Comites, *Gualterus Bertoldus* Machliniæ, *Robertus* Bethuniæ, *Arnoldus* Aldenardæ Dñi, & alij è Nobilitate Belgica plurimi. Clero eminus ſtante, ac victoriam à Deo exorante, trucidata hoſtium nouem
VVezer millia: reliquos fugientes Viſurgis fl. abſorpſit. Petrus Diuæus, Franciſcus Haræus, & alij rerum Brabantinarum ſcriptores conſulantur.

S. ADELINVS confeſſor.
Iunij 27. die.

FVit S. *Landelini* in pia ad Vrbem peregrinatione, & verbi Dei prædica-

dicatione ſocius: cum quo & quieſcit Criſpinij, inter Montes Hannoniæ & Valentianas. Vide 15. Iunij.

Iunij 28. die. Martyrol. Rom.

S. BENIGNVS Epiſcopus & martyr.

CVius loci Epiſcopus fuerit, nondũ comperi. Hoc ſcio, illius oſſa Vltraiectum an. 966. Roma per *Baldricum* Epiſcopum allata fuiſſe: vt ſupra 21. Ianuarij dixi.

S. ADILIA virgo. *Iunij 30. die.*

ADilia, ſanctimonialis in monte prope Orpium, virginitatem ſuã Deo conſecrauit, & temporibus Childerici Regis in eodem loco multis ſãctimonialibus præfuit. Sed cùm eſſet hoſpilitate præcipua, videretque pauciores, propter montis moleſtias, eò conuenire, in decliuioribus eccleſiam S. Martini ædificauit, & ad eam monaſterium tranſtulit cum hoſpitalitate:

te. Poſtea bonis operibus plena ex hoc ſæculo migrauit, atque in eadem baſilica S. Martini honorificè eſt humata. Eumdem locum, ob merita tātæ virginis, ſignis & miraculis celebrem Deus reddidit. Sic fere legitur in Officijs proprijs diœceſis Namurcenſis, iuſſu Ioannis Dauuini, Namurcenſis Epiſcopi, anno 1619. ibidē editis. Eſt autem *Orpium maius*, inſignis Gallo-Brabantiæ pagus, in diœceſi Namurcenſi, ſecundo à Thenis opido ſitus; oſſaque S. Adiliæ Orpienſes in capſa religiosè adſeruant. Vide ſupra 25. Iunij.

Orp le grand.

S. Othilia.

Alia ab iſta, niſi fallor, fuit S. *Odilia* ſeu *Othilia*, pariter virgo, Rom. Martyrologij tabulis ad diem 13. Dec. adſcripta, quæ apud Alſatios in *Altomonte*, ſeu *Hohenburgenſi* ſui nominis monaſterio quieſcit. Chiffletius in ſua Veſontione narrat, Othiliam olim in peruetuſto apud Burgundos cœnobio Palmenſi educatam fuiſſe, ibidemque ſacrum illius velum piè etiamnū adſeruari.

B. Clot-

B. Clotſendis Abbatiſſa.

MAtri ſuæ S. *Rictrudi* in regimine monaſterij Marchianenſis ſucceſſit, & quieſcit ibidem; non tamẽ celitur Officio eccleſiaſtico. Vide 12. Maij.

B. ARNVLFVS Villarienſis.

BArnulfus Cornibautius, laicùs ſeu Conuerſus, vt vocant, Villarienſis, patria Bruxellenſis, vir prophetiæ dono clarus obijt an. 1228. pridie Kal. Iulij, expletis in Ordine Ciſtercienſi annis ſex & viginti. Vitam eius libris duobus conſcripſit *Goſuinus Boſſutus*, monachus & Cantor Villarienſis, qui apud me ſunt manuſcripti, hactenus typis non editi. Nã quæ de eius vita Franciſcus Moſchus Atrebati an. 1600. ex ſchedis edidit, longè ab his libris ſunt diuerſa.

De alijs opinione ſanctitatis olim in Villario claris, vide Chronicó noſ-

trum Ciſtercienſe, quod Coloniæ edēdum curauimus, & infra 20. Aug.

Cerei, ſeu Candelæ ſacræ memoria, Atrebati.

SÆuiente per Galliam epidemica Ignis ardentis, vt vocant, lue, quæ multis annis mortales afflixit (vt Sigebertus an. 1089. & Baronius in Annalibus commemorant) Virgo Deipara, *Lamberto A*trebatenſi Epiſcopo, & cytharædis duobus, *Ithetio* & *Petro Normanno,* noctu in baſilica cathedrali orantibus, apparuit, eiſque *Cereum* ardentem tradidit, mandauitque vt guttas ex iſto cereo in aquam deſtillarent, & eas ægris, atque Igne-ardente percuſſis potandas darent, valetudini recuperandæ. Quod quidem cùm ab ipſis præſtitum fuiſſet, innumerabiles priſtinæ ſanitati ſunt reſtituti. Huius rei hiſtoria ſpectatur hodieque in veſtuto marmore expreſſa, *A*trebati in templo cathedrali, ad tumulū eiuſdem Lamberti Epiſcopi, hac addita inſcriptione:

La Sainčte Chandelle.

Anno

Anno Domini milleſimo centeſimo decimo quinto, XVI. Kal. Iunij, obijt beatæ memoriæ Lambertus huius Atrebatenſis ſedis Cardinalis Epiſcopus. Per hunc reſtituta eſt dignitas huius Epiſcopatus, quæ per multa tempora Cameracenſi Epiſcopo fuerat commendata. Huic Epiſcopo & duobus ioculatoribus, Itherio & Normanno, beata Maria in hac eccl ſia apparuit, dans eis candelam, per quam ſanantur ardentes Igne malo.

De hoc eodem Cereo ita Meierus in Annalibus Flandriæ, in rebus geſtis anni 1095. *A Lantberto Atrebatium Epiſcopo comprobatus eſt memoratiſſimus ille Atrebatium Cereus, duobus hiſtrionibus, Itherio & Normanno, de cælo (vt ferunt) per Virginẽ Matrem traditus; qui & alios quidem ſanare morbos, ſed præcipuè contra Ignem ſacrum præſentiſſima præſtare dicitur remedia. Vnde & multi alij Cerei, vt Brugenſis, Falcobergenſis, Bononienſis, Nigellanus, Arkenſis, Blandecanuſq́; deriuati.* Adde & *Inſulenſem,* quem Inſulis, Flandrorum vrbe, mercatu nobili, in ſacello fori adſeruant; itemque *Pequicurienſem,* in agro Duaceno, apud Aquicinctum, & alios *Lille.* *Pequicourt.*

alios alibi celebres. Porrò Cereus ille Atrebatenſis etſi ſæpiùs accendatur, & plures etiam per horas non rarò ardeat, nulla tamen ſui parte minuitur, non ſine ingenti miraculo. Quin imò Cerei à me iam commemorati ex guttis illius vnum in corpus collectis (vt ex ijs maſſa paulatim creſcens hodieque ſpectatur) confecti ſunt. Adſeruatur autem Cereus Atrebatenſis, in ipſius fori ſacello pereleganti, à collegio ſeu Societate ciuium, quam *Ardentiũ* vocãt,iã olim inſtituta,& varijs priuilegijs cohoneſtata; à Societate, inquam,hominum prorſus laicorum, non ſine diuina, vt mihi quidem videtur, prouidentia; ne quis à clericis aut ſacerdotibus, ad quæſtum (vt Religionis noſtrę hoſtes calumniari ſolent) hæc talia confingi ſuſpicetur.

Ceterùm *Sixtus IV*. Pont.Max. rei vniuerſæ hiſtoriam ſeriò diſcuti, & per Notarios in Acta publica referri mandauit. Clemens verò Octauus Indulgentias ſacellum iſtud viſitantibus impertiuit, diplomate anno 1597. dato.

to. Ne cui autem iſta fortaſſe minùs credibilia videantur, moneo ſimilia legi apud Ioannem Moſchum in Prato ſpirituali, & apud Gregorium Turonenſem lib, 1. De gloria martyrum cap. 5. & 32. & alibi.

Præter *Atrebatum*, & loca ab Anſelmo Gemblacenſi commemorata, fuit & *Tornacum* peſte iſta, vt appel abant, iguinaria, ſeu ſacro igne grauiter afflictum, vt Mejerus in rebus geſtis an. 1092, cõmemorat. Additque eo ipſo tẽpore, à *Radbodo* eius vrbis Epiſcopo, ſolemnem ſupplicationem, iræ Dei placandæ, inſtitutam fuiſſe: quæ hodieque ipſo die Exaltationis S. Crucis quotannis haberi ſolet. Apud Pariſienſes porrò viſitur etiamnum baſilica *S. Genouefæ*, *Ardentium*, vt vocant, duratque mali huius ac remedij memoria.

Redeo ad Cereum Atrebatenſem. Is anno 1598. (vt altiora non repetã) cùm pax Gallica proclamaretur, duabus ampliùs horis, corã *Matthæo Moulartio*, clero, & populo vniuerſo *Atrebatenſi*,

batenſi, nulla ſui diminutione, arſit. Anno 1600. coram *Alberto Pio* & *Iſabella Clara Eugenia*, Belgarum Principibus, & coram varijs proceribus aulicis, per tres ampliùs horas (interruptè tamen) ſimiliter arſit, nulla ſui parte diminutus. Quin imò, rogatu eorumdem Principum, ex cera guttatim deliquata globulus compactus, auro ſolido inuolutus, atque ipſis Principibus dono eſt datus.

IVLIVS.

Kalendis Iulij. Martyrol. Rom.

S. RVMOLDVS Epiſcopus, vrbis Machlinienſis patronus.

RVmoldus, regia ſtirpe apud Scotos natus, patria relicta, Chriſti miniſterium caducis rebus omnibus ſibi anteponendum putauit. Romam igitur, perfectionis ſtudio, & vt Apoſtolorum limina viſeret, profectus eſt. In itinere exiſtens, nullam prædicandi

candi verbi Dei occaſionem præter-
miſit. Romæ conſtitutus, Apoſtolorū
& martyrum memorias indeſinenter
frequentans, multis oſculis ac lacry-
mis eas complectebatur, & bellatorū
Chriſti certamina animo ſuo ita re-
præſentabat, vt totus in martyrij deſi-
derium raperetur. Sed diuinitus, vt in
Galliæ partes deſcéderet, admonitus,
Pontificis obtenta benedictione,
Machliniam venit. Ibi ab *Adone* Co-
mite perbenignè exceptus, non multò
pòſt ipſius coniugi *Elizæ*, fuſa oratio-
ne, fœcunditatem prædixit, & ſuſcep-
tam prolem baptiſauit, ac *Liberti* no- *S. Libertus.*
men ei impoſuit. Qui poſtea cùm in
flumen incidiſſet, Rumoldi oratione,
populo adſtante, demerſus caput aquis
extulit, & contra flumen ſurſum ſe at-
tollens, in littus eiectus eſt. Exinde
Libertus, Danis bello omnia vaſtanti-
bus, in Hasbaniam, vt periculo ſe exi-
meret, profugiens, ante ipſam *S. Trudonis* arā, victima Deo eſt immolatus.

Rumoldus verò orthodoxam Fidem
Machliniæ, & vicinis in locis, tanto ſtu-

dio tantoque prouentu plantauit, vt Machlinienſium Apoſtolus meritò habeatur. Hunc igitur ſtrenuè prædicationis obeuntem munus, ſicarij duo
An. 775 anno ſeptingenteſimo ſeptuageſimo quinto, vulnere capiti inflicto, peremerunt. Vnum cupiditas auri, alterū ſancti Præſulis, ob commiſſum adulterium, reprehenſio, ad tanti facinoris perpetrationem ſtimulauerat. Corpus eius ſicarij, vt crimen cœlarent, in aquam demerſerunt: ſed diuino deſuper radiante lumine, per *Adonem* Comitem, aquis extractum, in Machlinienſi vrbe conditum fuit: vbi hodieque ſacra eius oſſa adſeruantur in illuſtri ſui nominis baſilica, quam *Notgerus* Epiſcopus Leodicenſis circa an.
Vide 9. April. 1000. Canonicorum XII. collegio auxit, & *Paulus IV.* Papa an. 1559. Sede metropolitana nobilitauit.

Huius eccleſiæ Baldericus Tornacēſis Epiſcopus lib. 2. cap. 47. in Chronico Cameracenſi, ante ſexcentos annos ſcripto, meminit: *Apud Maſlinas*, inquit, *monaſterium eſt Canonicorum, vbi quieſcit*

quieſcit pretioſus Dei martyr Rumoldus, genere Scotus, qui vitam eremiticam ducens inibi martyrizatus eſt. Hoc autem monaſterium ab antiquitate conſtructum, regalibus emolumentis maximè augmentatur. Ex quo loco colligi poſſe videtur, ante tempora *Notgeri* (qui anno 1007. obijt) Machliniæ monaſterium aliquod fuiſſe, ab *Adone* Comite fortaſſis incohatum; quod *Notgerus* poſtea prædijs & præbendis Canonicorum auxerit.

Ceterùm cuius loci Epiſcopus fuerit Rumoldus, ante ſuum ad Belgas aduentum, meritò quis quærat. Hiberni, iuxta Romani Martyrologij tabulas, nuncupant illum *Dublinienſem* in Hibernia Antiſtitem: Scotus aliquis fortaſſe dixerit, ipſum *Dumblanenſem* in Scotia Epiſcopum fuiſſe. Hoc ſcio, Archiepiſcopos Machlinienſes, inſignia ſua gentilicia cum inſignibus regni Scotiæ mixta, vno in ſcuto geſtare, in honorem ac memoriã patroni ſui S. Rumoldi, natione Scoti.

Dublin. *Dumblain.*

S. REGINA, fundatrix Dononij.

REgina, regio genere & affinitate clara, *Pipini* Francorũ Regis neptis, maritum habuit *Aldebertum*: ex quo decem filias habuit, quæ cælibem omnes vitam egerunt, vt tranſacto curſu, gratiores Deo occurrerent. Harum
Denain. virginum parentes Dononij ad Scaldim fluuium, ſecundo lapide à Valentianis, Hãnoniæ vrbe, illuſtre monaſterium ædificarunt, cei filiam ſuam S.
Vide 8. Oct. *Ragenfredem* ſeu *Rainfredem* præfecerunt; quæ altera velut Dononij fundatrix habetur. Hinc Baldericus lib. 2. cap. 28. in Chronico Cameracenſi: *In vico*, inquit *Duneng*, *beata Rainfredis ex ſui iuris rebus cellam fundauit, & ſanctimonialibus conſtitutis ipſa etiam Abbatiſſa regimonium duxit. Hanc autem poſtea, incumbente inopia, inclinatam pauci Canonici incolebant: donec conſilio Gerardi Cameracenſis Epiſcopi & Leduini Abbatis Vedaſtini, Balduinus Comes ad priſtinum ſtatum reſtituit, ibiq́ monialibus regulariter*

inſti-

inſtitutis, Abbatiſſam nomine Ermentrudē præfecit. Hodie vocantur, aut ſaltē vocari volunt Canoniſſæ, vt vocabulo apud omnes noto vtar.

Ceterùm in parochiali eccleſia Dononienſi, viſuntur ſepulcra *Aldeberti* & S. *Reginæ*, ſed corpora ſunt eleuata, atque in monaſterij ara maiore, argenteis feretris concluſa adſeruantur, S. *Ragenfredis* in medio, B. *Aldeberti* (qui tamen non colitur vt Sanctus) in dextro latere, & *S. Reginæ* in ſiniſtro.

Iulij 2. die Martyrol. Rom.

S. MONEGVNDIS vidua.

CHimacum Hannoniæ opidum, dioœceſis Leodicenſis, Principatus titulo nobile, duabus ſiluis, *Fania* & Theoraſcia, velut circumdatum, habet collegium Canonicorum & baſilicam *S. Monegundi* ſacram: cuius ibi olim reliquiæ, in loculo argenteo inaurato (vt & *S. Priſcæ* virginis ac martyris, ſub Imp. Claudio paſſæ, in alte- *Chimay.*

ro

ro paris pretij loculo) adſeruari ſolét. Sed vtriuſque ſacra oſſa an. 1552. perierunt, Francis opidum incẽdio vaſtantibus. In medio chori tamen hæc ſupereſt Inſcriptio, verbis Gallicis, quæ Latinè ſic ſonant: *Hic iacet nobilis vir, Ioannes Comes Sueſſionenſis, Dominus Chimaci, qui corpus S. Priſcæ Roma attulit & an.* 1282. *obijt.* Monegundis hiſtoriam Greg. Turonẽſis lib. De vitis patrum cap. 19. conſcripſit. De S. Priſca vide Martyrol. Rom. 18. Ian.

S. GVTHAGONVS confeſſor. *Iulij* 3.

Ooſt-kercke. FVit Regis Scotiæ filius, & pro Chriſto peregrinus, *Oiſt-kercæ*, burgo Flandriæ, in pace quieuit, ibidem cum *Gillone* ſocio ſepultus. Guthagoni corpus *Geraldus* Tornacenſis Epiſcopus anno 1159. è terra leuauit, & in feretrum tranſtulit, *Aldenburgẽſi*, *Dunenſi*, & *Quercetano* Abbatibus præſentibus. Vide Meierum an. 1062. 1065. & 1440.

S. Si-

S. SIDRONIVS martyr.

PAſſus eſt ſub Aureliano Cæſare, & ſacra eius oſſa ex vrbe Roma *Adela*, Balduini Pij, Flandriæ Comitis, vxor, Meſſenas attulit. Quo loco Canonicorum collegium & Benedictinarum cœnobium an. 1065. inſtituit: vbi & ſacrum velamen, marito orbata, accepit. *Meeſſenen.*

S. BERTA, Abbatiſſa Blangiaci in Arteſia. *Iulij* 4. *die.*

BErta, nobiliſſima genere nata, ex *Sigefrido* Comite Pontiuenſi filias quinque genuit, *Gertrudem, Deothilam, Emmam, Geſam* & *Geſtam*: ex quibus Emma *VVaraclino* Angliæ Regi poſtea nupſit. Marito defuncto, virginum monaſterium Blangiaci in ſuo fundo an. 682. ædificauit: quod quidem à Normannis vaſtatum monachi Benedictini, ſumptibus *Herſendis* matronæ, Balduino Barbato Flandris imperante, in- *Pōthieu.*

inſtaurarunt, hodieque obtinent. Vide Origines noſtras Benedictinas Antuerpiæ an. 1606. & Coloniæ 1620. excuſas.

Sigefridus porrò, Bertæ maritus,
12. *de Maij.* fuit frater *Adalbaldi* Ducis Duacenſis, mariti S. Rictrudis Marchianenſis, Iperio teſte in Chronico ſuo Bertinéſi: *Adalbaldi*, inquit, *Ducis fratres fuerunt Sigefridus Comes Pontiuenſis, maritus S. Bertæ Blangiacenſis, & Erchenaldus Maior domus Clodouei, filij Dagoberti. Erchenaldusq́, Adalbaldo defuncto, in eius terra reædificauit Duacum caſtrum, & in eo conſtruxit eccleſiam B. Mariæ Dei genetricis, quæ ec-*
13. *Sept.* *cleſia nunc dicitur B. Amati confeſſoris. Idem quoque Erchenaldus, conſilio B. Furſei, cui valdè familiaris fuit, ſuis proprijs ſumptibus, conſtruxit monaſterium S. Petri in Latiniaco, itemq́, in Perona, allodio ſuo proprio,*
16. *Ian.* *monaſterium S. Furſei, in quo ipſe S. Furſeum ſepeliuit, & ipſemet Erchenaldus nunc ſepultus requieſcit.*

S. PE-

S. PETRVS LVXEMBVRGICVS, cognomento Thaumaturgus, Aueniouenſis ciuitatis patronus, colitur ibidem *die 5. Iulij.*

FVit is, Dei beneficio poſt mortem magnus miraculorũ patrator, quæ iuſſu Clementis VII. Papæ, à tribus Cardinalibus in tria volumina ſeu tomos digeſta, Auenione exſtant in monaſterio Cæleſtinorum, vbi & ſacrum eius corpus honorificè adſeruatur. Obijt ân. ætatis circiter decimo octauo, Chriſti milleſimo trecenteſimo octogeſimo ſeptimo. Patrem habuit *Guidonem Luxemburgicum*, Lignia-ci & Rouſſij Comitem, ac Caſtellanum Inſulenſem, matrem verò *Machtildem Caſtillionæam*, quæ marito ſuo S. Pauli in Arteſia Comitatum, & Fiennæ dominium in dotem attulit. Ad tumulũ hi verſus leguntur:

Faiſeur des Miracles. 1387. *Ligniſ. Rouſſi. Lille. S. Pol. Fiennes.*

Hoc colitur tẽplo, tegitur ſimul aurea virtus,
Clara Lucemburgi ſoboles, nitidiſſima merces,
Orbis & vnus honos, mortali corpore cælum
Trãsfertur, meritis Petrus inter numina numẽ,

Anno

Anno milleno ſepelitur, ſicq́; trecentis
His ſeptem iungis, octoginta ſuperaddens,
Et quinta Iulij, pollens virtutibus altis,
Aſſiduè à populo veneratur quolibet anno.

CLemens VII. antea Cameracenſis Epiſcopus, qui ſe pro Pontifice tunc geſſit, Cardinalium ſuorum numero, *Clemens* autẽ *VII. Medicæus*, Faſtis Beatorum an. 1527. adſcripſit. Diploma nuper Auenione accepimus, *Ioannis Franciſci, ex Comitibus Guidys à Balneo*, Archiepiſcopi Patracenſis, & Apoſtolici apud Belgas Nuntij beneficio: quod ad gloriam gentis Luxemburgicæ, quæ tot Germaniæ *Cæſares*, Bohemiæque Reges dedit, hîc ſubnectam.

Clementis VII. Papæ diploma.

DIlectis filijs noſtris, Præpoſito, & Canonicis metropolitanæ Arelatenſis Eccleſiæ, & Priori ac fratribus domus ff. Cæleſtinorum, regularis obſeruantiæ, ciuitatis noſtræ Auenionenſis, Clemens Papa Septimus. Dilecti filij, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cùm ſicut accepimus, iãdiu magno

no Chriſti fidelium, & potiſſimùm ciuitatis noſtræ Auenionenſis, erga B. Petrum de Luxemburgo, & Arelatenſis, erga Ludouicum Alamandum, *S. R. E. Cardinalem & Eccleſiæ Arelatenſis Archiepiſcopum, quorum corpora,* Ludouici *in Arelatenſi, &* Petri *in veſtro monaſterio reſpectiuè requieſcunt, deuotionis affectus ita emineat, & populi multitudo non ſolùm ciuitatum prædictarum ſed aliarum partium occurrat cōcurratq́, diuerſarum, vt in eorum procellis, & in huius ſæculi caduci, turbinibus tamquam ſpeciales protectores, fautores, interceſſores & adiutores ad Dominum habeantur atque inuocentur.*

Nec mirũ ſi Dominus noſter Ieſus Chriſtus, *cuius propoſſe, vt fide dignorum habet aſſertio, imitatores exiterunt, indies, ipſorum precibus, eos inuocantes, miraculis, ac dolorum & anguſtiarum ſubleuationibus adiuuet, opemq́, ferat & auxilium: quandoquidem* Petrus *teneris ſub annis, &* Ludouicus, *ipſi, vti accepimus, vitam cælibem caſtamq́, & inuiolatam exegerint,* Petrus *in decimo ſeptimo,* Ludouicus *verò in ſexageſimo, vel circa, ætatum ſuarum annis,*

ut in eorum vitæ Annalibus traditur, ſuo Creatori ſuas puriſſimas animas reddiderint calcatis huius mundanæ vitæ, quamuis illuſtri eſſent orti proſapia, illecebris.

Proinde claræ memoriæ Renatus *Rex Siciliæ & Hieruſalem tunc in illis partibus degens, cum multitudine Chriſti fidelium, miraculorum huiuſmodi ſtupore, veſtraq; regulari obſeruantia & vitæ exemplaris meritis motus, eccleſias, domum, & conuentum, veſtra, inſtaurauerit, & non parua impenſa conſtrui fecerit. Voſq; propterea, ob ſingulares eorumdem* Petri & Ludouici *virtutes, quæ innumeræ leguntur nec nõ ieiunia, orationes, vigilias & quàm plures Deo gratas & accep tas operationes, quas tunc viuentes, gratia ſibi aſſiſtente diuina, operabantur, ita vt in cælitum numerum exiſtimētur piè eſſe relati, cupiatis eorum corpora, quæ vt præfertur in eiſdem eccleſias veſtris, & locis ſatis humidis & ſubterraneis iacent, ad alia, intra tamen eccleſias veſtras, commodiora loca transferre, ipſoſq;* Petrum de Luxemburgo, & Ludouicum Alemandum *quorum imagines vbique à fidelibus, longiſſimis iam annis citra, depingi conſueuerunt, pro Beatis cœli & venerari poſſe.*

Nobis propterea, venerabilis fratris noſtri Franciſci, Epiſcopi Tuſculani, S. R. E. Cardinalis de Claromonte, illarum partium noſtrarum Legati de Latere, qui ad eoſdem Petrum & Ludouicum nō paruum gerit affectum, & veſtro nomine, humiliter ſupplicatum exſtitit, vt huiuſmodi veſtris tam pijs & honeſtis deſiderijs annuere, pro noſtri paſtoralis officij debito, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur, qui fideles quoslibet, & præſertim ſub ſacræ religionis iugo Domino famulantes, ad deuotionem ac venerationem illorum qui Beati habentur, quantum cum Deo poſſumus, libenter excitamus, vt imitatores illorum exiſtere valeant, veſtris hac in parte pijs deſiderijs, vtpote ex magno deuotionis feruore prodeuntibus, annuentes; Vobiſq́; eorumdem Petri & Ludouici corpora & oſſa, ex dictis ſubterraneis locis, in alia commodiora loca earumdem eccleſiarum veſtrarum transferre, & ibidem venerabiliter collocare, & tam vos, quam alij vtriuſque ſexus Chriſti fideles, eos pro veſtra & ipſorum ſpirituali conſolatione, in veſtris eccleſijs & ſacellis pro Beatis venerari, ſine incurſu ali-

cuius demeriti vel idololatriæ ſeu conſcientiæ ſcrupulo poſſitis & valeatis, ac ipſi poſſint ac valeant, auctoritate Apoſtolica tenore præſentiū de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, concedimus pariter & indulgemus.

Non intendimus tamen propterea eoſdem Petrum & Ludouicum in catalogum Sanctorũ eſſe relatos, donec ſeruatis debitis ſolemnitatibus, in Sanctorum canonizatione ſeruari ſolitis, ad illorum canonizationem deuentum fuerit. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſq; contrarijs quibuſcum que.

Datum Romæ aput S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die nona Aprilis, anno millesimo quingenteſimo viceſimo ſeptimo, Pontificatus noſtri anno quarto. Subſignarat Iacobus Sadoletus, pòſt S.R.E. Cardinalis, libris editis clarus.

Pro eiuſdem *Petri Luxemburgici*, ſui conſanguinei, eleuatione ac canonizatione iam olim *Philippus Bonus*, Burgundiæ Brabantiæque Dux inſtiterat: vt conſtat ex litteris Bruxellæ 30. Ian. an. 1437. ad Patres Concilij Baſileēſis ſcriptis, quæ exſtāt inter Acta eiuſdem Concilij.

Quod ad *Ludouicum Alemandum* ſeu *Alamannum*, à Clemente VII. pariter in Diuos relatum, attinet, is nobili apud Burgundos familia Arbanenſi natus, primum Maclouienſis in Britannia minore Epiſcopus fuit, pòſt Arelatenſis Archiepiſcopus, ac demum Cardinalis. Scripſit nonnulla, & an. 1450. die 16. Sept. ad meliorem vitã tranſijt, quieſcitque in metropolitana ſua eccleſia Arelatenſi. Durante ſchiſmate, per Eugenium IV. Papam titulo Cardinalis priuatus fuerat; ſed ſchiſmate exſtincto, Nicolaus V. Eugenij ſucceſſor reſtituit, ſeu potiùs creauit ipſum tit. S. Cæciliæ Cardinalem. B. Lud. Alamannus. D. Arba.

De S. NVMERIANO LIV. Epiſcopo Treuerenſi vide ſupra pag. 303. *S. Numerianus.*

S. GOAR presbyter in pago Treuerenſi. *Martyrol. Rom. 6. Iulij.*

FLoruit an. 600. & res eius geſtas deſcripſit Wandelbertus, à Surio editus.

S. GODELEVA martyr.

S. Gode lieue. SEcundo lapide ab Oſtenda, Flandriæ opido (quod triennalis obſidio noſtra ętate nobilitauit) *Giſtella* ſeu *Geſtella* municipium viſitur: quo loco Godeleua, iuſſu Bertulfi mariti, à miniſtris domeſticis duobus, an. 1070. eſt ſtrangulata. Eſtque ibidem poſtea inſignis virginum Benedictinarū *Ab*batia, per Bertulfi ex altera coniuge filiam, conſtructa. Ob bellicos furores Brugenſi in vrbe moniales nunc domicilium habent. Godoleuæ hiſtoriam *Drogo* monachus S. Winnoci Bergenſis, poſt Epiſcopus Morinenſis, ad *Ratbodonem* Epiſcopum Tornacenſem (qui beatæ martyris corpus an. 1088. eleuauit) accuratè conſcripſit; legiturque apud Surium.

Iulij 6. die. Martyrol. Rom.

S. Willibaldvs, primus Eiſtatenſis in Germania Epiſcopus.

CVm S. *Bonifacio*, Germanorum Apoſtolo (cuius & vitam ſcripſit) in Euangelica prædicatione laborans, multas gentes ad Chriſtum conuertit. In Germaniam circa an. 728. venit; anno 742. *Ratiſponenſi*, & anno 743. *Liptinenſi* Synodo interfuit. Vide ſupra pag. 219. & 279.

S. Consvl, Epiſcopus V. Comenſis.

COnſul ex opido Noueſio, ad Rhenum haut procul à Colonia Agrippina ſito, ortus, S. *Abundio* in Epiſcopatu eſt ſubrogatus. Quo in munere adeò ſe piè & præclarè geſſit, vt non modò apud homines laudem cõſequeretur, ſed & cùm diem ſuũ obijſſet (quòd Nonis Iulij contigit) in Sactorum numero haberi, colique hac *Nuys.*

 die

die ab Eccleſia Comenſi meruerit. Floruit circa annum 550. & corpus eius, cum corporibus aliquot aliorum SS. Epiſcoporum, in maiore baſilicà Comenſi adſeruatur. Sic fere Ph. Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ.

S. GRIMBALDVS Abbas. *Iulij 8. die.*

Tournay. Terouane. NAtus eſt Tornaci Neruiorum, aut vt alij volunt, Teruanæ Morinorum. Grandior factus monachis Benedictinis Audomaropoli ad S. Bertinum ſe adiunxit. In Angliam profectus, ab *Alfrede*, Weſt-Saxonum Rege, *VVinchester.* Wintoniæ in nouo monaſterio *Hidenſi* Abbas eſt conſtitutus; vbi & obijt. Vitam eius ſcripſit *Gotzelinus* monachus Bertinenſis, à S. Anſelmo Archiepiſcopo Cantuariam ad S. Auguſtini cœnobium euocatus: quo in loco non ſolùm *Grimbaldi*, ſed & vitas SS. *Auguſtini, Laurentij, Suithuni, Erkenwaldi, Iuonis, Eadgithæ*, *Milburgæ*, & *VVitcburgæ* deſcripſit.

S. LAN-

S. LANDRADA Abbatiſſa & fundatrix Beliſienſis.

SAncta Landrada virgo, beato Lamberto, Epiſcopo Leodicenſi, pòſt martyri, familiariſsima, beato item VVillibrordo Epiſcopo deditiſsima, cœnobium ſacrarum virginum proprys ſumptibus & patrimonio, in ſaltu Beylæ conſtruxit, temporibus Pipini & Carolomanni. Eadem inter reliquas Chriſti virgines S. Amalbergam, præclaræ nobilitatis & ſanctitatis virginem, dignis moribus informauit.

Ceterùm S. Landradæ corpus, vnà cum S. Landoaldi ſociorumq́; corporibus, ex villa VVintreſhoue, ad S. Bauonis Gandenſe monaſterium an. 980. tranſlatum eſt. Hæc ex vetuſto Gandenſi Chronico ms. deſumpſimus.

Errant autem qui S. Landradum, monaſterij Beliſienſis fundatricem, tradunt fuiſſe Caroli Martelli filiam. Landrada namq́ue Martelli filia, non virgo, ſed nupta fuit, & ex marito ſuo *Sigiramno* reliquit filium S. *Crodegan-* *S. Godegrandus.*

gum ſeu *Godegrandum*, Metenſem Epiſcopum; vt rectè Molanus obſeruauit.

Eſt autem Beliſia vulgò *Munſter Bilſen*, hodie nobilium Canonicarũ collegium, in ditione Leodicenſi, prope

Bilſen. Beliſiam, eiuſdem nominis in Habania opidum: vbi S. *Amor* confeſſor, infra 8. Oct. laudandus, quieſcit.

S. Auſpicius. De S. AVSPICIO IV. Treuerenſi Epiſcopo vide ſupra pag. 160. & 301.

V. PETRVS EREMITA.

Huy. HVium opidum eſt ditionis Leodicenſis, Moſæ adſitum; cuius opidi muris adhæret illuſtre Canonicorum regularium cœnobium, vulgò

Neumoſtier. *Nouum monaſterium* nuncupatum, quod *Petrus* re & cognomine *Eremita* ex Terra ſancta in Europam reuerſus, ſump-

Montaign. tibus *Cononis*, Comitis Montis Acuti, & *Lamberti* Comitis Claro-montani

Clermõt ædificauit. Fuit is patria Ambianenſis, æterna laude digniſſimus, quòd temporibus *Vrbani II.* Papæ, non ſolùm primus belli ſacri buccinator, ſed etiam

etiam ductor copiarum militarium in Syriam anno. 1096. fuerit. De rebus ab illo præclarè geſtis fusè tractant Guilielmus Tyrius, & alij bellorum ſacrorum ſcriptores, quos conſule.

Petrus porrò in Europam, captis per noſtros Hieroſolymis, reuerſus, in ſuo illo Nouo monaſterio, pijſſimè vixit, & anno demum milleſimo centeſimo decimo quinto, in Domino obdormiuit. 1115. Elegerat vir humilis ſepulturam in cœmiterio, ſed inde trāſlatum eſt corpus eius ad cryptam: vt patet ex Regiſtro Anniuerſariorū illius loci, in quo ſic legitur.

Anno Dominicæ Incarnationis milleſimo ducenteſimo quadrageſimo ſecundo, Indictione decima quinta, XVI. *Kalendas Nouēbris, Hamanus Abbas ſecundus, totuſq; huius eccleſiæ Noui monaſterij conuentus, diuino vſi conſilio, tranſtulerunt reliquias D. Petri venerabilis ſacerdotis, dicti Eremitæ, à loco extra eccleſiam, ſcilicet à ſtillicidio ipſius templi verſus Auſtralem plagam, contra altare S. Stephani protomartyris, vbi olim humilitatis cauſſa in ſarcophago lapideo, tumba marmo-*

marmorea deſuper conſtructa, decenter humatæ fuerant, & in crypta eiuſdem eccleſiæ ante altare Apoſtolorum Philippi & Iacobi, cum Miſſarum ſolennijs, pulſantibus ſignis, Abbate & Priore exequias peragentibus, cū calice plumbeo, vini meri pleno, in ſignum ſacerdotij, vt mos eſt, honorificè tradiderūt ſepulturæ; euolutis à die obitus annis fermè centum & triginta. Cumq́, vt prædiximus, dicti venerabilis Petri, à quodam ſacerdote, de tumulo leuarentur reliquiæ, Abbate & conuentu circumſtantibus; inuentum eſt caput, ad modum monachi, tonſuram habēs clericalem, atque crines omnes, & criſpos circa coronam abundanter reſperſos. Sed & cilicium, vt credimus, de pilis camelorum cōtextum, circa lumbos inuentum eſt: vt ipſe cùm eſſet in carne, tamquam fidelis ſeruus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, non immemor fuit illius præcepti Domini, dicentis, Sint lumbi veſtri præcincti.

Inſcriptio lapidis ſepulcralis.

ANno Dominicæ Incarnationis milleſimo duccenteſimo quadrageſimo ſecundo,

do, XVI. *Kalendas Nouembris, trāſlatæ fuerunt in iſtam cryptam reliquiæ Petri venerabilis ſacerdotis & eremitæ, huius baſilicæ fundatoris: qui obyt anno milleſimo centeſimo decimo quinto, VIII. Idus Iuly.*

In opido Huiéſi eſt aliud illuſtre monaſterium, Ordinis *Crucigerorū* caput, à *Ioanne Apiano*, Leodicenſi Epiſcopo, dotatū. Ordinē iſtum circa an. 1216. viri quinque admodum pij, ſub regula S. Auguſtini, incoharunt, *Hugone* Cardinale & Apoſtolico per Germaniam Legato primùm, pòſt *Innocentio IV.* Papa probante. De quo vide Origines noſtras Monaſticas lib. 1. cap. 13.

Primam porrò eccleſiolam in honorem Deiparæ Huij S. *Maternus*, Petri Apoſtoli diſcipulus, conſtruxit: quam *Bozo* Archidiaconus auxit, Canonicis XV. in ea collocatis. Quibus alios totidem *Theoduinus* Leodicenſis Epiſcopus adiecit, & Huienſem baſilicam Marianam, à fundamentis per ſe reædificatam, vnà cum B. Lietberto Cameracenſi Epiſcopo, anno 1066. conſecrauit. Huic Theoduino *Colleg. Huienſe*

Stepha-

Stephanus IX. Papa, Gothelonis Lotharingiæ Ducis filius, & olim baſilicæ S. Lamberti Leodici Canonicus, *ſuperhumerale*, gēmis & vnionibus ornatum, in humeris deferendum tranſmiſit; vt Ioannes Placentius rerum Leodicenſium ſcriptor commemorat. Illud ipſum *ſuperhumerale* Leodici, inter ſacras reliquias & cimelia baſilicæ S. Lamberti magnâ curâ adſeruatur. Eſt inſtar balthei militaris, quo humeri tegi ſolent, compoſitum: & conſueuerunt Epiſcopi Leodicenſes, in ſolemnibus Miſſis ac ſupplicationibus ſi non iſtud ipſum ſuperhumerale (ne videlicet frequenti vſu atteratur) ſaltem aliud ſimile, atque ad eius formā adaptatum ornamentum in humeris geſtare. Atque hinc natum exiſtimo, vt S. Lamberti effigies cum iſtiuſmodi *ſuperhumerali* vulgò pingatur.

Pallium Ceterùm diſputant nonnulli, num iſtud *ſuperhumerale* idem ſit quod *palliū*. Pallium inquam, quod *inſigne eſt Archiepiſcopalis dignitatis*, vt Paſchalis II. appellat. Quo quidem *Pontifex Maximus*

mus, Patriarchæ, Primates, & *Metropolitani* ſiue *Archiepiſcopi* tãtummodo vti poſſunt, & ex priuilegio Apoſtolico, pauci Epiſcopi, vt in Germania *Bambergenſis*, in Italia *Oſtienſis, Papienſis* & *Lucenſis*; vt libro De vocibus Eccleſiaſticis Onuphrius Panuinius adnotauit. Quo loco idem Onuphrius pallium ſic deſcribit: *Pallium eſt faſcia ex candida lana contexta, habens deſuper circulum humeros conſtringentem, & duas lineas ab vtraque parte depẽdentes, cum quattuor crucibus.*

Scio autem pallium à quibuſdam & *ſuperhumerale*, ſed lata ſignificatione, nuncupari. At ſi Onuphrij definitionem ſequimur, iſtud ſuperhumerale, ad Theoduinum à Stephano IX. miſſum, aliud à pallio ornamentum eſt cenſendum.

Porrò inter varia ornamenta, apud Iudæos in veteri Teſtamento, Pontifici propria, fuit & *ephod* ſeu *epomis*, & *ſuperhumerale*, quod à Ioſepho lib. 5. c. 15. etiam *diplois* & *ſtola hieratica* dicitur. Eius itaque generis ornamentũ

& in

& in Eccleſia Chriſtiana cur vſurpare non liceat?

Vt vt ſit, illud conſtat ex Fulcuino Chronographo Laubienſi & *palliũ Archiepiſcopale Richario*, Leodicenſi Epiſcopo, à Ioanne Papa, *Rationale* autem *Alberoni II.* ab Innocentio II. tranſmiſſum fuiſſe.

S. AGILOLPHVS Epiſcopus Colonienſis & martyr. *Iuly 9. die.*

ANno 714. ad *Pipinum Heriſtallium*, Iupiliæ, haut procul à Leodico, ægrotantem venit, cùm S. Suitberto Epiſcopo, vt ſupra Kalendis Martijs diximus. Occiſus eſt *Amblauæ* in Arduenna, ac ſepultus Malmundarij, indeque Coloniam delatus per S. Annonem Archiepiſcopum, qui ipſum in ſuo ad Gradus monaſterio collocauit.

Gorco-

Gorcomienſes martyres.

ARkelana gens, apud Batauos ve- *Arkel.*
tuſtiſſimæ nobilitatis, multos
inſignes Toparchas protulit. Inter a-
lios fuit *Ioannes*, qui Gorcomium ſeu
Gorinchemium, paulò infrà, vbi Rhe-
nus (Vahalim accolæ nuncupant) Mo-
ſæ flumini coniungitur, in ripa amnis
condidit, non ignobile hac noſtra æta-
te opidum, & ob portus commodita-
tem conuehendis diſtrahendiſq; mer-
cibus longè aptiſſimum. Nam Linga
fluuius ex Betua (vnde Batauiæ nomē *Betuvve*
Romani fecerunt) regione fecundiſſi-
ma, defluens, magno incolarum com-
modo, per opidum labitur, & Rheno
ac Moſę nobiliſſimis fluminibus illicò
miſcetur.

In hoc opido fuit inſigne Franciſ-
canorum monaſterium, ex quo vnde-
cim ſodales, cum alijs aliquot ſacer-
dotibus, *Brilam* Hollandiæ opidum à
Caluiniſtis (quos *Geuſios* Belgæ vocāt)
abducti, ibidem laqueis ſuſpenſi, an.

1572. milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, die 9. Iulij, pro fide Catholica, mortem fortiter obierunt. Hiſtoriam martyrij fusè ſcripſit *Guilielmus Eſtius*, Doctor Theologus & Cancellarius Duacenſis, ibidem anno 1603. editam; compendiosè autem *Petrus Opmerus*, Antuerpiæ cum Notis Henrici Sedulij an. 1619.

Horum martyrum oſſa clanculum effoſſa, & per fidos homines Bruxellam allata, ibidem pro magna parte adſeruantur in templo Franciſcanorum, inauratis arculis incluſa. Partes aliæ varia per opida ſunt diſtributę, & cum honore adſeruantur à Franciſcanis Louanij, Athi, Cameraci, Valētianis, Antuerpiæ, Thenis, Trudonopoli & alibi.

Nomina XIX. martyrum, Brilæ ſimul interfectorum, ac primùm XI. Fratrum Minorum cœnobij Gorcomienſis.

NIcolaus Picus Gorcomienſis, Guardianus.

Hiero-

Hieronymus Werdanus, Vicarius.
Theodericus Emdenus, Amorfortius.
Nicaſius Ioannis Hezius.
Willehadus Danus.
Godefridus Meruellanus, Sacriſta.
Antonius Werdanus.
Antonius Hornarienſis.
Franciſcus Rodius, Bruxellenſis.
Petrus Aſcanus, laicus.
Cornelius Wicanus, laicus.

Nomina reliquorum VIII. martyrum.

LEonardus Vecchelius, Buſcoducenſis, Parochus Gorcomienſis.
Nicolaus Poppelius Weldanus, alter Parochus Gorcomienſis.
Godefridus Dunæus, Gorcomienſis.
Ioãnes Oiſteruicanus, ord. S. Auguſtini Canonicus regularis.
Ioannes, ord. Prædicatorij religioſus.
Adrianus Hiluari-Becanus, ord. Præmonſtratenſis.
Iacobus Lacopius, Aldenardenſis, eiuſd. ordinis.
Andreas Walteri, Parochus Heinortéſis.

Matthiæ Houij, Machlinienſis Archiepiſcopi diploma de tranſlatione Gorcomienſium martyrum.

M*Atthias, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopus Mechlinienſis, omnibus Chriſti fidelibus, has viſuris, ſeu legi audituris, notum facimus, quòd die* 18. *Iunij an.* 1616. *R. in Chriſto P. Andreas Sotus, Sereniſſimæ Iſabellæ Claræ Eugeniæ, Hiſpaniarum Infanti, Principi noſtræ, à ſacris cõfeſſionibus & FF. ord. Minorum per Belgiũ & alias prouincias generalis Commiſſarius, ad nos deſtinarit probos duos viros N. N. deferentes ad nos certa oſſa, caput ſcilicet vnũ, cùm fruſtulis aliorum capitum, aliaq́; ſatis grandia oſſa, vt & tanquam reliquias martyrum Gorcomienſium; vt eaſdem reliquias viſitare, & narrationem dicti N. examinare & cenſere vellemus, eaq́; officia præſtare, quæ ab Antiſtite Ordinario circa eiuſmodi rem facienda viderentur.*

Nos itaque nolentes noſtro officio deeſſe, oſſa hæc diligenter inſpeximus, & narrationis prædictæ ſerie examinata, eiuſq́; auctoris

ris qualitatibus expenſis, teſtium etiam diuerſorum fide dignorum grauitate perpenſa, cenſuimus & præſentium tenore nos cenſere declaramus. vera hæc eſſe martyrum Gorcomienſium oſſa, veram item narrationem generoſi ac zeloſi Domini N. & proinde ſancta hæc oſſa tanquam veras martyrum reliquias, publicæ venerationi fidelium exponendas decernimus, auctoritate noſtra Archiepiſcopali & ordinaria. In quorum fidem hæc manu & ſigillo noſtris ſignauimus Mechliniæ die 22. Iunij 1616.

Iulij 10. *die. Martyrol. Rom.*

S. AMELBERGA virgo.

BElìſiæ à S. *Landrada* pijs moribus inſtitutā fuiſſe tradunt. Diu vixit, ac demum an. 772. obijt, in ſui iuris villa *Tamiſia*, ſeu *Tempſeca* ad Scaldim, *Tamiſt.* in diœceſi Gandenſi; vbi hodieq; tu- *Tēpſich.* mulus eius oſtenditur, & vitæ hiſtoria ms. adſeruatur. Corpus virgineū *Balduinus Ferreus*, Flādriæ Comes an. 870. ad Blādinienſe monaſteriū tranſtulit.

S. AMELBERGA vidua, eiuſque maritus B. *VVitgerus.*

WItgerum Condati ac Verginiaci Dominum fuiſſe tradit Diuæus l. 1. c. 3. rerum Brabãticarum. Sanctũ virum ac Comitẽ Baldericus in Chronico Cameracẽnſi lib. 1. cap. 16. nuncupat. Idem fuit Dominus in *Ham,* vico pagi Bracbatenſis inter Bruxellam & Machliniam: vbi hodieque eſt celebris memoria S. Pharaildis. Ceterùm tractus iſte Brabantiæ, olim Lotharingia, ſcilicet inferior, nominabatur. Quo fit vt ſuſpicer S. Pharaildem in *Ham,* aut vicino loco, primùm corpore quieuiſſe, indeque ab *Agilfrido* Abbate Gandenſi, eodemque Epiſcopo Leodicenſi, Gandauum circa an. 775. fuiſſe tranſlatam.

Ian. 4.

Witgerus porrò ſæculi curis valere iuſſis, demũ factus eſt monachus Laubijs ad Sabim fluuium; vt Molanus & alij tradunt.

S. AMELBERGA, maritum imitata, totam

totam ſe Deo pariter conſecrauit, & *Apr.*18.
Laubijs poſt mortem pariter eſt condita. Inde Binchium Hannoniæ opidum, anno 1449. cùm alijs ſepté Diuis tranſlata, quieſcit ibidem in capſa argentea. Habuit autem S. Amelberga duos maritos, *Theodoricum* ex quo S. *Pharaildis*, & *VVitgerum*, ex quo S. *Emebertus* cùm SS. ſororibus *Rainilde* & *Gudila*, prodijt. *Ian.* 15. *Iul.* 16. *Ian.* 8. Alij vnicum *Amelbergæ* cùm Witgero coniugiū agnoſcūt, & ex eo ſanctas proles quinque, *Emebertum, Rainildem, Pharaildem, Ermelindē* & *Gudilam*. Cuius opinionis fuiſſe videtur Baldericus loco citato. Sed cùm Normannorum vaſtatio multas Sanctorum hiſtorias deleuerit, non eſt mirum in hiſce minutioribus inter ſe diſcrepare, & hærere poſterioris ætatis ſcriptóres.

S. ETTO Epiſcopus.

ANno 651. aut circiter *Ettonem*, *Bertuinum*, *Eloquium* alioſque multos ex *Anglia*, Scotia, & Hibernia venien-

nientes, verbum Dei apud Belgas ſeminaſſe, commemorant Sigebertus Gemblacenſis & alij.

S.Ze. S. ETTO ſiue Hetto Epiſcopus & confeſſor, natione Hibernus ſeu Scotus, quieſcit in Lætienſi Hannoniæ

Feſcau. cœnobio. Obijt in Fiſciaco, olim monaſterio, nunc Prioratu dependente à Lætienſi Abbatia, iuxta Aueſnas Hānoniæ opidum. Vide Baldericum lib. 2.cap. 34. in Chron. Cameracenſi.

S. BERTVINVS pariter Epiſcopus & confeſſor, quieſcit in Malonia, Canonicorum regularium cœnobio, apud Namurcum. Vide infra 11. Nou.

S. ELOQVIVS, pòſt B. Furſeum Latiniacenſis in Gallia Abbas, à S. *Eligio* Nouiomenſi Epiſcopo ſacerdos eſt ordinatus. Quieſcit in Walciodorenſi Benedictinorum monaſterio, in diœceſi Namurcenſi; vbi & vita eius ms. legitur, à S. *Forannano* Archiepiſcopo, vt putatur, conſcripta. Vide 3. Dec. 16. Ian. & 30. April.

Præter hos & alij multi viri pij Hiberni ſiue Scoti, in his *Adalgiſus*, *Mombulus*,

bulus, VVaſnulfus, Autbodus, Gobanus, Corbicanus, iſto æuo floruerunt.

S. ADALGISVS, Ettonis frater, quieſcit in monaſterio S. Michaelis in Theraſcia. Eorumdem frater fuit S. GOBANVS. Vide ſupra Iunij 2. die.

S. MOMBVLVS Abbas in Latiniaco, à B. Eligio, Nouiomenſi ac Tornacẽſi Epiſcopo, poteſtatem per vniuerſam diœceſim concionandi accepit. Colitur à Nouiomenſibus 18. Nou.

S. WASNVLFVS Epiſcopus, B. Vincentio in Altimontenſi monaſterio, à ſe fundato, agenti familiaris exſtitit. Quieſcit Condati, apud Hannones, in Canonicorum baſilica. Vide 1. Oct. *S. VVaſnon.*

S. AVTBODVS, ſiue Aubodus confeſſor, in pago *VVancourt*, haut procul ab Atrebato, Chriſtum prædicauit, & ibidem vt patronus eccleſiæ 21. Nouembris colitur. Obijt circa an. 680. in diœceſi Laudunenſi. *S. Obode Laon.*

S. CORBICANI fit mentio in vita S. Adalgiſi. De ſingulis fusè tractat *Petrus Lombardus*, Armacanus Archiepiſcopus, noſter olim Louanij in Philoſo-

loſophicis ac Theologicis præceptor, in ſuo De rebus Hiberniæ commentario: quem vtinam breui in lucē proferat! Exſtat quidem Catalogus Sāctorum Hiberniæ, ab *Henrico Fitz-Simonio*, Soc. Ieſu Theologo, & Nomēclatura Scoto-Britannorum Sanctorum, à *Thoma Demſtero*, Bononienſi Profeſſore edita: ſed prolixiores ab vtroque commentarios exſpectant iſtarum rerum curioſi.

B. PACIFICVS ex ordine Minorum.

INter Belgica Franciſcanorum monaſteria, quæ plurima ſunt, cæteris antiquiora cenſentur *Lendienſe, Atrebatenſe & Valentianenſe*, quæ conſtructa fuere temporibus B. *Pacifici*, primi in Francia Miniſtri prouincialis. Fuerat is per S. Franciſcum mundi fluctibus extractus, & poſt præclaram Eccleſiæ & Ordini Seraphico nauatam operā, obijt in monaſterio Lendienſi in Arteſia; vbi monumentum eius viſitur cum hac inſcriptione. *Sub hoc lapide recon-*

Lens. Arras. Valenciennes.

condita ſeruantur oſſa ſacra beati Pacifici, Ordinis Minorum, qui ipſe primus fuit prouinciæ Franciæ Miniſter. Vide Bonauenturam cap. 4. in Vita S. Franciſci, Gonzagam in Hiſtoria Seraphica, & Henr. Sedulium in libro De Belgicis ord. Minorum monaſterijs, nondum typis edito.

S. HILDVLFVS LVIII. Epiſcopus Treuerenſis. *Iulij* 11. *die.*

HVnc claro Neruiorum genere ortum Pipinus Francorum Rex, petente clero ac populo, Treueris Epiſcopum conſtituit. Poſt aliquot autem annos, cū tribus monachis, Spinulo, Ioanne & Benigno, in diœceſis Tullenſis ſiluam, quæ dicitur Voſagus vel Vogeſus, ſeceſſit, vbi & obijt. Vitam eius ſcripſit Bruno Tullenſis Epiſcopus, pòſt Leo IX. Papa nuncupatus, vt teſtatur Molanus in autographo Natalium Belgicorum, quod Louanij exſtat apud Philippum Zangrium bibliopolam.

S. BA-

S. Baſinus. S. BASINVS LV. Epiſcopus Treuerenſis colitur IV. Nonas Martij, diciturque oriundus ex Ducum Lotharingiæ progenie, & auunculus *S. Lutuini* ſui ſucceſſoris. Vide Brouuerum, & ſupra pag. 303. *S. Lutuinus.*

De Reliquijs illuſtrioribus eccleſiæ Tungrenſis.

TVngri, veteres Galliæ Belgicæ populi, à Cornelio Tacito, Plinio, & alijs antiquis ſcriptoribus celebrātur. Horum metropolis fuit *Aduatuca*, ſeu *Atuacutum*, cuius Iulius Cæſar in Commentarijs de bello Gallico & Ptolemæus meminerunt: vt eruditi non pauci arbitrantur. Hodie exiguū eſt opidum, vulgò *Tongeren* nuncupatum, ad Iecoram fluuiū, tertio à Leodico milliari, quod olim lōgè ampliſſimū fuit: vt antiqua mœnia ſeu muri, in agro ſuburbano exſtantes, etiamnum teſtantur.

In hoc opido fuit olim cathedra Epiſcopalis, quam inde *S. Seruatius* Traiectum

iectum ad Moſam, & poſtea *S. Hubertus* Leodicum tranſtulit. *Pag. 296 & ſeq.*

In dicto opido Tungrenſi eſt inſignè templum Deiparæ ſacrum, in quo *Otgerus* Epiſcopus Leodicenſis Canonicos XX. conſtituit. Idem baſilicam, ab Hunnis euerſam, rurſus ædificandam curauit; vt ex illius loci monumentis accepimus.

In templo iſto variæ Sanctorũ reliquiæ adſeruantur, quæ ſingulis ſeptẽnijs, die XI. Iulij, & quindecim proximè inſequentibus, ſolemniter populis vndique confluentibus ſolent oſtendi. Sunt in his,

Brachium *S.* Materni, primi Tungrenſis Epiſcopi, eiuſque Pedũ Epiſcopale.

Brachium *S.* Laurentij, cum parte capitis & ſcapularum eiuſdem.

Lac, & pars ex velo capitis B. Mariæ.

Digitus *S.* Ioannis Baptiſtæ.

Pars reliquiarum *S.* Vrſulæ, & capita *S.* Pinoſæ & *S.* Oliuæ, eius ſodaliũ.

Oſſa quædam *S.* Sebaſtiani.

Velum

Velum capitis & cingulum *S.* Eliſabethæ Lantgrauiæ.

Brachium *S.* Chriſtophori, & quædam oſſa *S.* Quirini.

Reliquiæ variæ *SS.* Apoſtolorum Petri, Pauli, Andreæ, Bartholomæi & Matthiæ.

Pars Crucis Dominicæ.

Vna ex ſpinis Coronæ Domini, & aliæ Reliquiæ variæ: quæ hoc ipſo anno 1622. quo iſta ſcribebamus, ingéti ceremonia, publicè ſunt oſtenſæ. Quod & Treueris, Coloniæ, *A*quiſ-Grani, & Traiecti ad Moſam eſt factum.

S. MILDRADA virgo. *Iulij* 13. *die.*

Deuēter DAueutrićſis diœceſis, per Paulum IV. an. 1559. conſtituta, præter Dauentriam complectitur Campos, *S*uollam, Haſſeletum, Hattemium, *S*teinvicum, Vollenhouiam, *S*utphaniam, Harderuicum, Dousburgum, Lochemium, Dotechemium, Elburgum, Grollam, Oldeſaliam, cum aliquot

quot opidulis Tuentiæ, & Lingam, cum 250. ampliùs pagis. In cathedrali *S.* Lebuini baſilica Dauētrienſi, quæ eſt XX. Canonicorum, adſeruari ſolet pars reliquiarum *S. Mildradæ* virginis *A*nglicanæ, & corpora *SS. Lebuini* & *Marcellini*. Vide 14. Iulij, & 12. Nou.

Iulij 14. *die. Martyrol. Rom.*

S. MARCELLINVS presbyter, Tranſiſa'anæ prouinciæ Apoſtolus. *Ouer-iſſel.*

FVit *SS. VVillibrordi* & *Suitberti* Epiſcoporum æmulator in prædicatione Euangelica. Gregorij Vltraiectenſis Epiſcopi hortatu, in *Drenta*, *Tuenta*, *Oldenſalia*, *Dauentria*, & reliquo tractu *Tranſiſalano*, cùm *S. Lebuino*, maximè laborauit. Demum obijt *Oldenſaliæ*, quæ veterum *S*aliorum ſedes eſt, inde Dauentriam trāſlatus ad cathedralem S. Lebuini baſilicam. *S*cripſit vitam *S. Suitberti* Epiſcopi: de qua ſcriptione diximus ſupra pag. 122. *Oldēſeel*

S. HEN-

S.HENRICVS Imp. *Martyr.Rom.*

HEnricus Henrici, Carinthiæ & Norici Principis, filius, ex Giſela Burgundionum Regis filia, raro omni æuo exemplo, conſentiente *S.Cunegunde* vxore virgine, *de bonis carnis* (vt Tertullianus circumſpectè loquitur) *modeſtam in occulto matrimonij diſſimulationem Deo adoleuit*. *Bambergæ* ſedem Epiſcopalem à fundamētis excitauit, omniq́ue ſuo patrimonio, quod ab Othone Imp. acceperat, impertito locupletauit. Epiſcopatus alios per incurſiones barbarorum grauiſſimè afflictos, atque inter cæteros *Hildeſheimenſem*, *Miſnenſem* & *Argētinenſem* inſtaurauit. Hungariam, *Giſala* ſorore Toxo in matrimonium data, vnà cùm Rege, quem poſtea *S. Stephanum* dixerūt, ad Chriſti cultum traduxit. Obijt an. 1002. Bambergæ conditus, & in cenſu Diuorum ab Eugenio III. an. 1152. collocatus.

S.CVNE-

S. CVNEGVNDIS Imperatrix.
Martyrol. Rom. die 3. Martij.

FVit ea *Sifridi* ſeu *Sigefridi* Palatini filia, non Rheni, vt multi prodiderunt, ſed Comitis ad Moſellam: vnde & Moſellanus ſeu Metenſis eſt dictus. Henrico Sancto Imp. nupta, mox de tuẽda virginitate, vſuque tori abſtinendo, ad exemplum Virginis-Matris cum Ioſepho, & Pulcherię Auguſtę cum Marciano, in omnem vitã conuenit. Poſt obitum mariti, vitta ſacra, loco coronæ, ſumpta, ſolemni ceremonia, ſeſe rebus humanis omnibus abdicauit, & in cœnobio virginũ Benedictinarum, Bambergæ à ſe conſtructo, totam ſe Deo mancipauit. Qui plura de vtroque deſiderat, apud Gretſerum in *SS.* Bambergenſibus cognoſcet. Obijt Cunegundis anno 1040.

S. VINCENTIVS Comes Hannoniæ.

VNo eodemque ſæculo duæ illuſtres ac principales apud Belgas familiæ, nimirũ B. *Pipini*, primi Brabantiæ Ducis, & S. *Vincentij* Hãnoniæ Comitis, fecunda Sanctorum ſobole mirificè floruerunt. De B. Pipini ſacta ſtirpe ſupra 21. Februarij diximus.

Ad S. *Vincentium* quod attinet, Emũdus Dinterus, in mss. Brabãtiæ Chronicis, & alij tradunt ipſum fuiſſe natione Hibernum, & antea Madelgarium, Hibernicè *Maguir* nuncupatum. Si non fuerit natione Hibernus, videtur ſaltem in Hibernia aliquamdiu vixiſſe; fortaſſe cum Dagoberto, Sigeberti Auſtraſiæ Regis filio, quem à Grimoaldo Maiore domus regiæ, in eam inſulam ablegatum fuiſſe, ſupra
Pag. 112 die 21. Februarij docuimus. Inde porrò in Galliã Vincentius veniens multos viros Apoſtolicos, in his *Foillanũ*, *Furſeum*, *Vltanum*, *Eloquium*, *Ettonem*, & *Adalgiſum* adduxit. Hortatu S. Auberti

ti Cameracenſis Epiſcopi, mũdi pompis valedixit, in Alto-mõte ad Sabim fl. monaſterium conſtruxit, atque in illud ſe abdidit. Qui locus frequentia fratrum cùm populoſus fieret, vt liberiùs Deo vocaret, Sonegias ad locum ſecretiorem ſeceſſit: vbi alterum ſibi ac paucis ſocijs monaſteriũ ſtruxit, quod eſt præclarũ hodie Canonicorum collegium. Vide Baldericum l.2. c. 35. & 46. in Chron. Cameracenſi. *Hault-mont.* *Soigniſ.*

Vxorem habuit Vincẽtius S. WALDETRVDEM, fundatricem & primam Abbatiſſam monaſterij in Caſtri-loco, quod nunc eſt illuſtre nobilium virginum Canonicarum collegium Montibus Hannoniæ, vbi & quieſcit illius vrbis patrona. *Mons en Hainault.*

Waldetrudis Vincẽtio ſanctas proles quattuor peperit, *Landricum* Meldenſem in Gallia Epiſcopum, *Dentlinum* ſeu *Dentelinum*, Reſæ in Cliuia tutelarem, *Aldetrudem* & *Madelbertam*, Malbodienſes ex ordine Abbatiſſas: de quibus vide ſupra 9. Aprilis. *Meaulx*

S. LIBERTVS martyr.

LIbertus, patre Adone, Comite Machlinienſi, ortus, anno ſalutis humanæ
883. octingenteſimo octogeſimo tertio (quo tempore Dani & Hunni Machliniam & alia loca vicina vaſtabant) in Haſbaniam fugit. Porrò impij fugiētem inſecuti, in templo monaſterij Trudonenſis, quò tutelæ gratia ſe receperat, ante ipſam aram S. Trudonis flexis genibus religioſiſſimè orātē immaniter obtruncant; qui locus etiamnum hodie religionis cauſſa tapeto tectus viſitur. Corpus eius integrum, & alterius anonymi cū ipſo trucidati, in eodem monaſterio Trudonenſi in ciſtula conditumq́, adſeruatur. Hæc ex illius loci monumentis deprompta N. Abbas Trudonenſis nobiſcum an. 1621. coram communicauit.

S. RAGENVFLA virgo.

Ragenufla, virgo nobilibus & copioſis parentibus in Haſbania orta, à tenera ætate ſenilia exequebatur opera. Quam cùm *Ebroinus* adoleſcens ad connubium poſtularet, & parentes nolentem vrgerent, inſtante die nuptiarum, cùm vna ancillula, ad vicinæ ſiluæ latibula confugit. Paulò pòſt à Chriſto ſponſo ſuo vocata, quæ Angelorum ſtuduerat vitam imitari, eorumdem miniſterio ſubuecta eſt ad paradiſùm cæleſtem. Mox parentes omnibus cognitis, eius corpus honeſtè ſepelierunt, & proceſſu temporis, ſuper tumbam ipſius, eccleſiam ſumptibus proprijs ædificauerunt, & Deus miraculis plurimis ſanctitatem ſuæ ſponſæ teſtatam eſſe voluit. Ita ferè legitur in Officijs proprijs diœceſis Namurcenſis, iuſſu Ioannis Dauuini, Namurcenſis Epiſcopi, anno 1619. ibidem editis. *S. Rainoſſe.*

Ceterùm Ragenufla cognatas ha-

buit S. *Gertrudem* Niuellenſem & S. *Aldegundem* Malbodienſem; & temporibus *Dagoberti* Francorum Regis floruit. Quieſcit in *Aicuria*, Gallo-Brabantiæ pago: ſed Canonicorum collegium inde 1456. tranſlatum eſt Louanium, ad S. *Iacobi* baſilicam parochialem, per Nicolaum V. Papam.

S. BASINVS Rex & martyr.

Dronge. TRuncinij, primo lapide à Gandauo, baſilicam Deiparæ conſtruxit, quam S. *Amandus*, Traiecti ad Moſam Epiſcopus, & Gandauenſium Apoſtolus, monaſterio clericorum decorauit. Locum à Normannis vaſtatum *Balduinus Caluus*, Flandriæ Comes, an. 883. inſtaurauit. Sed clericis, qui regularem vitam abiecerant, an. 1137. Canonici regulares ord. Præmonaſtratenſis ſucceſſerunt, *Iuano* Comite Aloſtano procurante. De S. *Aldegunde*, Baſini filia, 20. Iunij, & S. *Gerulpho martyre*, Truncinij pariter quieſcentibus, egimus ſuis locis.

S. Teren-

S.Terentianus Duaci, *S.Florentius* Atrebati, *S.Seuerinus* Valentianis, *S.Victor* Inſulis, *S.Helena* Bruxellis, *S.Deppa* Tornaci, & *S.Polychronia* Dionanti, martyres in Soc. Ieſu collegijs quieſcentes, ſinguli & ſingulæ cum ſocio aut ſocia martyre.

CVm de antiquis in agro Romano cœmiterijs, quæ tribus primis ſæculis Sāctorum corpora velut fideli hoſpitio exceperunt, agitur, nequaquā ſimilia hodiernis cœmiterijs, quæ ædibus ſacris adiacent, ſuntque ſubdiualia, animo fingenda ſunt (nec enim tum in propatulo templa paſſim erāt, neque perſecutionum continua tempeſtas, quæ ad Conſtantinum vſque Magnum ſæuijt, eiuſmodi loca permiſiſſet) verùm ſubterranei receſſus, veluti ingentes quędā cauęæ aut cellę, quæ proceſſu temporum auctæ ſunt, & in ædiculas, in porticus, in ambulacra diuiſæ. In quibus non tantùm qui Chriſtianè obdormierant ſepeliri,

ſed etiam qui propter Chriſtum infeſtabantur, abſcondi, & qui ſacris intereſſe aut operari, alijſue pietatis Chriſtianę exercitijs intendere vellēt, ſi non planè tutò, certè cum minori periculo verſari poſſent. Tales enim ſibi latebras & ipſos quoque Iudęos, cùm ad necem quęrerentur, ſub humum effodiſſe, *Dio* in Adriano teſtis eſt. Sed ad vrbem Romam (vbi ſedes Imperij, & procella in Chriſtianos atrocior) plurima in primis fuere eiuſmodi, ſub nomine cæmiteriorum, profugia. Nam ad quadraginta tria cœmiteria Onuphrius Panuinius, in libello de Cœmiterijs, & Baronius in ſuis Annalibus collegit; quæ ab vtroque ijſdem ferè nominibus, etſi non nihil inuerſo ordine, numerantur.

To.2.

Quorum quidem vetuſtiſſimū meritò recenſetur ab Onuphrio cœmiterium *Oſtrianum*, in via Salaria, tertio ab Vrbe lapide: ſiquidē in eo B. Petrus multos baptizaſſe dicitur. De quo Protonotarius S.R.E, in Actis Liberij Papæ cap. 3. ſic ait: *Erat non longè a cœmi-*

Oſtrianū cœmiteriū.

Tom.1.

cœmiterio Nouellæ, ad tertium milliarium ab Vrbe, via Salaria, cœmiterium Oſtrianum, vbi Petrus Apoſtolus baptizauit.

Inter celeberrima verò cœmiteria fuerũt hæc tria, *Vaticanum, S. Calixti*, & *S. Priſcillæ*. Nam in Vaticano plurima antiquiſſimorum Pontificum corpora ſita ſunt, vt S. *Petri* Apoſtolorum principis, *Lini, Cleti, Anacleti, Euariſti, Xiſti, Teleſphori, Hyginij, Pij, Eleutherij, Victoris*, & aliorum. In ſecundo autem, quod Calixti dicitur, horum oſſa condita fuerunt; *Aniceti, Soteris, Pontiani, Anteri, Fabiani, Cornelij, Lucij, Stephani, Sixti II. Dionyſij, Eutychiani, Caij. Euſebij*, & *Melchiadis*, & aliorum plurimorũ non Pontificum. *Vaticanum.* *S. Calixti.*

In cœmiterio S. Priſcillæ ſepulti fuere, S. *Marcellinus* Papa cum ſocijs, S. *Marcellus*, Marcellini ſucceſſor, S. *Silueſter*, qui Conſtantinum Magnum fide Chriſti imbuit, & aqua baptiſmi abluit, item *Liberius, Siricius, Cæleſtinus*, ſancti Pontifices. Ibidem præterea ſepultæ ſanctæ illæ feminæ, *Sabinilla*, cum viro *Prudente*, S. *Pudentiana*, *S. Priſcillæ.*

& *S. Praxedis*, horum filiæ. Item *Baſilla* virgo, & Tornacenſium patrona *S. Deppa*, Dionantenſium *S. Polychronia*, & Bruxellenſium tutelaris *S. Helena*, martyres. Inde & *Anna Maria*, Matthiæ I. Cæſaris coniux, & *Ioannes Godefridus*, Bambergenſis Epiſcopus, beneficio Pauli V. Pontificis, ſancta corpora acceperunt, illa quidem terna, hic bina. Indidem & Duacenſes *S. Terentianum*, eiuſque ſocium, martyres habent: indidem Inſulenſes ſuum *Victorem*, indidem Atrebates ſuũ *Florentium*, indidem Valentiani ſuum *Seuerinum*, indidem ciuitates variæ varios ſibi patronos impetrarunt.

Cœmiterij S. Priſcillæ deſcriptio. Ceterùm abeſt S. Priſcillæ cœmiterium tertio ab vrbe Roma lapide, in via Salaria. Supra vnum eius aditum, domus quædam eſt ruſticana, ſeu prædium Collegio Romano Soc. Ieſu proprium. Hîc primò in cellas domeſticas, deinde ex ijs adiuncto ſcalarum ſubſidio, in profundiora ſpatia deſcenditur. Ibi ſeſe objicit cubiculum grande (ſic enim antiquitus

vocari ſolita, quæ nunc Sacella appellamus, docet in Notis ad Rom. Martyrologiũ Baronius) quod cubiculum eſt longum pedes circiter quinquagenos, latum porrò altumque trecenos, æqualibus in vtraque dimẽſione ſpatijs, opere lateritio egregiè concameratum, oſtijs hinc inde compluribus ad interiorem ſubterraneam ciuitatẽ (ſic eam vocat idem Baronius) viam commonſtrans. Sed lubet hîc eius verba ex 2. Annali, claritatis auctoritatiſque gratia, attexere. *Mirabile dictu,* inquit, *vidimus ſæpiuſq; luſtrauimus Priſcillæ cœmiterium, haud pridem inuentũ atq; refoſſum, via Salaria, tertio ab Vrbe lapide, quod nullo magis proprio vocabulo dixerimus, præ eius amplitudine, & multis atq; diuerſis eiuſdem vijs, quàm ſubterraneam ciuitatem. Quippe quod, in ipſo ingreſſu, primaria via ceteris amplior pateat, quæ hinc inde diuerſas vias habeat, eaſdẽq; frequentes, quæ rurſum in diuerſos viculos diuidantur & angiportus: rurſus vt in ciuitatibus, ſtatis locis, velut fora quædam, ampliora ſint ſpatia, ad conuentus ſacros agendos,*

eadem-

eademq́, Sanctorum imaginibus ornata; nec deſint, licet nunc obſtructa, ad lumen recipiendum deſuper exciſa foramina. Obſtupuit Vrbs, cùm in ſuis ſuburbijs, abditas ſe nouit habere ciuitates, Chriſtianorum (tempore perſecutionis) colonias, modò autem ſepulcris tantùm refertas, & quod legebat in chartis, vel videbat ex alijs cæmiterijs, aliqua ſolùm ex parte recluſis, tunc pleniùs intellexit. Ita Baronius. Quibus conformia ſunt, quæ narrauit & ſcripſit *Angelinus Gazæus*, Soc. Ieſu ſacerdos Belga, eiuſdem cœmiterij anno milleſimo ſexcẽteſimo vndecimo luſtrator: cui propter multiplices viarum anfractus, filo Duce, tamquam in labyrintho, vtendum fuit. Qui quidem omiſſis ſemitis tritioribus, in eam partẽ, quæ ad Occaſum vergit, ingreſſus, iam rependo, iam ambulando, demum ad duo ſtadia promouit, interdumq́ue obſeruando notauit, vbi terna ambulacria, alia ſuper alia occurrerent, & in eorum nonnullis, hinc atque hinc defoſſa in parietibus ſepulcra, quaternis ab imo ad ſummum ordinibus, quædam inſcripta,

Anno 1611.

ſcripta quędam rudia, quędã vacua, quędam plena, nunc Latinis, nunc Gręcis epigraphis, aut in marmore, aut in cruſta, aut in terra lapidoſa exaratis, ſubinde cum lampadibus paruulis, ijſque rudibus ac terreis, nonnumquam adſculptis palmis, & impreſſis his Gręcis characteribus, X. & P. ſeſe mutuo interſecantibus: aliquando cum phialis in ipſum murum iniectis, ſanguinem olim, ſed nunc exſuccum profeſſis. Viſa item ſacella pluſcula, nouenos pedes lata, ęquè & longa, teſtudine ſuperiùs in crucem camerata, vbi altaria etiamnum cernuntur, ſed ablatis lapidibus conſecratorijs concauã: imagines etiam perantiquæ, vt *Ieſu Chriſti*, inter Petrum & Paulum Apoſtolos medij, *S. Ignatij* martyris inter rugitus leonum precabundi, & aliorum Sanctorum, in parietibus depictæ. Quæ ad loca, vt omni pietate, religiòne, ac ſanctitate pleniſſima, ire crebrò Chriſtiani, reddita Eccleſiæ pace, à temporibus Conſtantini Magni, ac deinceps olim ſunt ſoliti.

In Eze. 12. c. 40. liti. *Dum eſſem Romæ puer*, inquit S. Hieronymus, *& liberalibus ſtudijs erudirer, ſolebam cum ceteris eiuſdem ætatis & propoſiti, diebus Dominicis ſepulcra Apoſtolorũ & martyrum circuire, crebroq; cryptas ingredi; quæ in terrarum profunda defoſſæ, ex vtraque parte ingredientium, per parietes habent corpora ſepultorum, & ita obſcura ſũt omnia; vt propemodum illud propheticum compleatur: Deſcendant ad infernum viuẽtes: & rarò deſuper lumen admiſſum horrorem temperet tenebrarum; vt non tam feneſtram, quàm foramen dimiſſi luminis putes, rurſumq; pedetentim acceditur, & cæca nocte circumdatis illud Virgilianum proponitur,*

Horror vbiq; animos, ſimul ipſa ſilentia terrent.

Hactenus Hieronymus. Idem ſe feciſſe *Prudentius*, poëta Chriſtianus gloriatur; nimirum iuiſſe ſe ad Martyrum cryptas, oraſſe ad eorum ſepulcra, & votorum ſuorum compotem receſſiſſe. Sic namque de cœmiterio Cyriacę in agro Verano (vt Baronius cenſet) agens, cantat:

Haud procul extremo culta ad pomaria vallo,
Merſa latebroſis crypta latet foveis.

Huius

Hiiius in occultum gradibus via prona reflexis,
Ire per anfractus, luce latente, docet.
Inde vbi, progreſſu facili, nigreſcere viſa eſt
Nox obſcura loci per ſpecus ambiguum:
Occurrunt caſis immiſſa foramina tectis,
Quæ iaciunt claros antra ſuper radios.
Quamlibet ancipites texant hinc inde receſſus,
Arcta ſub vmbroſis atria porticibus:
Attamen exciſi ſubter caua viſcera montis,
Crebra terebrato fornice lux penetrat.
Sic datur abſentis per ſubterranea Solis
Cernere fulgorem, luminibuſq; frui.
Mira loci pietas, & prompta precantibus ara
Spes hominum placida proſperitate iuuat.
Hic corruptelis animiq; & corporis æger,
Oraui quoties ſtratus, opem merui.

Ceterùm quattuor ſunt ſigna ſeu indicia, quæ conditorum in talibus præſertim cœmiterijs ſanctimoniam teſtantur, videlicet *Palma*, *Character* ſeu *Characteres Græci*, de quibus ſupra, *Lampas*, & *Phiala*, quæ iſto diſticho exprimuntur:

Lampas cùm Phiala, cum Palma, Littera bina,
Sunt certa indubij ſymbola Martyrij.

De his plura qui volet, *Petrum Halloſium*, Soc. Ieſu Theologum, conſulat in

in Triumpho ſacro S. Terētiani, Duaci an. 1615. edito, & *Ioannem Macariũ*, Canonicum Arienſem, amicum olim noſtrum, in libro quem hiſce de rebus ſcripſit, breui, vt ſpero, cura *Hadriani Baxij*, I.V.D. & Buſlidiani apud Louanienſes collegij Præſidis, publicandum.

Exemplo cryptarum veterum Romanarũ, maiores noſtri multas olim cryptas in Germania ac Belgio ędificarunt; cùm orationis ſeu ſacrorum conuentuum, tùm ſepulcrorum cauſſâ; quę ſub vetuſtioribus pleriſque tēplis hodieque ſpectantur: vt *Leodici* ad S. Petrum & S. Crucem, *Traiecti* ad S. Seruatium, *Laubijs* in templo parochiali, *Namurci* ad S. Albanum & S. Mariam, *Gandaui* ad S. Bauonem, *Anderlaci* iuxta Bruxellam ad S. Guidonem, Antuerpię ad S. Walburgam, *Duaci* ad S. Petrũ, & alibi. Et Traiecti quidem in crypta tumulus S. *Seruatij*, Leodici ad S. Petrum tumulus S. *Huberti*, & Laubijs ſepulcra SS. *Vrſmari* & *Ermini* etiamnum ſpectantur.

V. SA-

V. SACRAMENTVM Miraculoſum in vrbe Bruxellenſi. *Iulij* 15.*die*.

SVmma cum veneratione adſeruãtur in vrbe regia, Principumque ſede Bruxella, *tres Hoſtiæ ſacræ*, ſãguine tinctæ, quas anno ſalutis 1370. impiæ Iudæorum manus violarunt. Adſeruantur, inquam, in primaria vrbis baſilica, S. *Gudilæ* ſacra, & circumferuntur quotannis, ſolemniſſima ſupplicatione, medio menſe Iulio, Dominicâ die S. Margaritę ſacrum pręcedente. Rei geſtę & Miraculorum hiſtoriã ſcripſere *Theodericus Loërius*, *Alardus Amſtelrodamus*, & nuperrimè *Stephanus Identius*, Canonicus Bruxellẽſis: ad quos pium Lectorem remitto. *Vide* 8. *Ian.* ALBERTVS PIVS, eiuſq; coniux ISABELLA CLARA EVGENIA, pro ſingulari ſua religione, huic V. Sacramento Miraculoſo *Coronam triplicem auream*, adamantibus, vnionibus, gemmiſque pretioſiſſimis diſtinctam, & alia ornamenta, decem ampliùs aureorũ mil-

libus eſtimata, annis ſuperioribus obtulerunt ac dicarunt.

Ceterùm *tres* iſtę *Hoſtiæ ſacræ*, iā inde ab anno 1370. ad hoc vſque tēpus adſeruātur prorſus integrę atque illeſę; adeoque à Caluinianis numquā violatę. Quod nota contra *Emanuelē Meteranum* mendaciſſimum Belli Belgici ſcriptorem *Georgium* cognomento *Abbatem*, Pſeudo-epiſcopum Cantuariēſem, & alios, quos impijſſimus libellus, an. 1581. à Geuſijs Caluinianis, tyrannicè tunc Bruxellę dominantibus, publicatus fefellit.

S. PLECHELMVS Candidæ Caſæ Epiſcopus, Oldenſaliæ patronus.

EX Northumbriæ finibus, claris ortus parentibus S. *Plechelmus*, à prima mox iuuentute humilitatis & modeſtiæ laude excelluit, & iam tam diuini amoris flamma ſuccenſus, corpus ſuum ieiunijs & vigilijs caſtigans, orationi ſedulò vacabat. Factus adultior, in diuinarum lectione ſcripturarum erat

rat aſſiduus. Presbyterij verò auctus honore, in pauperes largus fuit, & omni virtutum genere ita adornatus, vt quod in interiore homine veritatis lumen diuinitus acceperat, in operatione quoque perpetuò reluceret. Nec multo pòſt S. *VVironi* aſſociatus, Romam, ad Apoſtolorum Petri & Pauli limina viſenda, cùm eo profectus eſt. *Vide* 8. *Maij*.

Romæ conſtituti, viſendis locis ſacris operam dabant; ſeipſos ſumma cum deuotione, fideique ardore, ieiunijs, vigilijs, & orationibus aſſiduis, in holocauſtum ſuauiſſimi odoris Domino immolantes. Quos Pontifex Maximus cùm ſapientiæ ac religionis amore inflammatos vidiſſet, in eccleſia principis Apoſtolorum Epiſcopos conſecrauit, & Sanctorum reliquijs ditatos in patriā, ad munus Euāgelicę prædicationis, remiſit. Vbi in eccleſia, quæ *Candida Caſa* dicebatur, Antiſtes factus *Plechelmus*, idolatrię reliquias indefatigato labore penitus extirpauit. Exinde, vt alibi quoque multos Chriſto lucrifaceret, patrio relic- *Beda hiſt. l.* 5. *c.* 24.

to ſolo, vnà cum SS. *VVirone* & *Otgero* ad *Pipinum* in Franciam ſe contulit. Qui eius aduentu maximopere exhilaratus, ad illa Galliç loca ipſum ablegauit, vbi necdum radicitus euulſç erant idololatricç ſuperſtitiones.

In illis Galliç finibus *Plechelmus*, multos ad Euangelicæ veritatis lucem perduxit, & deletis inanium Deorum delubris, ad honorem veri Dei complures conſtruxit eccleſias. Poſt plures verò annos, ingraueſcente ætate, miſit eum *Pipinus*, ad B. *Petri montem*, nunc S. *Odiliæ* nuncupatum, Rurimundenſi opido vicinum, vt in maiore quiete reliquum ibi vitæ tranſigeret. Sed nec ibi vir ſanctus à prædicationis officio deſtitit. Diuino itaq; operi inceſſanter vacans, plenus dierum Idibus Iulijs obdormiuit in Domino, & in cacumine montis illius, in eccleſia ad Deiparæ Virginis memoriam conſtructa, ſepultus eſt, & crebris poſtea miraculis illuſtratus. Caput ad hoc
Oldẽſeel vſque tempus *Oldenſaliæ*, in diœceſi Dauentrienſi adſeruatum, magna populi

puli religione colitur. Hactenus ex Officijs proprijs Sanctorum diœceſis Ruremundanæ, quæ *Henricus Cuquius*, illius vrbis Epiſcopus, concinnauit, & Coloniæ anno 1604. typis publicāda curauit.

Porrò *SS. VVironis* & *Plechelmi* Epiſcoporum, & *Otgeri* diaconi oſſa, Ruremundæ in excauata baſe tabulæ ſũmi altaris, baſilicæ cathedralis, cum vetuſta hac inſcriptione, *Partes reliquiarum SS. VVironis, Plechelmi & Otgeri*, cōſeruata fuerunt: quæ anno 1571. Geuſijs altaris tabulam euertentibus, ipſãque baſim intactam relinquentibus, ſingulari Dei prouidentia, ab Hæreticorum furore ſunt defenſa. Anno verò 1594. cùm eiuſdem altaris baſis renouaretur, ibidem reperta, & poſtea honorificè eleuata ſunt: vt in citatis Eccleſiæ Ruremundanæ Officijs legitur.

Beda lib. 5. cap. 24. Hiſt. Angl. diſertè tradit, *Plecthelmum*, aliàs *Plechelmum*, fuiſſe primum *Candidæ Caſæ* Epiſcopum: quæ ſedes Epiſcopalis eſt ſuf- *VVitborn.*

fraganea Glaſcuenſi in Scotia Archie-piſcopo. Vide Notitiam noſtram Epiſcopatuum orbis Chriſtiani.

Memoria captæ vrbis HIEROSOLYMITANÆ, per *Godefridum Bullonium*, & alios Principes noſtrates.

SAcras expeditiones, quas *Cruciatas* vocant, contra Saracenos & Hæreticos, multas magnaſque ſuperioribus ſęculis maiores noſtri, ſumma cũ laude ac fructu, inſtituerunt.

I. Expeditio Cruciata. PRIMA an. 1096. contra Saracenos *Vrbano II.* Pontifice ſuſcepta eſt, *Petro Eremita* incentore: in qua *Godefridus Bullonius*, Lotharingiæ Dux, & S.R.I. ad Scaldim Marchio, eminuit. Is caſtrum ſuum Bullonienſe, in vſum belli ſacri, *Otberto* Epiſcopo Leodicenſi vẽdidit; Antuerpiæ collegium XII. Canonicorum in honorem S. Michaelis, (quod nunc eſt cathedrale Marianum) inſtituit; & primos ibidem Equites XII. ſacræ militiæ adſcripſit. Præter fratres ſuos germanos *Balduinum* & *Euſta-*

Euſtatium, ſocios habuit *Robertum* Flādriæ, & *Balduinum* Hannoniæ Comites, alioſque Belgas nobiles plurimos. Hieroſolymitana vrbe (quam an. 636. Saraceni Chriſtianis eripuerāt) à noſtris anno demùm 1099. recepta, *Godefridus*, communi omniū ſuffragio, Rex eſt renuntiatus.

SECVNDA expeditionem an. 1101. Inſubres, Germani ac Galli ſuſceperunt: cui *Stephanus* Burgundiæ Dux, & *Guilielmus* Comes Niuernenſis interfuerunt. Quorum exemplo & *Godefridus* Comes Louanienſis an. 1106. crucem aſſumpſit. II.

Tertiam an. 1146. *Eugenius* Papa per S. *Bernardum* Claræ-Vallis Abbatem publicauit. Ordines in ea duxerunt *Conradus* Imperator, *Ludouicus* Galliæ Rex, *Theodoricus* Flandriæ Comes, & *Gualterus Bertoldus* Grimbergæ Dominus. Illud memoria dignū, noſtrates & Anglos verſus Syriā nauigantes, in Hiſpaniam deflexiſſe, & *Olifiponem* an. 1147. Mauris eripuiſſe, poſt quattuor menſium obſidionem: III.

vt Robertus Abbas Montenſis, illorũ temporum ſcriptor, in Chronico ſuo narrat.

IV. QVARTA an. 1188. contra *Saladinũ*, qui Hieroſolymam noſtris abſtulerat, eſt inſtituta; in qua primi fuere *Fredericus* Cæſar, *Philippus* Galliæ Rex, *Leopoldus* Auſtriæ Dux, *Philippus* Flandriæ Comes. Contra eumdem Saladinum an. 1183. à *Godefrido* Brabantiæ Duce *Henricum* filium primogenitum miſſum fuiſſe, Diuæus & alij tradunt.

V. QVINTA ſub *Cæleſtino* Papa an. 1195. ductu Henrici Imperatoris. Aderant *Fredericus* Leopoldi filius, *Henricus I.* Brabantiæ Dux, *VValeramus* Limburgi Dux, *Henricus* Comes Palatinus Rheni, & *Hermannus* Haſſiæ Lantgrauius. Cæſa innumerabilis hoſtiũ turba, captis duobus Saladini filijs.

VI. SEXTA, ſub *Innocentio III.* Papa, Conſtantinopolim Latinis ſubdidit; cui *Balduinus*, Flandriæ Hannoniæque Comes, an. 1204. datus eſt Imperator.
Bierſvliet. *Birſlitani* turrim portui imminentem occuparunt, & muros captæ vrbis ex primis

primis conſcenderunt, vt Io. Zonaras narrat. Vnde in vexillo ac ſigillo hodieque præferunt quattuor B. Græca, quæ ſunt vrbis Conſtantinopolitanæ inſignia.

SEPTIMA ſub Honorio III an. 1217. ductore *Andrea* Hungarorum Rege, S. Eliſabethæ patre. Interfuerunt *Leopoldus* Auſtriæ Dux, *Henricus* Comes Niuernenſis, & *Guilielmus* Hollandiæ Comes: quorum poſterior in Luſitaniam delatus, quattuor Mauror͞u Reges fugauit, quattuordecim millibus hoſtium cæſis. *Henricum* Brabantiæ Ducem biennio antea crucem ſuſcepiſſe, auctore *Ioanne* Scholaſtico Santenſi, accepimus. *VII.*

OCTAVA an. 1228. à *Fœderico II.* Imp. inſtituitur. Secuti ſunt *Henricus* Brabantiæ Dux, & *Ludouicus* Thuringiæ Princeps, S. Eliſabethæ maritus. Hieroſolyma Saracenis erepta. *VIII.*

NONA ſub *Innocentio IV.* an. 1245. duce S. *Ludouico* Galliæ Rege: cui comes fuit frater *Robertus*, Arteſiæ Comes. Damiata tunc expugnata. *IX.*

X. Decima an. 1268. ab eodem *Ludouico* Rege ſuſcepta, cum tribus filijs, *Theobaldo* Nauarræ Rege, & *Guidone* Flandriæ Comite. Medio in curſu Tuneti moritur Ludouicus. Exinde per *Nicolaum IV. Bonifacium VIII. Clementem V. Pium II.* alioſque Pontifices, aliæ plures contra Saracenos expeditiones ſunt publicatæ, ſed irrito ferè conatu. Plura qui volet, Guil. Tyrium, Iac. Vitriacum, & alios bellorum ſacrorum ſcriptores itemque Gretſerum in libris de Cruce conſulat.

Ad *Godefridum Bullonium* redeamus: *is Rex Terræ ſanctæ factus, victorijs & vita illuſtris obijt: quem mirari aliquando ſubijt, nõ & ipſum relatum in Diuorum numerum, tam claris teſtatiſq́; meritis:* vt Iuſtus Lipſius in ſuis Monitis & Exemplis politicis loquitur.

Anno 1100.

Cap. 2.

Iulij

Iulij 16. *die. Martyrol. Rom.*

S. RAINILDIS virgo & martyr.

RAINILDIS ſeu Reineldis ſoror fuit S. *Gudilæ* Bruxellenſium, & 8. *Ian.*
S. *Pharaildis* Gandenſium patronæ. 4. *Ian.*
Matrem habuit S. *Amelbergam* Binchij 10. *Iul.*
quieſcentem, & fratrem S. *Emebertum* 15. *Ian.*
Cameracenſem Epiſcopum; de quibus ſupra diximus ſuis locis.

Rainildis porrò velamen ſacrum à S. *Autberto* Cameracenſi Epiſcopo accepit, & ab Hunnis Belgicam vaſtantibus pro Chriſti fide eſt interempta, vnà cùm SS. *Grimoaldo* ſubdiacono & *Gundulpho* miniſtro, martyrij ſocijs. Quieſcit *Sanctis*, Hannoniæ pago, *Santen.*
apud Hallas, Deiparæ cultu celebres, ſic dicto à Sanctis iſtis martyribus; vt *Sanctiſe* opidũ in Cliuia, à CCCXXX. martyribus Thebæis: de quo ſupra 6. *Pag.* 287
Iunij egimus. An. 860. *Ioannes* Cameracenſis Epiſcopus, ſanctæ virginis corpus è terra in thecam argenteam tran-

tranſtulit: quam poſtea *Gerardus* item Epiſcopus, *Ioannes* Abbas Laubienſis an. 1170. *Petrus* item Abbas Laubienſis an. 1352. & *Franciſcus Burchius* Cameracenſis Archiepiſcopus an. 1621. luſtrarunt.

S. Valentinus. Hoc ipſo die Faſti Romani S. *Valentinum* XXVI. Treuerenſem Epiſcopum & martyrem celebrant: de quo vide ſupra pag. 302.

SS. MONVLFVS & GONDVLFVS, Epiſcopi Traiectenſes ad Moſam.

PRæter S. Seruatij corpus, quieſcũt in Seruatiana apud Traiectenſes baſilica quattuor aliorum SS. Epiſcoporum corpora, nimirum *Monulfi, Gõdulfi, Valentini* & *Candidi*. Quorũ quidem corpora à *Nithardo* Leodicenſi, & *Gerardo I.* Cameracenſi Epiſcopis, anno 1137. arcæ marmoreæ incluſa, & in crypta Seruatiana, poſt aram S. Petri Apoſtoli, collocata, multis ſæculis ibidem incognita latuerunt, & anno demum 1611. die 7. Martij feliciter ſunt inuenta.

De

De iſta eleuatione SS. Monulfi & Gódulfi Baldericus in Chronico Cameracenſi lib. 3. cap. 56. hæc commemorat: *Anno* 1137. *menſe Auguſto, cum Henrico Rege Traiectum venit Gerardus Epiſcopus, & rogatu Epiſcopi Nithardi leuauit corpora ſanctorum confeſſorum Gōdulfi & Monulfi, acceptis ſibi inde reliquijs: & conſecrata eſt ibi eccleſia in honore S. Seruatij.* Ceterùm in medio dictæ eccleſiæ Seruatianæ, viſitur hodieque marmoreus iſtorum duorum Epiſcoporū *Monulfi* & *Gondulfi* tumulus, ex quo leuata, & ad cryptam an. 1137. delata ſunt ſacra ipſorum oſſa.

MONVLFVS porrò circa an. 609. obijt. Is *Traiecti templum magnum in honorem S. Seruatij cōſtruxit, compoſuit, ornauitq́; : in quod multo ſtudio & veneratione tranſlatum corpus, magnis virtutibus pollet:* vt Greg. Turonenſis lib. de gloria Confeſſ. cap. 72. narrat. Prædiorum ſuorum (inter quæ fuit caſtrum ſeu opidum Dionantenſe) heredem ſcripſit Eccleſiam ſuam cathedralem. *Dinant.*

GONDVLFVS, immediatus Monulfi ſucceſſor, circa an. 617. obijt.

S. Fredegandvs confeſſor.

Iulÿ 13.*die.*

S.*Frego.* FRedegandus, vnus ex ſocijs S. *Foillani*, ex Hibernia venit in Galliam, vt animas Deo lucrifaceret. Cùmque multis in locis prædicationi Euangelicæ operam nauſſet, obdormiuit in Domino, & *Turnini* eſt ſepultus. Sed Deus illum locum, propter iniquitatem populi, exoſus, reliquias ipſius iuſſit altè tranſportari, vt nullum eſſet obſtaculum contra deſolationem futuram. Quibus ſublatis, velut muro & turribus ciuitatis deſtructis, gens inimica Normannorum irruit, & omnia ædificia, ipſiuſque Fredegandi monaſterium incendio conſumpſit. Prædictæ autem reliquiæ ipſius honorificè in collegiata *S.* Petri eccleſia *Monaſterienſi*, ſupra Sambram, ſeruantur. Ita legitur in Officijs proprijs diœceſis Namurcenſis, iuſſu Dauuini, Namurcenſis Epiſcopi, anno 1619. editis. Ceterùm pars reliquiarum S. Frede-

Dorne, prope Antuerpiam.

Mouſtier. Vide pag. 80.

Fredegandi Audomaropoli ex Bertiniano monaſterio Antuerpiam circa an. 1590. allata, adſeruatur ibidem in baſilicæ cathedralis ſacello, S. Vrſulæ ac ſodalibus dicato.

Iulij 18. *die. Martyrol. Rom.*

S. ARNVLFVS Metenſis Epiſcopus.

ARnulfus, olim Maior domus regiæ, Metenſis Epiſcopus, ac demum ex Epiſcopo ſolitarius, an. 640. obdormit in Domino. Succedit filius eius *S. Clodulfus*. Doda Clodulfi mater, Treueris recluſa, diem clauſit extremum. Ita Sigebertus in Chronico. Corpus *S.* Arnulfi quieſcit in ſui nominis Abbatia Benedictina, olim extra, nunc intra muros Metenſes ſita, multorum Regum tumulis clara: de qua exſtat Andreæ Valaderij liber. *S.* Clodulfus quieſcit in *Layo*, Lotharingiæ pago, olim patrimoniali, primo lapide à Nanceio; Martyrologij Rom. tabulis ad diem 8 Iunij inſcriptus.

Vide pag. 111 *Mets.*

Alius

Soiſſons. Alius ab iſto fuit *S. Arnulfus* Epiſcopus Sueſſionenſis, de quo infra 15. Augusti: alius item fuit *S. Arnulphus* Archiepiſcopus Turonenſis & martyr: *Tours.* cuius, vt & *S. Scaribergæ*, ipſius ſponſæ, corpora ſeruantur in S. Arnulphi monaſterio apud Criſpeium, quod eſt opidum primarium Ducatus Valeſiani, in *Valois.* regno Galliæ, & dioeceſi Sueſſionẽſi. Floruit is an. 513. ſub Clodoueo I. Rege, & colitur die 18. Iulij: exſtatq; vitæ illius hiſtoria Criſpeij, & apud Nic. Belfortium S. Ioannis Sueſſionẽſis Canonicum regularem, in ms. Supplemento Suriano.

S. FREDERICVS Vltraiectinus Epiſcopus & martyr. *Martyrol. Rom. & Surius.*

FREdericus Epiſcopus Vltraiectinus VIII. nobili apud Friſios genere, in caſtro Adelẽſi prope Franequeram, natus, Zelandos Chriſto adiunxit. Cumque *Ludouici Pij* Imp. matrimonium cum *Iuditha* propinquè agnata con-

contractum, pro muneris ſui natione, liberè improbaret, nulliſque Iudithæ lenocinijs flecti poſſet, eiuſdem impulſu, impijs percuſſorum manibus anno 838. trucidatus eſt, condituſque in Vltraiectina Canonicorum S. Saluatoris baſilica.

S. ODILIA virgo.

FVit ex ſodalibus S. Vrſulæ, & an. 1286. à *Sifredo* Colonienſi Archiepiſcopo eleuata, Huium tranſlata eſt, vbi quieſcit in primario Crucigerorum monaſterio. *Pag.* 381

S. ARNOLDVS citharedus.

FVit Caroli Magni Imp. citharædus, & quieſcit in ſui nominis pago, quem Germanicè *Arnſ-Willer*, Latinè *Arnoldi Villare* nuncupant, in agro Iuliacenſi & diœceſi Colonienſi.

B. Hildegrimus, primùm Catalaunenſis, pòſt Halberſtadienſis Epiſcopus. *Iulij* 19. *die.*

Carolus Magnus Imp. apud Saxones in loco *Salingenſtede* inſignem S. Stephano baſilicam exſtruxit ac dotauit. Cuius baſilicæ patrimonium *Ludouicus Pius*, Caroli filius, *Halberſtadium* tranſtulit, ibique primus Epiſcopus *Hildegrimus* ab eodem eſt conſtitutus. Fuerat is antea Catalaunenſis in Gal-
An. 817 lia Epiſcopus, obijtque an. Chriſti octingenteſimo decimo ſeptimo, apud fratrem ſuum germanum *S. Ludgerũ*, primum Monaſterienſem Epiſcopum,
Keyſ rs ſepultus *VVerdenæ*, quod eſt opidũ diœ-
VVeert. ceſis Colonienſis ac monaſterium Benedictinorum, ab eodem Ludgero incohatum, & à B. Hildegrimo abſolutum. Vbi hoc eius legitur epitaphium.

Iulii ter decimi reſolutus carne kalendis
Hildegrimus, tumulo clauditur appoſito.
Frater Ludgeri Coëpiſcopus atque beati,
Compar huic meritis, ſicut in officijs.

B. Ber-

B. BERNVLPHVS Epiſcopus Vltraiectinus.

VLtraiecti collegiatas eccleſias duas, vnam S. *Petri*, alteram S. *Ioannis*, Præcurſoris Domini, ædificauit. Medietatem quoque collegij S. *Saluatoris*, pro reuerentia B. Lebuini, *Dauentriam* tranſplantauit, & Abbatiam R. P. *Aufridi* ex Monte ſancto Vltraiectum tranſtulit; vbi eccleſiam in honorem S. *Pauli* condidit. Migrauit ad Dominum an. 1054. ſepultus in ſanctuario eccleſiæ S. Petri, per ipſum fundatæ. Tranſlatus tamen poſtea, collocatus eſt in choro, vbi plurimis claret ſignis ac virtutibus: quò & mortales plures noſtra tempeſtate confluunt, ſalutis gratia. Ita Guilielmus Heda, in Hiſtoria Epiſcoporum Vltraiectenſium, qui an. 1525. Antuerpiæ Canonicus obijt.

Vtrecht.

Nou. 12.

Maij 3.

S. VVLMARVS Abbas Siluiacenſis, in d. Bononienſi. *Martyrol. Rom. die* 20. *Iulij.*

LItteris operam dedit in *Alto-Monte*, Benedictinorum apud Hannones Abbatia, per S. *Vincentium* Comitem
Iul. 14. fundata. Inde in patriam reuerſus, *Siluiaci* monaſterium vtriuſque ſexus cōſtruxit, viros tamen ſemouens à fragili ſexu, cui neptem ſuam *Bertanam* præfecit. Hoc in loco *Ceadualla*, Rex Occidentalium in Britannia Saxonũ, catechumenus an. 688. ipſum inuiſit.

B. *Margarita* Iprenſis.

VIxit hæc virgo ex præſcripto tertiæ regulæ S. Dominici, & à ſacris illi confeſſionibus fuit B. *Sigerus* ſeu *Segerus Inſulenſis*. Annos vnum & viginti nata, ad Dominum an. 1237. migrauit. Vitam eius ſcripſit *Thomas Cantipratanus*, & eidem Segero inſcripſit: quam ex meo mſ. codice Hyacinthus

thus Choquetius, eiuſdē ord. Doctor Theologus, Duaci 1618. publicauit. Vide & Cantipratanum lib. 2. Apum cap. 48.

S. WANDREGISILVS Abbas & fundator Fontanellenſis. *Martyr. Rom.* 22. *Iulij.*

VIuere deſijt an. 664. & morienti adfuit S. *Audoenus* Rotomagenſis Episcopus. In regimine monaſterij Fontanellenſis ipſi ſucceſſerunt *Lantbertus*, apud Morinos ortus, pòſt Lugdunenſis Episcopus, & S. *Anſbertus*, pòſt Rotomagenſis Antiſtes. Sub horum regimine, S. *Vulframnus*, Senonenſis Præſul, Friſonumque Apoſtolus, itemque *Erenbertus* Episcopus Toloſanus, & S. *Condedus*, anachoreta natione Britannus, monaſticen ſunt amplexi: vt ex Actis S. Wandregiſili, ab eius ferè æquali conſcriptis, & à Surio editis datur intelligi. Errat autem Tritthemius, qui obitum illius ad an. 692. refert.

Aug. 24.

Febr. 9.

Mart. 20.

S. HILARIVS V. Epiſcopus Biſontinus, eiuſque ſucceſſores, SS. *Pancharius* & *Iuſtus*.

HIlarius, à *Silueſtro I.* Papa Biſontinorũ Epiſcopus ordinatus, ſumptibus S. *Helenæ* Imperatricis (quæ id temporis Veſontionem venerat) in imo monte Cœlio, auguſtam baſilicam cõſtruxit, atque ad ſummitatem perduxit, quæ nunc S. *Ioannis* dicitur: aliam pręterea in ſuperiore montis parte, quæ ſola S. *Stephani* protomartyris nomen retinuit, cœpit ęxcitare. Idẽ à B. *Helena* dono accepit portionẽ ſanguinis eiuſdem S. *Stephani*, Hieroſolymis allatam: obijtque circa annũ
An. 330 Chriſti trecenteſimum triceſimum.

S. Pancharius. Pancharius, qui & *Pancratius*, Hilario magiſtro ſuo ſucceſſor à *Iulio I.* Papa datus, ſynodo Agrippinẽſi an. 346. ſubſcripſit per legatum. Viuere deſijt an. circiter trecenteſimo quinquage-
An. 356. ſimo ſexto.

S. Iuſtus. Iuſtus, Pancharij ſucceſſor, matricem

cem eccleſiam S. *Stephani*, primùm à *S. Lino* in imo monte Cælio incohatam, pòſt à S. *Maximino* auctam ſeu inſtauratam, denique à S. *Hilario*, Helenæ magnificentia, illuſtriorem redditam, in honorem S. *Ioannis Euangeliſtæ* & S. *Stephani* dedicauit. Iuliano Apoſtata in Chriſtianos ſæuiente, ceſſit furori, & à S. *Euſebio*, Epiſcopo Vercellenſi, apud Pedemontanos honorificè ſuſceptus, cum illo familiariſſimè egit. Sedata tempeſtate, Veſontionem rediit optimique Præſulis expleto munere, apud ſuos viuere deſiit.

De Collegio metropolitano Veſontino, quod eſt XLIII. Canonicorum, præter Dignitates.

INtra muros vrbis Veſontinæ, in monte Cęlio, duæ ſunt baſilicæ vetuſtiſſimæ, vna *S. Ioanni*, altera *S. Stephano* ſacra, quæ multis ſæculis de dignitate ac iuribus inter ſe certarunt. Quæ quidem controuerſia vt ſopiretur,

tur, *Hugo* Card. & Sedis Apoſtolicæ Legatus, an. 1253. vtriuſque baſilicæ Canonicos in vnius collegij ſeu Capituli corpus conflauit atque vniuit: ſic vt vtraque eccleſia hodie cenſeatur Antiſtitis Metropolitani ſedes, & in vtraque preces Horariæ à Canonicis metropolitanis quotidie decantétur. Archiepiſcopi palatium baſilicæ
Sept. 23. *S. Ioannis* adiacet, quæ à S. *Lino*, primo Veſontionenſi Epiſcopo, *S*. Petri Apoſtoli diſcipulo ac ſucceſſore, circa annum Chriſti 55. incohata traditur. In eadem *S. Maximinus*, ſecundus Veſontionenſis Epiſcopus, clericorum collegium circa an. 285. inſtituit.

S. *Stephani* baſilicam, in ſuperiore parte montis Cælij, ædificare cœpit S. *Hilarius*, quintus Epiſcopus Veſontionenſis, qui circa an. 330. viuere deſijt. Cœptam promouit ſucceſſor S. *Pancharius*, & S. *Frominius* demum perfecit, in eaque Canonicorum regularium collegium primus circa an. 370. conſtituit, qui decurſu temporis facti ſunt Canonici ſæculares, vt vocant.

In

In S. Stephani templo adſeruatur *Chriſti ſacroſanctum Chriſti Sudarium*, toto orbe celeberrimum: ad quod ſpectandum, die Paſchæ & Dominica poſt Chriſti Aſcenſionem quotannis multa hominum millia confluunt. *Chriſti Sudarium.*

In eadem S. Stephani baſilica *ſeptẽ Canonicos Cardinales* anno 1048. *Leo IX.* Papa (quod & ipſum Coloniæ feciſſe Wibertus ſcriptor vitæ eius lib. 2. c. 4. tradit) inſtituit, qui purpureis olim veſtibus indui ſolebant. Sed deſierunt ſeptem iſti Cardinales Stephanici, poſt vnionem eccleſiarum S. Ioannis & S. Stephani, anno 1253. factam. Omnibus verò ac ſingulis metropolitani collegij Canonicis *Paulus V.* Papa indulſit, vt violacea veſte induantur. *Vide pag. 197.*

In vrbe Biſontina eſt inſuper collegium Canonicorum *S. Mariæ Magdalenæ*, quod fundatorem agnoſcit B. Hugonem I. Archiepiſcopum Biſontinum, qui anno 1067. viuere deſijt. De his vide plura apud Chiffletiũ in Veſontione. *S. Mariæ Magd. collegiũ.*

S. LEVINNA virgo & martyr.

LEuinna ſeu Levvinna, virgo Anglicana, ſub *Euberto* Anglorũ Rege floruit, & martyrium fecit temporibus *S. Theodori VII* Archiepiſcopi Cãtuarienſis, qui an. 690. obijt. E terra eſt eleuata per *Edelinum* Antiſtitem, ac demum *Bergas S. VVinoci*, quod eſt Flãdriæ opidum, tranſlata, vnà cum reliquijs *S. Oſualdi* Regis ac martyris, &
Maij 21 *S. Itiſbergæ* virginis. De miraculis *S.* Leuinnæ exſtat liber Drogonis Morinenſis Epiſcopi.

S. BRIGITTA, ſeu Birgitta vidua.
Martyrol. Rom. die 23. *Iulij.*

FVndauit ordinem S. Saluatoris qui vulgò S. Brigittæ nuncupatur: de quo in Originibus Monaſticis lib. 1. cap. 23. egimus. Vt varia loca piè pe-
Arras. regrinando peragrauit, ſic & *A*trebati aliquamdiu ſubſtitit, cum marito ibidem ægrotante. Obijt an. 1373. à Bonifacio IX. Diuis adſcripta.

Rure-

Ruremundenſes martyres Cartuſiani, & alij.

AN. 1572. die 23. Iulij Ruremunda, Geldriæ vrbe, per Guilielmũ Naſſauium, Principem Arauſionenſem, occupata, milites Caluiniani (quos Geuſios, hoc eſt, Gallica voce *Geux*, nebulones vocamus) ſumma crudelitate tres & viginti ſacerdotes innocentiſſimos occiderunt. Ex his duodecim fuere *Cartuſiani*, duo *Franciſcani*, tres *Canonici regulares*, & reliqui ſæculares, vt nuncupant, presbyteri. De quibus peculiarem ſcripſit libellum Arnoldus Haueníius Cartuſianus: quẽ & conſule lib. 2. cap. 6. in Commentario de erectione nouorum in Belgio Epiſcopatuum, Coloniæ 1609. edito.

B. *Chriſtina* cognomento *Mirabilis*, virgo. *Iulij 24. die.*

IN Bruſthemio, Hasbaniæ & Comitatus Loſſenſis vico, nata, piè in Do-

Domino anno circiter 1224. obdormiuit; in Benedictino S. Catharinæ virginum cœnobio, ad muros opidi Trudonopolitani, in diœceſi Leodicenſi, ſepulta. Quo in loco cùm annos ſeptem quieuiſſet, inde ad vicum Milenſem, haud procul diſſitum, vnà cũ monialium collegio, anno fere 1232. eſt tranſlata. Hiſtoriã vitæ eius ſcripſit Thomas Cantipratanus, & Surius, mutato tamen ſtilo, edidit. Integra, vt eſt ab auctore conſcripta, exſtat apud me in codice ms. itemque apud monachos Trudonenſes.

V. *Mathildis* Marchioniſſa.

MAritum primum habuit *Godefridum* cognomento *Gibboſum*, Lotharingiæ Ducem; cuius pater Godefridus, Gozelonis filius, Stephani IX. Papæ frater, vxorem habuit *Beatricem*, Mathildis matrem. Fuit autem Mathildis, *Bonifacij* potentiſſimi in Italia Marchionis filia, Longobardiæ & Tuſciæ Duciſſa, Parmæ, Mantuæ, Ferra-

riæ,

riæ, Etruriæ, Spoleti, Anconæ, & Piſarum Marchioniſſa, itemque Canuſſiæ Comitiſſa, vt ijs vocibus vtar. Romanorum Pontificum partes, contra Henricum IV. Cæſarem, fortiſſimè fouit: Longobardiæ Tuſciæque ditionem, cum Ferraria, Pontificiæ Sedi Romanæ teſtamento legauit, & an. 1115. piè obdormiuit, in *Padolirone* monaſterio, inter Padum & Larionem, in Mantuana diœceſi, condita.

B. *Ioannes Agnus*, Epiſcopus Traiectenſis ad Moſam. *Iulij* 25. *die.*

PErpetuo, Dionantenſium patrono, in Epiſcopatu ſucceſſit, & an. 637. viuere deſijt, Huij conditus: cuius oſſa Ioannes II. Epiſcopus Leodicenſis an. 1230. eleuauit & in altari *SS.* Coſmæ & Damiani recondidit.

Fuit & alius B. *Ioannes Agnus*, Gandenſis, ex ordine Prædicatorum, qui an. 1396. viuere deſijt. Exemplo SS. Mauri & Hyacinthi ex Flandria in Zelandiam ſine nauigio, cappæ ſuæ in-

ſiſtens

ſiſtens tranſmiſit. Vide Choquetium in libro de SS. Dominicanis, & 4. Aug.

S. Magnericum XLIX. Treuerenſem Archiepiſcopũ hoc ipſo die Faſti Romani celebrant. Vide ſupra pag. 303.

V. Thomas Kempenſis.

Kempẽ. NAtus eſt *Kempis*, quod permodicum eſt in agro & diœceſi Colonienſi opidum. Studiorum curſu Dauentriæ peracto ſub diſciplina Fratrum ſeu Clericorum vitæ communis, ad Montem S. Agnetis, qui proximè Suollenſi vrbi imminet, conceſſit, & Canonicis regularibus ſeſe adiunxit, ibidemq́ue anno Chriſti 1471. ætatis 92. in Domino obdormiuit. Sacræ lectionis, cellęque ſuę ita amans fuit, vt hoc ſymbolum ſępiùs ore proferret, libriſq́ue ſuis inſcriberet: *In omnibus requiem quæſiui, ſed non inueni, niſi in angulis & libellis.* Scripſit varia, vnum in corpus ab Henrico Sommalio digeſta; inter quæ eminet verè aureus

De

De imitatione Chriſti libellus : quem ſanctiſſimi viri, *Car. Boromæus, Ignatius Loiola, Ph. Nerius, Rob. Bellarminus*, & alij quotidie lectitare ſunt ſoliti. Vitam illius ſcripſere Iudocus Badius, Franciſcus Tolenſis, & Heribertus Roſ-Weidus, *S*oc. Ieſu presbyter, qui & Chronicon Montis *S*. Agnetis, à Th. Kempenſi ſcriptum, nuper edendum curauit.

S. ANNA mater Deiparæ.

Martyr. Rom. Iulij 26.

CAput S. Annæ in magna eſt veneratione Duræ (quod eſt opidum ditionis Iuliacenſis) pes verò Duaci in baſilica Canonicorum S. Amati.

S. IORIVS Epiſcopus.

QVieſcit Bethuniæ, quod eſt Arteſiæ opidum, in Canonicorum *S*. Bartholomæi baſilica. Epiſcopatū tenuit in Oriente, & pia peregrinatione per Europam inſtituta, cùm Bethuniam veniſſet, ibidem an. 1030. exſpirauit.

S.Chriſ-

S. CHRISTIANA virgo.

TEneramunda, opidum Flandriæ Imperialis, in diœceſi Gandenſi, ad Scaldis & Teneræ confluentem ſitum, duos habet tutelares, *S.Hilduardũ* Epiſcopum, & S.*Chriſtianam* virginẽ: quorum oſſa ibidem adſeruãtur à Canonicorum collegio. Chriſtiana fuit Anglorum Regis filia: Hilduardus autem an. 750. floruit. De vtroque cõſule Dauidem Lindanum in Deſcriptione Teneramundæ.

S. PANTALEON martyr.

Iulij 27. die. Martyr. Rom.

PAntaleon Nicomedienſis, nobilis Medicus, cùm Nicomediæ Chriſti fidem liberè prædicaret, Diocletiano Imperatore, equuleo tortus, laminis candentibus cruciatus, demum gladio percuſſus martyrij coronam adeptus eſt. Illius caput per V.N. *Henricum ab Vlmine,*

Vlmine, Conſtantinopoli Coloniam allatum, in Abbatia Benedictina ibidẽ magno cum honore adſeruatur. Quod quidem monaſterium an. 959. in dicti martyris memoriam S. *Bruno*, Archiepiſcopus Colonienſis, exſtruxit, ruderibus deſtructi ad Rhenum pontis, qui inter Coloniam & Tuitium ſpectari ſolet, eò aduectis.

S. DESIDERATVS Archiepiſcopus Biſontinus.

DEſideratus, B. *Frominij* ſucceſſor, fundauit parochialem eccleſiam *Ledonenſem*, in qua & ſepeliri voluit: eſtque illi hodie dicata. Adſeruantur ibidem ſacra eius oſſa, capſæ argenteæ incluſa. Locus vulgò vocatur, *Ledo Salnerij*. Antiſtitis huius dies natalis celebris eſt in diœceſi Biſontina VI. Kal. Auguſti.

SS. NAZARIVS & CELSVS martyres, *Martyrol. Rom. Iulij 28. die.*

IAcobus Guiſius, in Hānoniæ Chronicis, & Ioannes Leſſabæus, ſcribūt ipſos Chriſti doctrinam apud Hānones, ſub Nerone, prædicaſſe: Cui conſonare videtur Metaphraſtes, cū Nazarium Galliæ eccleſias obiuiſſe tradit. Huc etiam facere videtur, quod in Romano Breuiario legimus, *ipſos Treuerim euntes, Neronis perſecutione, in mare deiectos fuiſſe, indeq́; mirabiliter euaſiſſe.*

S. HATEBRANDVS, Abbas & fundator Antiqui clauſtri in Friſia. *Iulij 30. die.*

Olden-klooſter.

HAtebrandus ſeu Hathebrandus *Feld-wertenſe* monaſterium, ord. S. Benedicti, quod poſtea *Antiquum clauſtrum* eſt dictum, pro vtroque ſexu an. 1183. incohauit, *Appingendami* apud Friſios, in diœceſi olim Vltraiectenſi, nunc Groningenſi. Obijt autē an. 1198.

an.1198. ibidem conditus: cuius ſacra oſſa inde Antuerpiam an. 1620. ad cœnobium S. Saluatoris (quod eſt monachorum ord. Ciſtertienſis) ſunt allata; vnà cum codice manuſcripto, in quo Lectiones habentur, de vita eiuſdem, á monachis Feld-Wertenſibus in templo, vt apparet, recitari ſolitis. Inter alia narrantur iſta: *Tria tẽporibus vitæ ſuæ conſtruxit in Friſia pius pater monaſteria, Feldwerth primum, Merehuſum ſecundum, Germerawald tertium.*

Ioannis Malderi, Antuerpienſis Epiſcopi, diploma de illius translatione.

IOannes Malderus, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Antuerpienſis, omnibus has viſuris ſalutem in Domino ſempiternã. Cùm ex authentico inſtrumento, plurium fide digno teſtimonio roborato, nobis conſtet reliquias penè integri corporis S. Hathebrãdi, primi Abbatis monaſterij dicti Oldécloofter, *ord. S. Benedicti, prope Appinghendam, diœceſis Groningenſis, modò ab Hæreticis occupati, anno Domini* 1617. *ex tumba, ſita*

in medio eccleſiæ dicti monaſterij , à NN. fuiſſe extractas, ac poſt obitum N. ab N. in cuſtodiam fuiſſe traditas probo & honeſto viro N. qui coram nobis, præſentibus D. Cornelio de VVitte, S. T. L. Archidiacono noſtro, R.P. Henrico vander Heyden , Priore monaſterij S. Saluatoris, huius ciuitatis Antuerpienſis, D. Laurentio Beyerlinck, S. T. L. Archipreſbytero eccleſiæ noſtræ cathedralis , & D. Franciſco vanden Zype, I.V.L. Canonico eiuſdem eccleſiæ & Officiali noſtro, ſub ſolenni iuramento declarauit ſe dictas reliquias à præfata N. accepiſſe, atque attuliſſe ad hanc ciuitatem Antuerpienſem , vt in prædicto monaſterio S. Saluatoris adſeruentur, & congruenti in honore ac veneratione habeantur. Nos pro munere noſtro libenter ijs intenti, per quæ fideles ad debitum Sanctorum cum Chriſto regnantium cultum, & earundẽ reliquiarum venerationem incitentur , approbamus dictas reliquias , eaſq́; declaramus eſſe prædicti S. Hathebrandi genuinas: ideoq́. concedimus , vt eæ tamquam ſufficienter à nobis recognitæ & probatæ, in templo antedicti monaſterij S. Saluatoris, eodem modo, vt olim in eccleſia, vnde translatæ ſunt, populo Chriſ-

lo Chriſtiano venerandæ exponantur, atq; omnibus Chriſti fidelibus, die 30. Iulij, qui eiuſdem S. Hathebrandi natalis eſt, idem templum ſingulis annis deuotè viſitantibus, ibidemq; pro felici ſtatu Eccleſiæ, Principum Chriſtianorum concordia, & hæreſum exſtirpatione pias ad Deum preces fundentibus quadraginta dies de vera Indulgentia, in forma Eccleſiæ conſueta in Domino largimur per præſentes. Datum Antuerpiæ die 17. menſis Ianuarij, an. Domini 1620.

AVGVSTVS.

S. IONATVS Abbas Marchianenſis. *Aug. 1. die.* *Marchiennes*

AMandus Traiectenſis, & Aubertus Cameracenſis, Epiſcopi, monaſterium Marchianenſe, à *S. Rictrude*, Adalbaldi Ducis Duacenſis vidua, cõſtructum, in honorem *SS.* Petri & Pauli VI. Kal. Nouembris dedicarunt. In eo cœnobio primũ monachis ad ſeruiendum Deo conſtitutis paſtor vigilantiſſimus datus eſt *Ionatus*, B. Amãdi diſci-

diſcipulus. Verùm poſteà rationi cõſentaneum viſum eſt (quoniã ſua bona B. Rictrudis huic loco conſecrarat, ibique Deo deſeruire ſtatuerat) vt ibidem & ſanctimoniales collocarentur. Quæ quidem per annos 333. vel circiter eccleſiam Marchianenſem rexerunt. Poſt Normannicam vaſtationé, *Leduinus* Abbas Vedaſtinus, petente Balduino Flandriæ Comite, monachos Benedictinos eo in loco collocauit: vt fuſiùs in Chronico ms. Marchianenſi narratur, quod & exſtat in Rubra-Valle. In ambitu chori Marchianenſis hi verſus leguntur:

Pedem viator ſiſte paulisper tuum,
Oculoſq; ſurſum flectito.
Gertrudis hanc ſuo beata corpore
Thecam decorat fulgidam.
Preclaræ Adalſendis reliquiæ virginis
Iſto quieſcunt in loco.
Corpus beati martyris Mercurij
Illic ſimul reconditur.
Pro te Creatorem rogabunt ſedulo,
Si quid precum illis offeras.

Diui Ionati corpus hic ſanctiſſimum
Reconditur, qui primus hanc rexit domum.

Cum

Cum eo poſita ſunt corpora trium virginum,
Felicitatis, Cordulæ, Victorinæ.
Clotſendis inter quas locum occupat ſacrum,
Cuius parens Rictrudis inclita extitit.
Huc Chriſtiani ferte greſſus concitos,
Eis preces imo daturi pectore:
Illi viciſſim, ſat ſcio, precibus pijs
Reddent benignum ſupplices vobis Deum.

Sanctitatis opinione clari Belgæ, ex ordine Prædicatorum.

DE his librum ſcripſit Hyacinthus Choquetius, Doctor Theologus Duacenſis, & an. 1618. ibidem publicauit. Ex quo hæc habe,

S.Thomas Aquinas an. 1243. interfuit & ſignauit viſitationem collegij Canonicorum in opido Thenenſi, tertio lapide à Louanio.

B. *Albertus Magnus*, Epiſcopus Ratiſponenſis, an. 1271. Antuerpiæ templum Dominicanorū, & Louanij an. 1276. altaria duo apud ſuos conſecrauit.

B. *Segerus Inſulenſis* an. 1236. floruit, de quo ſupra pag. 436. egimus.

B. *Ioannes Agnus*, Gandenſis, cùm ob grauiſſimam tempeſtatem nemo ex nautis ſe mari committere auderet, Deo, cui mare & venti obediunt, cũ fiducia inuocato, veſtem ſuam ſuperiorem, quam cappam vocant, ſuper aquas extendit, & ſigno crucis communitus, veluti ſuper ſolidam terram ſtetit, perque medios fluctus, vnà cũ ſocio ſuo, ex Flandria traiecit in Zutbeuelandiam inſulam, ad pagum *Elfdijck*, Gouſæ opido vicinum. Similia leguntur de S. *Mauro* Benedicti diſcipulo, & de SS. *Hyacintho* & *Raimundo*, Dominicanis. De alijs inſuper lib. 2. Apum cap. 29. Cantipratanus agit. Obijt autem B. Ioannes an. 1313.

B. *Balduinus Gandenſis*, aliàs *Axellẽſis*.

B. *Ægidius*, Audomarenſis antea Canonicus; quem Cantipratanus lib. 2. cap. 1. Leander Albertus, & Michael Pius laudant.

B. *Odo Gandenſis*: de quo idem Cantipratanus lib. citato, & Abrahamus Bzouius in Annalibus, ad an. 1240.

B. *Guinandus* Traiectenſis ad Moſam,

ſam, an. 1236. floruit: teſte Leandro lib. 5. & Antonio Senenſi.

B. *Henricus Calſtrius*, Louanienſis, de quo infra 18. Octob.

V. *Thomas Cantipratanus*, de quo 13. Maij.

B. *Seruatius* & B. *Conradus, Louanienſes*, de quibus Cantipratanus lib. 2. cap. 1.

B. *Nicolaus* & B. *Rainerus, Brugenſes*: de quibus idem Cantipratanus lib. 2. cap. 50. & cap. 10.

B. *Ioannes Sterlinus*, Valentianenſis, de quo Geraldus Lemouicenſis in Vitis Patrum ord. Prædicatorum.

BB. *Ioannes, Andreas, & Nicolaus, Harlemenſes*: de quibus Leander & Albertus Pius.

B. *Margarita Iprenſis*, de qua 20. Iulij.

B. *Alanus Rupenſis*, de quo 8. Sept.

B. *Margarita de Gerines*, Bruxellenſis, floruit in Valle Duciſſæ, prope Bruxellam: quod monaſterium Aleidis Brabantiæ Duciſſa fundauit. Margaritæ vita exſtat fuſè deſcripta per Ioannem Gilemanmum Rubræ Val-

lis Canonicum regularem in Nouali Sanctorum, quam Choquetius publicauit.

B. *Bigida Hollanda* an. 1390. floruit, Chriſti ſtigmatibus clara, teſte *Antonio Senenſi*. Inter Belgicas virgines (vt de Catharina Senenſi, & alijs exteris nihil dicam) ſtigmaticæ quoque

Ian.6. fueruut, B. *Gertrudis Oiſtenſis*, & B. *Li-*

Apr.14. *duina Schidamenſis*. De ſacrorum Stigmatum argumento vide Iuſtiniani Antiſtitij Valentini Diſputationem, Antuerpiæ an. 1611. recuſam.

Fuit & B. *Dodo Friſius*, quem Cantipratanus lib. 2. cap. 1. ſe vidiſſe narrat. Hunc nonnulli volunt fuiſſe eremitam ord. Præmonſtratenſis, & an. 1231. obijſſe.

S. ABEL Archiepiſcopus Remenſis, & Abbas Laubienſis. *Iulij* 5.

Flodoardus l.2. cap.16. BEatum Rigobertum ſecutus Abel in Epiſcopatus ordine reperitur, quamuis eum quidam Corepiſcopum tantùm fuiſſe tradant. Pontificem tamen

men illum exſtitiſſe, diuerſis inuenimus aſſertionibus, & maximè in Epiſtolis Zachariæ Papæ, ad S. Bonifaciũ directis: in quarum vna cõmemorat, indicaſſe prædictum B. Bonifaciũ ſuis literis inter cetera, quòd tres Epiſcopos per ſingulas metropolitanas vrbes ordinaſſet, id eſt *Grimonem* in ciuitate quæ dicitur Rotomagus: ſecundũ verò *Abel*, in ciuitate quæ dicitur Remorum: tertium denique *Hartbertum*, in ciuitate quæ dicitur Senonis: *Qui & apud nos* (inquiens) *fuit, & tua nobis pariter, & Carlomanni atque Pipini detulit ſcripta, per quæ ſuggeſſiſti, vt tria pallia iiſdem tribus prænominatis Metropolitanis dirigere deberemus, quod & largiti ſumus, pro adunatione & reformatione eccleſiarum Dei.* Item in alia ipſius ad eundem Epiſtola: *De Epiſcopis verò Metropolitanis, id eſt* Grimone, *quem nos iam compertum habemus,* Abel, *ſiue* Hartberto, *quos per vnamquamque metropolim per prouincias conſtituiſti, hos per tuum teſtimonium cõfirmamus, & pallia dirigimus ad eorum firmã ſtabilitatem, & Eccleſiæ Dei augmentum, vt* *ita*

Epiſt. 85
Roen.
Reims.
Sens.
Epiſt. 9. al. 4.

ita meliori proficiat ſtatu. Qualiter enim mos pallij ſit, vel quomodo fidem ſuam exponere debeant hi, qui pallij vti licentia conceduntur eis dixerimus, informantes eos, vt ſciant quid ſit pallij vſus, & ſubiectis viam prædicare ſalutis, vt Eccleſiaſtica diſciplina in eccleſijs eorum immutilatè ſeruetur, & maneat inconcuſſa: & ſacerdotium, quod in eis fuerit, non pollutum, vt antea fuit, ſed mundum & acceptum Deo eſſe poſsit, quantũ humana conditione valet: ita vt nullus reperiri poſsit ſacris deuiare canonibus, & ſacrificium mundum eorum ab eis immoletur: ita vt Deus in eorum placetur muneribus, & populis Dei purificatis mentibus, ex omni ſqualore, ſincerum exhibere valeant Chriſtianæ religionis officium. Sed & quædam chartæ ipſius Epiſcopi reperiũtur nomine titulatæ.

Cap. 13. De quo etiam Adrianus Papa in Epiſtola ad Tilpinum Archiepiſcopum, ita refert: *Sanctæ memoriæ Bonifacius Archiepiſcopus, & Legatus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & amabiliſsimus Fulradus Franciæ Archipreſbyter, tempore anteceſſorum noſtrorum Zachariæ, & Stephani ſucceſſoris illius,*

*tius, multum laborauerunt, vt bonæ memoriæ prædeceſſor noſter D. Zacharias pallium Archiepiſcopo Remenſi, A*bel *nomine, per deprecationem ſupraſcripti Bonifacij, tranſmitteret, quòd ab illo conſtitutus fuit: ſed ibi permanere permiſſus non fuit, ſed magis cõtra Deum eiectus eſt, & Remenſis eccleſia per multa tempora & per multos annos ſine Epiſcopo fuit, & res eccleſiæ de illo Epiſcopatu ablatæ ſunt, & per laicos diuiſæ ſunt, ſicut & de alijs Epiſcopatibus, maximè autẽ de Remenſi metropolitana ciuitate.* Ita Flodoardus in Hiſt. Remenſi lib. 2. c. 16.

Libet his ſubnectere, quæ in ms. Chronico ſuo Laubienſi tradit Fulcuinus Abbas Laubienſis: *Habuit B. Erminus cooperatores ſiue ſucceſſores, eiuſdem loci gubernatores, & Coabbates, ſanctum vtiq;* Abel, *Scotum genere, & S.* Vulgiſum *Epiſcopum, & Dominum A*muluinum *æquè Epiſcopum: qui vtrum ſibi viciſſim ſucceſſerint, an. S. Ermino ſpiritualibus occupato rebus, locum in communi tractauerint, nihil certi reliquit antiquitas. Non tacuit tamen locum Lobienſem eos & tenuiſſe & gubernaſſe; ſed & pro oportunitate temporum locum*

cum emelioraſſe. De Abele *quoque tale quid comperimus. Remis cùm fuiſſemus, & cum viro venerabili & illarum partium eruditiſſimo confabularemur, ab Alberone Archiepiſcopo requirentibus nobis originem eiuſdem vrbis, prolatis eiuſdem vrbis pontificalibus geſtis, pro oportunitate temporis ſatiſfecit. In quibus videlicet geſtis inuentum eſt, quòd in eadem ciuitate Abel quidem fuerit Epiſcopus, qui in eâ plura vel acquiſierit, vel ordinauerit, finis verò eius quis fuerit, ſcriptor geſtorum aut neſciuit aut omnino tacere voluit. Nos in tantis vndecumque temporum ruinis, hunc eundem Abel & noſtrum fuiſſe & Scotum & Epiſcopum, facili ratione probabimus. Sed quod ſcriptori eius incertus extitit finis, longinquitas fortè fecit itineris, & viri religioſi voluntaria priuatio, & amor patriæ cæleſtis. Dixit etiam Epiſcopus ſupramemoratus, prædeceſſorum ſuorum ductam vſque ad ſe conſuetudinem, vt inter Miſſarũ ſolennia, in ea ſpeciali commemoratione defunctorum, quæ Superdiptycha dicitur, & in conſecratione Dominici Corporis ſolenniter agitur, quotidie in aurem preſbyteri, recitãte ſilenter Subdiacono, omnium ipſius ſedis Epiſ-*

Albero obijt an. 989.

Superdiptycha commemoratio

Epiſcoporum nomina ex ſcripto viritim recitentur; ſatiſq́; mirari, quod in ea commemoratione iſte non inueniatur. Quod vt cōijcimus, idcirco actum eſt, vt ipſe vacanti ſedi iam antea Epiſcopus iuſſus ſit aliquantiſpes inſidere, aut pro amore Dei voluntaria ceſſione illum catalogum repudiaſſe. Hactenus Fulcuinus.

Notet autem hîc antiquitatis Eccleſiaſticæ ſtudioſus, *Super diptycham* defúctorum commemorationem olim ex *Diptycho* fieri ſolitam, ſiue ex tabella, in qua partim viuorum partim defunctorum nomina cōtinebātur. De Diptycho eiuſque vſu conſule Baronium in *A*nnalibus. Viſitur autem hodieque Leodici, in D. Lāberti ſacrario, Diptychon, ſiue tabella plicatilis, ex ebore confecta, in qua pænè exeſa Epiſcoporum illius vrbis nomina etiamnum leguntur. *Diptychon.* *An.* 407

Fuit autem *A*bel B. *Bonifacio* Moguntino *A*rchiepiſcopo familiariſſimus; pro quo idem Bonifacius palliū *A*rchiepiſcopale à *Zacharia* Pōt. Max. petijt; vt ex citatis Zachariæ litteris

patet,

patet, quas Othlonus in vita Bonifacij lib. 2. cap. 11. recitat. Idem *Abel*
Vide pag. 280. Liptinenſi an. 743. & Moguntinæ an. 745. Synodis, ab eodem Bonifacio celebratis, interfuit. Sunt autem *Lip-*
Leſtines *tinæ* ſeu *Liſtinæ* ſitæ haut procul à cœnobio Laubienſi, ignobilis nunc Hānoniæ pagus, palatium olim Regium, quod per Normannos euerſum puto.

S. OSVALDVS Angliæ Rex & martyr. *Martyrol. Rom.*

RES eius geſtas Beda lib. 3. Hiſt. *Angl.* cap. 6. proſequitur. Eiuſdem oſſa an. 1221. ab *Adamo* Morinorum Epiſcopo ad Bergenſe S. Winoci monaſterium ſunt tranſlata. Vide ſupra 22. Iulij.

B. Theodoricus, & *B. Ioannes*, Cameracenſes Epiſcopi.

HAlitchario (qui à Ludouico Pio Imp. Conſtantinopolim miſſus, SS. *Ste-*

SS. *Stephani, Coſmæ, Anthimi* Nicomedienſis Epiſcopi, & *Theodori* martyris pignora indè Cameracum ad baſilicam cathedralem attulit) ſucceſſit B. *Theodericus*. Is poſt Danorum vaſtationem S. *Vedaſti* corpus an. 852. inuenit, Sueſſionenſi ſynodo, per *Hincmarum* Remenſem Archiepiſcopum indictæ, an. proximè ſequenti interfuit, ac demum Nonis Auguſti an. 863. diem clauſit, in S. Auberti monaſterio ſepultus. Sed temporibus Othonis I. Cæſaris, ſub Fulberto eiuſdem ſedis Epiſcopo, Magdeburgum in Germaniam eſt tranſlatus.

Poſt triemium, hoc eſt, an. 866. ſucceſſit B. *Ioannes*, & an. 878. die 15. Aug. deceſſit: ad cuius ſepulcrum, in S. Crucis baſilica Cameracenſi, nonnulla patrata probantur miracula, & diuerſis ægritudinibus occupati optata ſoſpitate ſunt donati. Sic ferè Baldericus lib. 1. cap. 41. & ſeqq. in Chronico Cameracenſi.

Nonis Auguſti an. 1298. quoque obijt *Georgius* cognomēto *Iuſtus*, panni linei *Georgius Iuſtus.*

Gg

Bier-vliet. linci mercator, Birfliti, quod eſt Flandriæ opidum mari circundatum.

B. *Scetzelo* confeſſor. *Aug.6. die.*

SCetzelo, qui & Giſiſlenus, olim quieuit in templo Abbatiæ Munſterienſis in agro Luxemburgenſi: de quo vide librum ms. de origine & viris illuſtribus ord. Ciſtercienſis, & Molanum hoc loco.

S. VICTRICIVS Rotomagenſis Epiſcopus. *Martyrol. Rom.* *Aug. 7. die.*

VIctricius adhuc miles, ſub Iuliano Imperatore, pro Chriſto abijciens cingulum, à Tribuno multis tormẽtis afficitur, & capitis damnatur: ſed carnifice, qui ad eum cædendum miſſus fuerat, cæcitate percuſſo, ipſe vinculis ſolutis liber euaſit. Poſtea Epiſcopus Rotomagi factus, Morinorum & Neruiorum gentes indomitas verbi prædicatione ad fidẽ Chriſti perduxit,

& de-

& demum confeſſor in pace quieuit. Ita legitur in Martyrologij Romani tabulis. Neruios hodie Tornacenſes eſſe, Morinos autem fuiſſe Teruanenſes (quorum vrbs Epiſcopalis an. 1553. funditus exciſa) nemo antiquitatis Belgicæ vel mediocriter peritus ignorat.

Ceterùm S. Victricij egregia facinora deſcribit *S. Paulinus* Nolanus Epiſcopus, epiſt. 26. ad ipſum ſcripta; ad quem & epiſtolam 25. dedit. Ad hunc ipſum *Innocentius* Pont. Max. ſcripſit *An.* 404 inſignem iſtam epiſtolam Decretalem, *Baron.* ordine ſecundam; quam Nouatores hodie imperitè & malignè carpunt.

S. DONATVS Archiepiſcopus XXV. Biſontinus, eiuſque ſucceſſores BB. *Migetius*, *Ternatius*, *Geruaſius*, *Gedeon* & *Hugo*. *Aug. 7. die.*

DOnatus concilio *Remenſi* interfuit circa annum Chriſti ſexcenteſimũ triceſimum quartum, & *Cabilonenſi* cir-

ca an. ſexcenteſimum ſexageſimum, aut ſexageſimum ſecundum. Natus eſt autem Veſontione, parentibus admodum nobilibus, qui ad S. *Columbanum*, Luxouij tunc agentem ſe contulerũt, rogantes vt pro ipſis Dominum deprecaretur, ad habendam ſobolem: vt Ionas cap. 13. vitæ S. Columbani narrat, quam, vt ipſemet teſtatur, ſuperſtite adhuc Donato, ſcripſit. Obijt verò S. *Donatus* circa annum ſexcenteſimum ſexageſimum primũ, aut proximè ſequentes, depoſitus in S. *Pauli* baſilica, quam ipſe conſtruxerat. Eſtque illi dicatus ac feſtus dies 7. Auguſti, in diœceſi Biſontina.

B. MIGETIVS, ſub S. Donati diſciplina educatus, incruentum Miſſæ ſacrificium quotidie offerre ſolebat, & officia eccleſiaſtica permulta inſtituit, iuſtis in eam rẽ collatis vectigalibus. Depoſitus iacet in eccleſia S. Pauli, cum magiſtro ſuo.

B. TERNATIVS ſcripſit Chronicon Biſontinorum Antiſtitum, incipiens à *B. Lino* (qui fuit primus Epiſcopus, Roma

ma miſſus à S. Petro Apoſtolo) & pertingens vſque ad *Migetium* prædeceſſorem ſuum. Idem Ternatius eccleſiā *SS. Petro & Marcellino* ædificauit in cāpo Martio, vbi nūc eſt Abbatia S. Vincentij monachorum *B*enedictinorum, intra muros *B*iſontinos.

B. GERVASIVS Ternatij frater ac ſucceſſor fuit, omnibus carus, ob vitæ innocentiam.

B. GEDEON Archiepiſcopus XXXVI. floruit an. ſeptingenteſimo ſeptuageſimo tertio.

S. FAMIANVS, ord. Ciſtercienſis, patronus Galeſij in Italia. *Aug.* 8.

FAmianus, antea Quuardus dictus, *C*oloniæ Agrippinæ, *Gothſcalco* patre, matre *Guimera* natus, adoleſcens officia pietatis colere cœpit, ſuiſque facultatibus in vſus pauperum erogatis, relicta patria, Romam venit, vt loco ſancta viſitaret. Per Italiæ loca pia ſexennio peregrinatus, *C*ompoſtellam in Hiſpaniam ad S. Iacobi Apoſ-

toli corpus viſendum, contendit. Inde in Syriam profectus, ſepulcrum D.N.I.C. aliaque Palæſtinę loca ſūmo deuotionis affectu perluſtrauit. Factus deinde ord. Ciſtercienſis eremita, in Gallęcia triennio in aſſidua carnis maceratione permanſit, & in monaſterio SS. Coſmæ & Damiani annos XXV. vitam herbis, pane, & aqua trāſegit: donec factus monachus eiuſdem ordinis, tandem ſacerdos ordinatus eſt. Nec multò pòſt Romā iterum veniens, Eugenio III. Pontifice Maximo, Galeſij ſubſtitit, fontemque in æſtate, primo aduentu ſuo, ex ſilice virga percuſſo, mirabiliter eduxit; qui in hodiernum vſque diem perſeuerans febricantibus prodeſſe ſolet. Galeſij vix 25. dies commoratus, in morbum incidit; ex quo cùm ſibi decedendum eſſe intelligeret, loco vbi humani vellet indicato, an. ſalutis 1150. ætatis verò ſexageſimo obdormiuit. Quem miraculis clarum Hadrianus IV. Pont. Max. pòſt in SS. numerum retuliſſe fertur. Exſtat ec-

cleſia Galeſij eius nomini dicata, ad quam fit quotannis menſe Auguſto innumerabiliũ hominum confluxus. Ita ferè Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ.

Eſt autem Galeſium opidum Faliſcorum, inter Feſcenniam & Hortanum, quod Faliſca veteribus fuiſſe putatur. De fonte S. Famiani ita Iulius Roſcius Hortinus:

Quas ſitiens muſcoſo hauris ſub fornice, duxit
Marmoris è venis hus Famianus aquas.
Sic olim Hebræus populus miracula Moſis
Obſtupuit, fontem quem dedit illa ſilex.
Ergo nouo meritò iactent ſe Moſe Faliſci,
Quos alit Hortinus, quoſq; Amerinus ager.

S. LAVRENTIVS martyr. *Aug.* 10. *die.*

HEraclius Leodicenſis Epiſcopus, poſt fundata ac dotata *SS. Pauli* & *Martini* Canonicorum collegia, monaſterij Laurentiani, in monte publico, prope muros vrbis, fundaméta an. 970. poſuit; quod poſtea *VVolbodo* & *Reginardus* Epiſcopi perfecerunt. Hîc adſeruantur oſſa notabilia *S.* Laurétij, *Alberto Cuquenſi* Epiſcopo data à *Cæleſtino III.* Papa, & aliæ *SS.* reliquiæ.

Auguſti 11.*die*. *Martyrol. Rom.*

S.Gery. S.GAVGERICVS Cameracenſis Epiſcopus.

Iuois. NAtus eſt in Iuodio, Ducatus Luxemburgenſis opido, quod *Euoſium villam pulcherrimam* Baldericus lib. 3. cap. 37. in Chron. Cameracenſi nuncupat. Is in vertice montis (vbi nunc arx Cameracenſis, à Carolo V. Imperatore exſtructa viſitur) baſilicam in
*Iun.*8. honorem S. *Medardi* Nouiomenſis Epiſcopi conſtruxit. Cùmque poſt 39. Epiſcopij annum Deus ipſum ad remunerationem vocaſſet in eadem baſilica vt ante deſtinauerat, honorificè eſt tumulatus. Mox igitur Reges & Principes, ac potentiſſimi quique, ſignis & prodigijs, quibus ante obitum multifariè coruſcauerat, excitati, ac multò amplioribus, quæ per eius merita Dominus poſt obitum indeſinenter operari dignatus eſt, attoniti, ad ſanctiſſimi viri ſepulcrum diuerſis ex par-

partibus confluxerunt, & opulentiſſima munera obtulerunt. Statimque ex affluentia rerum, monaſterium eſt ampliatum, & fratrum numeroſa cohors in perpetuum delegata. In eius quoque memoriam ac venerationem frequentiores baſilicæ, in regionibus tam propè quàm longè poſitis, ſunt conſtructæ. Sic ferè idem Baldericus lib. 2. cap. 4.

Monaſterium iſtud, in honorem S. *Medardi* à *S. Gaugerico* conſtructum, eſt hodie XL. Canonicorum collegium, S. Gaugerici nomine & lipſanis nobile, quod in dicti montis vertice ſedem ac domicilium habuit vſque ad annum 1540. quo Carolus V. Cæſar eo loci, contra Francorum incurſiones, arcem excitandam curauit. Quo tempore Canonici Gaugericiani migrarunt ad Cameracenſem *S.* Vedaſti baſilicam parochialem, quæ nunc S. Gaugerici nominatur.

Huius ſanctiſſimi Præſulis memoriæ plurima, eaque vetuſtiſſima, paſſim templa dicata viſuntur, vt *Bruxel-*

læ, *Atrebati*, *Valentianis*, *Braniæ Comitis*, *Haltris* prope Aloſtum, & alibi. Hal-
Haeltert. tris quidem fuit olim collegium Canonicorum, ab *Ingelberto*, nobili viro, circa an. 1046. ſub tutela *S.* Gaugerici fundatum: quod inde circa an. 1498. Aloſtũ Flandriæ Imperialis opidum, ad ædem *S.* Martini parochialem eſt tranſlatum. Medardus porrò an. 556. Gaugericus autem an. 594. viuere deſijt: vt Coluenerius in ſuis ad Baldericum Notis ſupputat.

S. WIGBERTVS martyr, Friſonum Apoſtolus. *Aug.* 13. *die.*

CIrca an. 690. biennio nempe ante aduentum S. Willibrordi & ſo-
Apr. 24. ciorum eius in Friſiam, *B. Egbertus* presbyter, natione *Anglo-Saxo*, eremiticam in *Iona* inſula vitam ducens, cum ſodalibus aliquot, prædicandi Euangelij cauſſa, in Germaniam traijcere conſtituit. Sed monitis diuinis & tempeſtate ipſe prohibitus, ex ſocijs ſuis *B. VVigbertum* nauim conſcendere iuſſit;

iuſſit; qui in Friſiam veniens, annis duobus genti Friſonum, & *Radbodo* eorum Regi, verbum ſalutis prædicauit. Cuius quidē iuſſu poſtea in *Foſtelandia* inſula eſt iugulatus.

S. Wigbertvs Confeſſor.
Martyrol. Rom. Aug. die. 13.

IN Martyrologio Romano ſic legitur: *Idibus Auguſti, in Germania S. VVigberti preſbyteri & confeſſoris.* Deſignatur hîc, niſi fallor, *S. VVigbertus* ſeu *VVigberchtus*, Abbas I. Fritiſlarienſis à *S.* Bonifacio Germanorū Apoſtolo conſtitutus; cuius reliquias inde poſtea ad Hirsfeldenſe apud Haſſos monaſterium *Lupus*, Bonifacij in Archiepiſcopatu ſucceſſor, tranſtulit. Cuius item honori ac nomini eccleſiam in Hirsfeldia ſeu Hertsfeldia an. 850. *Rabanus Maurus*, itidem Archiepiſcopus, dedicauit. Vitā eius ſcripſit *Lupus Seruatus*, Rabani æuo, quam Buſæus, Soc. Ieſu Theologus, edendam curauit, cū Hinçmari Epiſtolis. V. *Ioan-*

Vide pag. 220.

V. *Ioannes Berchmannus*, ex Socie-
tate Ieſu.

Dieſt. NAtus eſt Diſtemij in Brabantia, primo lapide à Colle-Aſpero, Deiparę cultu miraculiſque celebri. Obijt autem Romæ an. 1621. magna innocentiæ ac ſanctitatis fama, annum agens ſecundum & viceſimum. Solitus eſt dicere, *Tria mihi ſunt cariſſima*, videlicet Chriſtus crucifixus, Roſarium Deiparæ, & Regula Soc. Ieſu: *cum his libentur moriar*.

Menſe proximè ſequenti anni eiuſdem, Romæ pariter obijt, ingenti *Rob. Bellarminus.* ſanctitatis opinione, Robertus Bellarminus, S.R.E. Cardinalis, in Mõte Politiano (quæ vrbs eſt Etruriæ) ex *Marcelli II.* Pont. Max. cognomento *Ceruini*, ſorore natus: qui annis multis Louanij Theologiam explicauit, & Latinè concionando, qua erat eloquentia, dictrina, ac pietate, omnes ſibi Belgas, vt editis poſtea *Controuerſiarum* libris, aduerſus æui noſtri Sectarios,

tarios, vniuerſos Catholicè aç Romanè ſentientes ſibi obſtrinxit.

S. WERENFRIDVS presbyter.
Aug. 14. *die.*

CVm S. Willibrordo ex Anglia Vltraiectum venit, & *Medemblicæ, Duroſtadij, Elſtæ*, & alibi apud Batauos Chriſti doctrinam ſparſit. Sepultus eſt Elſtæ, qui pagus eſt Batauiæ, medio *Elſt.* ferè itinere inter Arnhemium & Neomagum, primarias hodie Ducatus *Betuvve* Geldriæ vrbes. Hunc pagum *Carolus Martellus* S. Willibrordo donauerat, vt apud Guil. Hedam legitur. Solet autem ibi quieſcere in collegiata Canonicorum ſui nominis baſilica, & duplici Feſto coli, iuxta vſum Eccleſiæ Vltraiectenſis. Sacra eius oſſa è terra per Baldricum Epiſcopum Vltraiectinum leuata fuiſſe lego.

S. ARNVL-

S. ARNVLPHVS Epiſcopus Sueſſionenſis. *Martyrol. Rom. Aug.* 15.*die.*

Oudenburg. ALdenburgum, vt in archiuis Latinis vetuſtioribus ſcribitur, ſiue Audenburgum, Flandriæ opidum, tertio milliari ab Oſtenda, antiquitatem ipſo nomine præfert. Olim primariæ notæ opidum in Flãdria exſtitiſſe, & à *Balduino Caluo* Comite Brugẽſe Burgum an. 865. lapidibus cinctũ fuiſſe, ex Aldenburgi ruderibus, Hunnicæ ſub Attila ſęuitiæ teſtibus, pro comperto habetur. Abbatiam hîc monachorum Benedictinorum an. 1084. S. *A*rnulphus *S*ueſſionenſis in Gallia Epiſcopus inſtituit, *Roberto Friſio* Comite, & *Radbodo* Tornacenſi Epiſcopo, approbantibus. Obijt ibidẽ an. 1087. multis clarus miraculis: quibus motus *Lambertus* ibidem Epiſcopus, cum licentia *Cononis* Legati *A*poſtolici, & auctoritate Concilij Bellouacenſis, quod miracula examinauerat, corpus ſacrum an. 1121. è terra leuauit, iuxta

ta morem Eccleſiæ Gallicanæ. Vitam eius fusè ſcripſit *Liſiardus*, tertius in Epiſcopatu ſucceſſor, à Surio editus. De S. *Arnulfo Metenſi*, & S. *Arnulfo Sueſſionenſi*, Epiſcopis, vide ſupra 18. Iulij.

S. IERO ſeu Hiero, presbyter & martyr. *Aug.* 17. *die.*

FVit is genere Scotūs, & per Hollādiam multos à diuerſis erroribus liberauit. Danis ac Normannis ſæuientibus, *Nordouici* ab impijs capite plexus eſt. Corpus inde Egmundam (qui pagus eſt Hollandiæ in diœceſi Harlemenſi, Comitatus titulo clarus) ad S. Adalberti Abbatiam Benedictinorū, per *Theodoricum II.* Comitem, eſt tranſlatum. *Nordvvijck. Egmont.*

Carolomannus, ex Auſtraſiæ Principe monachus Caſſinenſis.

ANno 741. Carolo Martello è viuis ſublato, filij eius *Pipinus* & *Carolomannus*

lomannus, tanquam Maiores domus regiæ, vniuerſi Francorum regni adminiſtrationem ſuſceperunt. Carlomannus an. 743. per S. *Bonifacium* Moguntinum, *Abelem* Remenſem, *Grimonem* Rotomagenſem, & *Hartbertum* Senonenſem, Archiepiſcopos, *Liptinis* in Hannonia Synodum celebrandam curauit. Eidem Bonifacio locū dedit, in ſilua Buchonia, ad Fuldam amnem, monaſterio exſtruendo. Relicto Auſtraſiæ principatu, anno 747. Romam profectus, monachum induit in mōte Caſſino. Anno 753. ex eodem monte, ad *Pipinum* fratrem, tunc Regem, tranſijt in Galliam, ab *Aiſtulpho* Longobardorum Rege coactus: ac demū an. 755. Viennæ pijſſimè obijt.

S. HELENA Imperatrix.
Martyrol. Rom. Aug. 18. *die.*

Santen. pag. 287. SAnctis in Cliuia, collegium Canonicorum, in honorē S. Victoris, & aliorum CCCXXX. martyrum Thebçæ legionis, eo loci pro Chriſto occi-

occiſorum, inſtituit: vt Stephanus Pighius, Canonicus Sanctenſis, in Hercule Prodicio commemorat.

S. BERNARDVS Abbas Claræ-Vallis.
Martyrol. Rom. Aug. 20. die.

NAtus eſt *Fontanis* in Ducatu Burgundiæ: & in domo eius natali, annis ſuperioribus, monachi Ciſtertienſes, ex reformata Congregatione Fulienſi, monaſterium excitarunt. Cùm iuſſu *Eugenij III.* Papæ, ſui olim diſcipuli, Cruciatam contra Saracenos expeditionem apud Belgas prædicaret, datus eſt illi locus in Brabantia *Villarienſis*, ad monaſterium ſui ordinis excitandum: quo fine eò monachos XII. cum *Laurentio* Abbate, an. 1146. tranſmiſit. Villarium poſtea duas, vt nuncupant, filias genuit, *Locum S. Bernardi*, ad Scaldim, prope Antuerpiam, & *Grande-Pratum* in Comitatu Namurcenſi. Eiſdem ferè temporibus *Cameronenſe* in Hannonia, Dunenſe in Flandria, *Claromariſcenſe* in Arteſia, *Valliſ-*

Villers. *S. Bernarts.* *Grand Prè.* *Cābron.* *Duynen.* *Clermarez.*

Vaux-celles. *Valliſ-cellenſe* in agro Cameracenſi, & alia alibi inſtituti eiuſdem cœnobia ſunt excitata: vt in Chronico noſtro *C*iſtercienſi prolixè explicauimus. De Miraculis Cameraci, Leodici, Fontanis, & alibi per S. *B*ernardum patratis, ſcriptores vitæ illius conſule. Obijt an. 1153. Diuis per Alexandrum III. adſcriptus.

V. GOBERTVS, & alij monachi Villarienſes, ſanctitatis opinione clari.

Cātipr. l.2.c.26. GOBERTVS, Comes Aſperi-Montis, relicta ſeculari militia, Ciſtercienſe inſtitutum in Villario *B*rabantię cœnobio amplexus eſt. Frater illi fuit natu grandior *Ioannes*, primùm Virdunenſis, pòſt Metenſis Epiſco-
1263. pus. Obijt Gobertus an. 1263. in feſto S. *B*ernardi, in Villario honorificè conditus. Exſtatque ibidem vita eius libris tribus conſcripta.

V. CONRADVS IX. Abbas Villarienſis, Eginonis Seinenſis Comitis filius, pòſt

pòſt Clareuallenſis ac Ciſtercienſis Abbas, demum S. R. E. Cardinalis & Legatus Apoſtolicus per Germaniam creatus, an. 1225. Synodum ibidem celebrauit, quæ exſtat in tomis Conciliorum. De eodem Th. Cantipratanus lib. 1. Apum cap. 9. agit.

V. FRANCO, nobili Equitum Arkénenſium genere in Brabantia natus, cruce ſignatus, cum filio vtroque, in Syria contra Soldanum fortiter bella geſtit. Vterque filius in Syria occubuit; ipſe in Belgicam redux, monaſticen in Villario amplexus eſt; vbi & vita eius legitur rythmicè conſcripta.

V. GODEFRIDVS, Colonię primùm Benedictinus, pòſt Ciſtertienſis in Villario monachus & Sacriſta, circa an. 1170. floruit. Quieſcit in Villario, 1170.
vbi & vita eius adſeruatur manuſcripta. Cæſarius narrat, *illius oſſa ſuo æuo per reuelationem eſſe leuata, & in ſacrario poſita pro reliquijs.*

WALTERVM, patria Traiectenſem idem Cantipratanus lib. 2. Apum cap. 26. laudat.

V. ABVNDVS, patria Huienſis, circa an. 1220. vixit, prophetico ſpiritu & miraculis clarus. Vita eius exſtat manuſcripta in Rubra Vallè apud Bruxellam. De his & alijs plura ſi voles, Chronicon noſtrum Ciſtercienſe peruolue.

S. AVTOR Epiſcopus Treuerenſis.

HElmuuershuſenſe ſeu Helmvvardeſhuſenſe monaſterium, ord. *S.* Benedicti, in diœceſi Paderbornenſi ſitum, Abbatijs Imperialibus annumerátum, verſus Orientem, in finibus diœceſis, haut procul abeſt à Viſurgi flumine & territorio *B*runſuicenſi, à quo iam captiuum tenetur. Tranſlatæ huc olim, *Brunone* Treuerorum Archiepiſcopo, S. *Antoris* & aliorum Sãctorum præſtantes reliquiæ à *Thietmaro* Abbate Helmvvardeshuſenſi: vt in Scholijs ad vitam B. Meinuuerci, Epiſcopi Paderbornenſis, tradit Chriſtophorus Brouuerus, Soc. Ieſu Theologus.

B. *Bur-*

B. *Burchardus* Epiſcopus Wormatienſis. *vvorms*

LAubijs, in diœceſi Cameracenſi, monachus Benedictinus cū eſſet, magiſtrum habuit *Olbertum*, pòſt quartum in Brabantia Abbatem Gemblacenſem. Quo collaborante (vt Sigebertus ad an. 1008. ſcribit) magnum illud Canonum volumen edidit. *Iuoni* itaque, *Gratiano* & alij ſuis ſequacibus, viam ipſe aperuit, & velut lampada prætulit. Obijt an. 1025. Wormatienſis in Germania ad Rhenum Antiſtes.

V. *Gerardus* cognomento *Magnus*, Fratrum ſeu Clericorum vitæ communis inſtitutor.

GErardus Magnus, *Dauentriæ* ad Iſalam fl. in Germania noſtra inferiore natus, adoleſcens Pariſijs apud Sorbonicos ſacris litteris operam dedit. Inde in patriam reuerſus, cùm eſſet Vltraiectinus & Aquiſgranenſis *Deuẽter*

Canonicus, opimis hiſce ſacerdotijs ſeſe abdicauit, totumque ſe Deo ac proximorum ſaluti procurandæ impendit. Suis itaque ſtipendijs Deo militans, accepta à *Florentio*, Vltraiectenſi Epiſcopo, auctoritate per vniuerſam diœceſim prædicãdi, Vltraiecti, Dauentriæ, Sutphaniæ, Suollis, Campis, Amersfordiæ, Amſtelodami, Harlemi, Gaudæ, Leidæ, Delfis, & alibi verbum Dei, magno animorum fructu, annuntiauit. Exinde *Clericos* ſeu *Fratres vitæ communis* inſtituit, qui Ordinarijs ſeu diœceſanis Epiſcopis ſuberant, & ſcholas litterarias, inſtituendæ iuuentuti, aperiebant. Habuerunt ij celeberrima olim gymnaſia, in his *Dauentrienſe, Vltraiectinum, Groningenſe, Suollenſe, Druſoburgenſe, Gaudanum, Bruxellenſe, Siluiducenſe, Machlinienſe, Gandenſe, Gerardimontenſe, Nouiomagenſe, Cameracenſe, Leodicenſe, Colonienſe, Embricenſe, Veſalienſe*, & alia alibi. Gerardus porrò Magnus anno 1384. obijt; vitamque eius fusè ſcripſit Thomas Kempenſis, & Ioannes Buſchius,

Buſchius, in Chronico Windeſimẽſi, an. 1621. Antuerpiæ edito : ad quos Lectorem remitto.

Ipſius exemplo, noſtra patrumque memoria, *S. Ignatius Loiola*, Soc. Ieſu conditor, ſcholas per vniuerſum orbẽ, magno Eccleſiæ bono, inſtituit; *S. Philippus Nerius* Congregationem presbyterorum Oratorij in Italia, & *Petrus Berulius* in Gallia excitauit.

S. MAVRVS, martyr Remenſis, quieſcit Florinis. *Martyr. Rom. Aug. 22.*

ARnulfus Ruminiacus, in opido ſuo Florinenſi (quod eſt ditionis Leodicenſis) eccleſiam parochialẽ & collegiatam Canonicorũ *S. Gengulfi* martyris conſtruxit. Eius filij *Godefridus* & *Gerardus* ibidem monaſterium in honorem *S. Ioannis Baptiſtæ* condiderunt. Ex his *Gerardus* primùm Canonicus fuit Remenſis, & *Henrici* Imp. Capellanus, pòſt Cameracenſis Epiſcopus eo nomine primus. Ante Epiſcopatũ idem Gerardus corpus *S. Mauri* (qui *Florẽne.* *Maij* 11

Flod. l.1.c.4. cum ſocijs quinquaginta Remis, imperante Nerone, martyrium fecit) ab *Arnulfo* Remenſi *A*rchiepiſcopo impetrauit, & Florinas attulit. Vt datur intelligi ex litteris, quas idem *A*rnulfus ad *Baldricum* Leodicenſem Epiſcopum ſcripſit : *Fecimus*, inquit, *cum proximo noſtro Gerardo, Arnulfi filio, quod caritas monet; & conuicti eius precibus, pro voto petitionis, contulimus talentum pretioſiſſimi ponderis, corpus Deo digniſſimi preſbyteri & martyris Mauri: qui ab Apoſtolis veniens, Remenſis nouiter fundatæ eccleſiæ columna fuit. Et tantò libentiùs id fieri decreuimus, quantò Notgeri anteceſſoris veſtri, ſanctæ memoriæ, ergà huiuſmodi rem beneuolentiam nouimus: & quod eò ampliùs locus Florinenſis, Deo donante, augebitur, ſicut oculis ipſi comprobauimus. Veſtro igitur conſilio & adiutorio, honorificè in veſtro ſuſcipiatur Epiſcopio, & hunc apud iuſtum Iudicem patronum habeatis & defenſorem. Ceterùm ne ſedes Epiſcopalis patrocinio tanti fruſtretur patroni, caput prædicti martyris, in eburnea theca reconditum, reſeruauimus. Pro quo aliud eorum, qui cum eo paſſi ſunt, mittere*

tere dignum duximus, Timothei videlicet: eius enim expreſſa fit mentio in Officio eccleſiaſtico Abbatiæ Florinenſis.

S. AVDOENVS Rotomagenſis Epiſcopus. *Martyr. Rom. Aug. 24. die.*

AVdoënus anno 677. in Domino obdormiuit, vt *A*cta eius, quæ apud Surium leguntur, diſertè teſtantur. Quibus conſentiunt Acta *S. Anſberti*, illius in Epiſcopatu ſucceſſoris, ab Angrado monacho cõſcripta. Corrigendi itaque Sigebertus, qui ad an. 690. & Ado Viennenſis, qui ad annũ 696. obitum eius referunt. Scripſit *A*udoënus vitam *S. Eligÿ* Nouioměſis ac Tornacenſis Epiſcopi, Flandrorum Apoſtoli. *Dec. 1.*

B. *Theodoricus* Abbas Andainenſis.

ANno ætatis decimo *Laubÿs* monachus factus, pòſt Andainenſis ad S. Hubertum in Arduenna *A*bbas,

ibidem anno Chriſti 1084. ætatis 80, multis virtutibus & ſignis clarus, obdormiuit.

B. *Sandradus Abbas* Gladbacenſis.

GEro *Archiepiſcopus* Coloniēſis, in honorem S. *Viti*, monaſterium
Glad-bach. *Gladbacenſe*, eiuſdem nominis opido incluſum, exſtruxit: cui primum *Abbatem* Sandradum, ex S. Maximini cœnobio Treuerenſi euocatum, præfecit.

S. GREGORIVS Epiſcopus III. Vltraiectinus.

Martyrol. Rom. Aug. 25. die.

IS perilluſtri Francorum genere natus, S. Bonifacij Mogūtini Archiepiſcopi diſcipulus & S. Lutgeri I. Monaſterienſis Epiſcopi magiſter, ſeptuagenarius an. 785. vel 786. ad Dominū migrauit, Vltraiecti ad D. Saluatoris conditus. Huius vitam litteris cōſignauit idem Lutgerus, quam Fuldæ ms. exſtare

exſtare Nic. Serarius lib. 3. Rerum Moguntinarum cõmemorat,& Chriſtophorus Brouuerus poſtea cum Notis an. 1616. Moguntiæ publicauit. Ceterùm à morte B. Bonifacij vſque ad annum Chriſti 1112. Vltraiectini Præſules infula ſeu mitra epiſcopali non ſunt vſi; Colonienſibus Epiſcopis id apud Rom. Pontifices procurãtibus. Quibus de rebus Ioannem Gerbrandum Leidanum in Hiſtoria Vltraiectina & Hollandica cõſule. Gregorius porrò patrem habuit *Albricum*, auiam verò *Adelam*, Dagoberti Francorum Regis filiam: vt ex Palatiolanæ eccleſiæ monumentis idem Brouuerus collegit.

S. EVSEBIVS martyr, Romæ paſſus ſub Commodo Imperatore.
Martyrol. Rom. eod. die.

HVius celeberrimi martyris corpus Roma an. 865. *Prumiam* (quæ eſt Benedictinorum Abbatia, diœceſis Treuerenſis, in ſilua Arduenna) & inde

an. 1467.

an. 1467. *Arnhemium*, Ducatus Geldriæ metropolim eſt tranſlatum: vbi quieſcere ſolet in ſui nominis baſilica parochiali, quæ Prumienſibus ſubeſt.

S. LVDOVICVS Rex Galliæ.
Mar.yrol. Rom.

IDem & Dominus Arteſiæ fuit, quæ (vt Comitatus Flandriæ olim portio) ipſi obtigerat, ratione auiæ *Eliſabethæ.* Fuerat ea *Philippi Alſatij*, Flādriæ & Hannoniæ Comitis, filia. Idem *S.* Ludouicus *Arteſiam Roberto* fratri ſuo germano, iuxta teſtamenti paterni tabulas, an. 1237. tradidit ac cōſignauit. Diploma exſtat apud Florentiū Haræum, Theſaurarium & Canonicum Inſulenſem lib. 1. cap. 4. de Caſtellanis Inſulenſibus in Flandria. Obijt autem Ludouicus an. 1270. Diuis adſcriptus per Bonifacium VIII. Papam: cuius diploma recitat Bongarſius in volumine De geſtis Dei per Francos.

S. EL-

S. ELMERVS patronus Molhanienſis.

MOlhaniæ, in finibus diœceſis Leodicenſis, ſecundo lapide à Giueto opido, nec procul à Mariæburgo, eſt Canonicorum collegium, quod patronum agnoſcit S. Elmerum Epiſcopum ac confeſſorem: cuius ibidem oſſa ſolent adſeruari. Cuias fuerit, aut quando vixerit, nondum comperi.

S. HERMES martyr, Rotnacenſium in Flandria patronus. *Ronſen. Renays.*
Martyrol. Rom. Aug. 28. *die.*

ANno 132. Romæ S. *Hermes*, Vrbi Præfectus, martyrio coronatur: cuius hiſtoria fusè narratur ab Adone Archiepiſcopo Viennenſi, hoc die.

An. 829. corpus S. Hermetis Romæ ſub *Gregorio IV.* & *Ludouico Pio* Imp. inuenitur, & in baſilicam S. Marci tranſfertur. Eodem tempore Articulus S. Hermetis Roma in Galliam transfertur:

tur: teſte Eginhardo in vita Caroli Magni.

S. Cornelii Műſter. An. 851. eiuſdem corpus Roma Indam (quod nunc eſt monaſterium Benedictinorum, *S.* Cornelio ſacrum, prope Aquaſ-Grani, in diœceſi Colonienſi) transfertur, per *Lotharium* Imperatorem, Ludouici Pij filium, qui poſtea monachus in Prumia, apud Treueros, obijt.

An. 860. die 6. Iulij *S.* Hermetis corpus Inda Rotnacum, ad baſilicam Canonicorum, à *S. Amando* Traiectenſi Epiſcopo fundatam, eſt tranſlatũ, per *Ludouicum* Imperatorẽ, Lotharij Imp. iam nominati filium: qui & reliquias *SS. Cornelij* Papæ, *Cypriani* Epiſcopi Carthaginienſis, & *S. Cæleſtini* apud Rotnacenſes depoſuit: ampla dote addita. Adeò vt alter poſt *S.* Amandum eccleſiæ Rotnacenſis fundator *Ludouicus* Imp. à Rotnacenſibus habeatur.

Circa an. 940. Danis Belgicam vaſtantibus, ſub *Othone* Imperatore, *S.* Hermetis corpus Indam eſt relatum, & inde Coloniam. Rebus poſtea ſedatis,

agente

agente *Fulberto* Cameracenſi Epiſcopo contra Indenſes, qui *S.* Hermetē ſibi vindicare conabantur, eiuſdem martyris oſſa Rotnacū ſunt reuecta. Pro quo beneficio Rotnacenſes dederunt Eccleſiæ Cameracenſi villam *Neuenhouiam*, inter Gerardi-Montem & Ninouiam in Flandria ſitam: vt Baldericus lib. 1. cap. 75. in Chronico Cameracenſi commemorat. *Nieuvvenhouen.*

An. 1089. S. Hermetis reliquiæ ſūt collocatæ in nouo feretro argēteo, per *Gerardum II.* Cameracenſem Epiſcopū, additis his verſibus:

Papa, puer, nutrix, orat, vita datur, affert,
Hæc videt, hic viuit. ſtupet Hermes. fōte nouatur
Fax Hermem Papa ſociat, Chriſtoq; Quirinum,
Facta reis pœna ſaluat, ſanatq; catena. (adſtat,
Hic trahit, ille necat, viuit Hermes, Angelus
Confortata Deo pars redditur, altera terra.

Quibus verſibus, pro ſæculi barbarie rudioribus, vita & martyrium Hermetis breuiter exprimitur.

An. 1129. XVI. Kal. Octobris, nouum templum Rotnacenſe, quod hodieque exſtat, per *Burchardum* Cameracenſem Epiſcopum conſecratur.

An. 1280.

An. 1280. menſe Decembri *Rainardus*, Abbas S. Cornelij Indenſis, *Guidoni* Flandriæ Comiti vendidit *Rotnacũ*, iuris antea Brabantini villam, *Horenbecam*, *S. Cornelij*, *Bracleam*, *Acriniam*, *VVoudecam*, & *Elſelam*: ſuam, dico, Rotnacenſis villæ partem, quam Ludouicus Imperator, Lotharij Imp. filius, Indenſibus dono dederat. Nam alteram, ab eodem Imperatore Rotnacẽſi Canonicorum collegio donatam, ijdem Canonici ſuo ſibi iure retinuerunt.

An. 1392. *Carolus VI*. Galliæ Rex æger ſtatuam ſuam, ex cera confectam, dono miſit Rotnacum ad S. Hermetẽ, & ſanitatem recuperauit: vt Meierus in Annalibus narrat.

An. 1526. *Robertus Croyns*, Epiſcopus Cameracenſis, per *Godefridum* Einhamenſem Abbatem, S. Hermetis reliquias ex veteri feretro (in quo Gerardi Epiſcopi ſcriptum teſtimoniale eſt repertum) in nouum transferri mandauit. Gerardini teſtimonij hæc erant verba: *Anno ab incarnatione Domini milleſimo octogeſimo nono, Indictione duodecima,*

tima, V. Kal. Nouembris, tranſlatæ ſunt in hoc vaſe reliquiæ glorioſi Hermetis martyris, à D. Gerardo ſecundo Cameracenſi Epiſcopo, Epiſcopatus anno tertio, ſub præſentia & teſtimonio Dominorum Oiguardi Abbatis, & D. Sigeri Blandinienſis Abbatis, & Petri Archidiaconi, Alardi Archidiaconi, & Tibaldi Rotnacenſis Præpoſiti, & Tibaldi Decani, & Domini Theoderici de Aldenarda & . . . . Aduocati: adſtante etiam honeſtarum perſonarum clericorum & laicorum non modica multitudine.

De S. *Cornelio* Papa, & S. *Cypriano* Epiſcopo Carthaginienſi infra 14. Sept. dicemus. Quod ad *S. Cæleſtinum* attinet, cuius reliquias Ludouicus, Lotharij filius, Rotnacum pariter attulit, Rotnacenſes Canonici, ex ſuæ eccleſiæ monumentis, adſerunt eas eſſe *S.* Cæleſtini Papæ primi, tabulis Romani Martyrologij ad diem 6. *A*prilis adſcripti. Sed quia Cæleſtinus Papa fuit confeſſor, non martyr, ſunt qui quæſtionem mouent, ob verſiculum veteri feretro inſcriptum: qua de re vide ſupra 17. Maij. Ego nihil auſim ſtatuere aut definire.

S.VERONA virgo. *Aug.29.die.*

QViescit inter Louanium & Furā, in eccleſia S.*Crucis*, quæ nunc S. *Veronæ* dicitur. Non eſt tamen, iuxta morem Eccleſiæ Gallicanæ, ex humo eleuata; ſed in medio templi ſepulcrū virginis frequentatur, & extra templū fons eius cōtra febres piè bibitur. Fratrem habuit *S.Veronum*, cuius, vt & S. Veronæ, Officium proprium exſtat in Lembecana eccleſia, primo lapide ab Hallis, Hannoniæ opido. Ceterùm vita *SS.*Veroni & Veronæ, quæ in Rubra Valle & alibi ms. exſtat, minùs authentica mihi videtur, vt ſupra die 30. Martij monui.

S. AGILVS Abbas Resbacenſis. *Aug.30. die.*

AVdoënus, cùm adhuc eſſet Referendarius Dagoberti Francorum Regis, pòſt Rotomagenſis Epiſcopus, *Meaulx* in diœceſi Meldenſi, ad Resbacum fluuiolum,

uiolum, inſigne monaſterium ſtruxit, quod *Hieroſolymam* nuncupauit. Huic Abbatem præfecit *S. Agilum*, ex Luxouienſi S. Columbani cœnobio euocatum: cui diſcipulus S. *Philibertus* ſucceſſit.

Fuit autem Luxouium (quod hodieque diſciplinis monaſticis in Burgundiæ Comitatu floret) olim velut quoddam Sanctorum ſeminarium: ex quo & *S. Bertulphus*, Bobienſis in Italia Abbas, S. Euſtaſij Luxouienſis Abbatis diſcipulus, prodijt, qui an. 626. ad Dominum migrauit, Bobij ſepultus. Vitam eius breuiter narrat Ph. Ferrarius 19. Aug. in Catalogo SS. Italiæ. *S. Bertulphus.*

S. Pavlinvs Epiſcopis Treuerenſis.

Martyrol. Rom. Aug. 31. die.

Paulinus Epiſcopus, tempore Arianæ infeſtationis, à *Conſtantio* Imp. Ariano, ob Catholicam fidem exilio relegatus, & extra Chriſtianum nomẽ vſque ad mortem, mutando exilia, fatigatus, tandem apud Phrygiam de-

functus, beatæ paſſionis coronã percepit à Domino. Ita legitur in Faſtis Romani Martyrologij. Hieronymus in Chronico, ſcribit ipſum anno decimo ſeptimo Conſtantij Imperatoris, (qui Ioſ. Scaligero eſt annus Chriſti trecenteſimus quinquageſimus ſeptimus) in exilium ob fidem truſum, atq; in Phrygiam ablegatum; vnà cum *S. Hilario* Epiſcopo Pictauienſi, *Rodanio* itidem Galliæ Epiſcopo, & alijs; idque factione *Saturnini* Arelatenſis Epiſcopi, & reliquorum, qui cum eo erant, Arianorum. De eodem Athanaſius in Apologia de fuga ſua, Hilarius libello ad Conſtantium, Liberius Papa in Epiſtola ad Luciferum Calaritanum, Seuerus Sulpitius lib. 2. & Caſſiodorus lib. 5. cap. 16. agunt. Obijt autem *S.* Paulinus in Phrygia exulans, anno Conſtantij Imp. viceſimo primo, qui
An. 361. eſt *Chriſti* trecenteſimus ſexageſimus primus, iuxta eiuſdem Scaligeri editionem. Eius venerandum corpus Treueros relatum, & in crypta, vnà cum *SS.* martyribus conditum, anno Chriſti

Chriſti 1071. repertum fuit: vt Sigebertus noſter Gemblacenſis in Chronico tradit, his verbis: *Treueris in eccleſia S. Paulini confeſſoris, in crypta ſubterranea inuenitur corpus* S. Paulini, *quod olim à Phrygia, vbi exulauerat, reportatum, ibi à Felice Epiſcopo catenis ferreis fuerat ſuſpenſum; & iuxta eum multa corpora Sanctorũ; ad dexteram ſcilicet eius,* Palmatius *Cõſul & patritius Treuerorum; ad ſiniſtram* Tyrſus, *vnus de principibus Thebeæ legionis, cum multis Thebæorum in hac vrbe à Rictiouaro martyrizatis; ad caput ſeptem Senatores vrbis,* Maxentius, Cõſtantius, Creſcentius, Iuſtinus, *& tres fratres* Leander, Alexander, Soter; *ad pedes* Hormiſda, Papirius, Conſtans, Iouianus. *Et cùm multi alij ibi iacerent, horum tantummodo nomina, & tempus, & dies paſsionis aureæ litteræ, in pariete ſcriptæ, ſignabant, eoſq́; omnes ſub Rictiouaro paſſos fuiſſe docebant.* Anno 1071.

S. PAVLINVM Nolanum in Italia Epiſcopum Faſti Romani 22. Iunij celebrant: cuius opera Heribertus Roſvveidus cum Notis anno 1620. typis Plantinianis edidit. Præter hunc

& alij plures *Paulini* ſcriptis ſuis, Sidonij Apollinaris æuo, innotuerunt. Vt *Paulinus Epiſcopus Biterrenſis*, cuius epiſtolam ſub annum Chriſti 420. Idacius commemorat: *Paulinus* auctor Carminis Euchariſtici, quem *Auſonij* ex filio Heſperio nepotem videor ex eius verſibus deprehendiſſe: *Paulinus* denique, cuius ſunt libri VI. de vita S. Martini, metro item ſcripti; quē cùm vetera exemplaria, tum Vaticanum & Corbeienſe, *Paulinum Petricordium* nominent, Petrocorium fortaſſe, hoc eſt, Veſunnicum liceat ſuſpicari. Ita Sirmondus in Notis ad Sid. Apollinarem lib. 8. Epiſt. 11.

SEPTEMBER.

DIVA VIRGO HALLENSIS.
Dominica prima Septembris.

DEiparæ virginis laudes ac miracula præclari omnium ætatum ac locorum ſcriptores magno ſtudio ad poſteros tranſmiſerunt. Vt veteres omittam,

mittam, *Horatius Turſellinus*, Soc. Ieſu presbyter, *Lauretanæ ædis* hiſtoriã eleganti ſtilo conſcripſit. *Ioannes Tritthemius*, Abbas Spanheimenſis, libros duos miraculorum B. Virginis *Dittelbacenſis* in Franconia, & alios tres B. Virginis *Hailbrunenſis*, in Herbipolẽſi diœceſi, ſtudioſè collegit. *Philippus Maria Roſredus*, Caroli Emanuelis Sabaudiæ Ducis Conſiliarius, *Montis Regalis* ſeu *Montis-Vici* miranda litteris conſignauit. *Aſcanius Perſius* imaginis Deiparæ, quæ in *monte Guardiæ*, prope Bononiam, in S. Lucæ opificis ſui tẽplo, ac Dominicanarum monialium cœnobio adſeruatur, hiſtoriam Græcè, & Latinè à ſe elaboratam foras dedit. *Ioannes Mariana*, & alij rerũ Hiſpanicarum ſcriptores *Montem Serratum* & *Guadalupam* ſuis lucubrationibus illuſtrarũt. Annales *Eremi Deiparæ* apud Heluetios, in Benedictinorum cœnobio, *Chriſtophorus Hartmannus* evulgauit. Hos & alios æmulatus *Iuſtus Lipſius*, ſapientiæ ac litterarũ noſtro æuo Antiſtes, B. *Virginem Hallenſem* in Hã-

nonia, & *Aſpricollem* in Brabantia eru-
ditiſſimo ſuo calamo celebrauit. Cuius
è libris hæc habē.

Andreas II. an. 1250. Rex Hungariæ
fuit, & vxorem habuit *Gertrudem*, Du-
cis Meraniæ, Carinthiæ, Iſtriæque fi-
liam: cuius ſoror *S. Heduuigis*, Henrico
Barbato, Sileſiæ ac Poloniæ Principi,
nupta, an. 1243. in cœlos migrauit:
Andreas ex coniuge illa ſua liberos
quattuor, *Belam, Colamannum, Andream,*
& *S. Eliſabetham* tulit. Duo priores in
Hungaria manſere: *Andreas* Venetias
abijt, & filium *Marcum* ex vxore præ-
diuite reliquit, qui inde in Galliam
Croij. migrauit, atque ibi inclytam *Croyorum*
familiam, nunc apud Belgas florentiſ-
ſimam, fundauit. *Eliſabetha* nupſit *Lu-
donico* Thuringiæ & Haſſiæ Lantgra-
uio, & *Hermannum* vnicum filium, ac
filias duas, *Sophiam* & *Gertrudem*, pe-
perit. Ludouicus cùm tactus ſacræ
militiæ amore, an. 1227. vnà cũ Fre-
derico Imp. ad Terræ ſanctæ recupe-
rationem iret, Hydrunti in Apulia o-
bijt. Eliſabetha varias iniurias ab *Hē-
rico,*

rico, mariti fratre, paſſa in Haſſiam ſe contulit, & Marburgi an. 1231. diem ſuum obijt, per Gregorium IX. Pont. Max. an. 1235. Diuis adſcripta.

Hermannus Eliſabethæ filius, in flore æui, ſtatim ab ipſis nuptijs nulla prole relicta, obijt. Sorores tamen duas *Sophiam* & *Gertrudem* reliquit: ex quibus iunior *Gertrudis*, monaſticen in *Aldenburgenſi* ord. Præmonſtratenſis, cœnobio, diœceſis Treuerenſis, profeſſa, cùm annos 49. magna laude virginibus præfuiſſet, an. 1297. ſanctiſſimè obijt, ibidem condita, hac inſcriptione: *Beata Gertrudis, felix mater huius conuentus, filia S. Eliſabethæ, Lantgrauiæ Haſsiæ & Thuringiæ.* *B. Gertrudis, filia S. Eliſabethæ.*

Sophia nupſit *Henrico II.* Brabantiæ Duci, qui primis nuptijs *Mariam Sueuicam*, Philippi Imp. filiam, ſibi vxoré habuerat, & ex ea *Henricum III.* cognomento *Magnanimum* ſuſtulerat. Hẽrici III. poſteritas in patria noſtra Principatum tenuit, & ſtirpe maſcula deficiente, per *Margaritam, Philippo Audaci*, primo noſtro inter externos Duci,

nuptam, ad familiam *Burgundicam* detulit. Maria igitur Sueuica defuncta, an. 1242. *Henricus II. Sophiam,S.* Eliſabethæ filiam, alteris nuptijs ſibi iūxit, & *Henricum* item filium, cognomine *Brabantinum*, ex ea tulit. Is annos duodecim natus oculos atque animū ad Thuringiæ & Haſſiæ Principatum adiecit, materno iure fretus. Sed *Hermanno*, Sophiæ fratre, ſine liberis mortuo, ius ſibi, excluſa fœmina, *Henricus* frater Ludouici, vindicarat: & tenuit quoad vixit, opibus ac potentia valdè auctus, & Innocētio III. Papa procurante, Rex Romanorum, contra *Conradum* Frederici filium, an. 1247. electus. Quem prælio apud Frācofurtum etiam vicit; vir magni animi & ſpei, ſed quam Fata inciderunt: obijt enim anno poſt electionem, ſine liberis. Ea res iterum ius & ſpem *Henrico Brabantino*, Sophiæ filio, præbuit; iuitq; multis aduocantibus in Thuringiam: etſi alij contra nitebantur, euocato *Henrico* altero, Miſniæ Marchione, ex Henrici Regis defuncti ſorore nato. Henricus

ricus noſter, nomine matris, vetus ius prætendebat, iſte nouellum: denique, poſt arma, ventum eſt ad pacificationem; & facta partitione *Thuringia* Hērico Marchioni Miſnenſi, *Haſſia* autem *Henrico Brabantino* ceſſit. Idque ad poſteros obtinuit: & ſtirps iſta, quæ hodieque eſt Lantgrauiorum Haſſiæ, originem & dynaſtiam ſuam *Henrico* noſtro, & *Sophiæ* eius matri debet acceptam, itemque *S. Eliſabethæ*: cuius vtinam & religionem æmularetur!

Sophia porrò, maternæ pietatis heres & adſecla, ſtatuas aliquot DIVÆ VIRGINIS à matre acceperat: è quibus vnā monialibus Carmelitanis, olim extra, nūc intra muros Viluordiæ, opidi altero lapide à Bruxella ſiti, cōmorantibus dono dedit. Huic, miraculis quondam & nuper claræ, cognomen DIVÆ CONSOLATRICIS à re inditum: quia multi malis animi corporiſque remedia aut leuamenta illic reppererunt. Hanc ipſam ſtatuā moniales etiānum ingenti religione adſeruant, & *Iſabella Clara Eugenia*, Alberti

Onſe L. Vrowvve ten Trooſt.

berti Pij vidua, a. 1622. *Diuæ Cõſolatrici* inſignem coronam auream, gemmis atque vnionibus diſtinctam, aliaque munera obtulit: vt de priuatorum donis, pietate, ac confluxu nihil dicam.

Præter hanc Viluordianam Deiparæ ſtatuam, *Sophia* tres alias à matre acceperat, quas dedit *Machtildi*, ſorori Henrici II. Ducis noſtri, mariti ſui, quæ alteris nuptijs iuncta *Florentio IV.* Hollandiæ & Zelandiæ Comiti fuit. Ex quo coniugio *Guilielmus II.* itidem Comes, & poſtea Rex Romanorum prodijt. Statuas iſtas *Machtildis* quamdiu vixit, in veneratione habuit: & iã
Anno 1267. moritura an. 1267. diſpartiuit, & locis
Graueſandæ. ſuis quamque adſignauit. Vnam *Graueſandæ*, veteri Hollandiæ opido, ſeu
Loſduynen. *Loſduni* (quod finitimum eſt cœnobiũ ab ipſa conditum, in quo & vitam à
Haerlẽ. morte mariti piè peregit) alterã *Harlemi* in monaſterio Carmelitarũ, ter-
Halle. Hau. tiam denique *Hallis* in Hannonia collocari voluit. Hallis, dico, in gratiam filiæ ſuæ *Adelheidis*, quæ *Ioanni Auennenſi* Hannoniæ Comiti nupſerat.

Eſt

Eſt autem *Hallenſe* opidum in finibus Hannoniæ ſitum, quà Brabantiam tangit, tertio à Bruxella milliari. In opidi medio templum viſitur, elegāti opere: cuius ala ingredientibus ſiniſtra ſacellum habet & aram, atque in ea ſtatuam iſtam *Diuæ Virginis*, à S. *Eliſabetha*, vt dixi, acceptam. Sacellum varijs Principum donarijs, & tabulis votiuis ornatum, religionem à ſe habet: cuius curam *Patres Soc. Ieſu* an. 1620. ſuſceperunt, magno piè peregrinantiū commodo, qui plurimi è longinquis etiam locis huc concurrunt.

Vt *Hallis*, ſic & *Louanij* quotannis, Dominica prima Septembris, in honorem Deiparæ, ſolennis ſupplicatio habetur, ob cauſſas quas Molanus in Natalibus SS. Belgij fusè explicat.

V. *Margaretula* Louanienſis. *Fiere Margrieke.*

FVit vim paſſa & occiſa à malignis an. 1225. in vrbe Louanienſi, & quieſcit ibidem in ædicula lapidea, quæ adhęret templo S. Petri. Meminit

nit illius Cæſarius monachus Heiſterbacenſis (qui eodem tempore vixit) Dialogo 6.cap.34.

S. REMACLVS Epiſcopus Traiectenſis ad Moſam. *Sept.* 3. *die.*

CIrca an.650. cùm S. Amandus, vt Euangelicæ prędicationi liberiùs vacaret, Epiſcopatu ſe abdicaſſet, ſucceſſit *Remaclus*, B. Eligij, Nouiomenſis ac Tornacenſis Epiſcopi diſcipulus. Quoquidem hortante, S. *Sigebertus*, Auſtraſiæ Rex, *Stabuletum*, *Malmũdarium*, & alia monaſteria condidit. Solitudinis porrò amans Remaclus an.653. Stabuletum ſponte ſeceſſit, relicto Epiſcopatu, quem S. *Theodardus* eſt adeptus. Obijt autẽ Remaclus
Stauelo. Stabuleti (vbi & quieſcit) an.691. iuxta Sigeberti calculum. Hiſtoriam vitæ ſcripſit Notgerus Epiſcopus Leodicenſis libris tribus, quos Surius edidit. In Stabulenſis monaſterij regimine ſucceſſit *S. Papolenus* ſeu *Babolenus*, vir Apoſtolicus.

B. *Irm-*

B. *Irmgardis* virgo. *Sept.*4. *die.*

VAria prædia metropolitanæ eccleſiæ Colonienſi, itemque monaſterio S. Pantaleonis eadem in vrbe contulit. Dicitur fuiſſe filia Comitis Sutphanienſis. Vide Erardum Winhemium in Sacrario Colonienſi, & Molanum.

S. BERTINVS Abbas.
Martyrol. Rom. Sept. 5. *die.*

BErtinus, patria Conſtantienſis, cũ SS. *Mommoleno* & *Ebertramno*, ſeu Bertramno, ex Luxouio Burgundiæ cœnobio, ad S. *Audomarum*, Morinenſem Epiſcopum, veniens, Sithienſe *Sibiu.*
monaſterium an. 654. conſtruxit, opibus *Adroaldi*, viri illuſtris; in eoque Abbas primus obijt anno ſexcenteſi- *698.*
mo nonageſimo octauo. Eſt illud hodie ſitum intra muros vrbis Audoma- *S. Omer.*
ropolitanæ in Arteſia, S. *Bertini* nomine illuſtre. Vitam eius, itemque S. Audo-

Audomari, temporibus Leonis IX. Papæ, fusè deſcripſit *Folcardus* monachus Bertinenſis, itemque *Ioannes Iperius*, Abbas Bertinenſis, in ſuo Chronico: quæ omnia ibidem mss. exſtant. Iperius obijt an. 1303.

S. MADELBERTA virgo, & Abbatiſſima Malbodienſis. *Sept.* 7. *die.*

Maubeuge. MAlbodienſe monaſterium, nunc nobile Canonicarum virginum collegium, fundauit S. *Aldegundis*, 30. Ianuarij à nobis laudata: cuius parentes *B. VValbertus* & *B. Bertilia*, non *Soræ*, *Couſſor.* ſed *Curſorij* (qui pagus eſt Hannoniæ, inter Malbodium & Bellum-Monté) quieſcunt, an. 1619. è terra eleuati, per *Franciſcum vander Burchium*, Archiepiſcopum Cameracenſem. Matertera ſuæ Aldegundi in regimine ſucceſſit neptis ſancta *Aldetrudis*, SS. Vin- *Febr.* 25. centij & Waldetrudis filia. Aldetrudi *Iulij* 14. ſuffecta eſt ſoror *S. Madelberta*, præfuit- *April* 9. que annis noue, Malbodio poſt mortem tranſlata Leodicum, ad baſilicam cathe-

cathedralem. Vtroque in loco colitur Officio eccleſiaſtico IX. Lectionum.

Obitus Iacobi Auennenſis.

A *Veſnæ*, ſiue, vt vulgò pronuntiamus, *Auennæ*, opidum eſt Hānoniæ, in confinibus regni Galliæ, à quo *Iacobus Auennenſis*, dux belli ſacri fortiſſimus, cognomentum traxit. Fuit is *Henrici I.* Brabantiæ Ducis Mareſcallus in bello contra Saladinum; & an. 1291. apud *Aſſur*, facta ingenti barbarorū cæde, glorioſiſſimè occubuit, *& mediante diſcrimine breui temporalem felicitatem, vt pium eſt credere, æterna mutauit. Luxitq́; Richardus Rex Anglorum, cum omni exercitu, aſſumptum tanquam emeritum à Rege Angelorum* : vt Guil. Neubrigenſis lib. 4. cap. 21. rerū Angl. loquitur. Iperius, Abbas & Cronographus Bertinenſis, ipſum vni Machabæorum dicit comparandum. *Aueſnes*

DIVA VIRGO ASPRICOLLIS.
Sept. 8. die.

VBi eſtis impij Nouatores, qui vetuſta eleuatis aut illuditis? Ecce noua in *Colle-aſpero* Miracula, in oculis & auribus omnium noſtrûm geſta; cōcurſu, plauſu, fructu diuerſorum populorum ac Principum celebrata, quæ fidem atque auctoritatem vetuſtis, vel ab exemplo, ſtruunt. Si enim nunc facta videmus & manu quaſi tangimus: cur nuper & olim facta fuiſſe abnuamus? Idem ille DEVS eſt qui patrat, eadem illa MATER-VIRGO, per quam patrat, & quam iſto Miraculorū honore honeſtat atque attollit. Vos, Sectarij, vno omnes conſenſu, & velut de compacto, in vnam VIRGINEM incurritis, eiuſque honori ac cultui obſtrigillatis: ſed Deus ipſe vindex eā tuetur, & meritò extra ordinem aſſerit, augetque quotidie. Adeò quidem vt nullibi, in nullo nomine aut titulo, plura & maiora Miracula, quàm in

MARIAE

MARIAE nomine Deus exhibeat. Nec opus eſt Italiam, Hiſpaniam, Galliam, Germaniam, aut alias prouincias exteras adire: domeſtica habemus exempla *Hallis, Camberonæ, Ceruiæ, Tungris, Viluordiæ, Louanij, in monte Blandinio, in Colle-aſpero*, & alibi. Et verò omni æuo fuere, pleriſque imò omnibus ferè locis: & erũt in omne æuum, etſi parciùs aut denſiùs, vt diuinæ Prouidentiæ viſum. Vobis, ô Nouatores, etſi nomine Chriſtianis, ſed à Catholica religione extraneis Deus hoc donum Miraculorum non indulget, nec indulſit vmquam: teſſeram illam & ſignum veri ſui cultus ſuis ſeruat. Rectè Auguſtinus: *Culmen auctoritatis obtinuiſſe Eccleſiam Catholicam, hæreticis* MIRACVLORVM MAIESTATE *damnatis*. Gloriemur itaque, & Dei erga nos bonitatem agnoſcamus, qui in Belgica noſtra, atqur in limite à partibus Batauicis infeſto, tot Miracula edidit, & edit quotidie, ſuis firmandis, & alijs in viam reuocandis. *De vtil. cred. c. 17.*

Cæterùm *Colliſ-Aſper* (quem *Acutum* vulgò *Mont-aigu.*

vulgò nuncupant) medio milliari à *Sichenis* ſeu *Sichemio* opidulo, & primo lapide à *Diſthemio* opido diſtat. Iure hereditario ſpectat, cum finitimis, ad gẽtem *Naſſauiam*: quod & notatu dignum. In illo Colle quercus fuit, & in hac DIVAE VIRGINIS adfixa imago, à multis retrò annis culta ab accolis; quòd morbis, & præſertim febri, ſolennem ac pęnè certam ibi medicinam inuenirent. Confluebant vndique ciues, pagani, milites, & ſalutaré illic opem à Deo ac Virgine poſcebãt & accipiebant. Manſit imago quercui affixa vſque ad an. 1602. quo, ob maiorem in dies concurſum, per *Godefridum*, Parochum Sichemienſem, ex arbore detracta eſt, & in ſacello modico, quod è tabulis ligneis iuxtà ſtruxerat, ritè & piè collocata. Sed enimuerò, cùm id anguſtum turbis vndiquè confluentibus eſſet, ſacellum è lapide ſecto incohatum, abſolutum, & à *Matthia Houio*, Machlinienſi Archiepiſcopo, an. 1604. Idibus Iunijs D. VIRGINI eſt dicatum. At quercus

cus paulò antè, iuſſu *Ioannis Miræi*, patrui noſtri, tunc Antuerpienſis Epiſcopi deſignati (quem Houius ad cognoſcenda & examinanda Miracula eò miſerat) à ſtirpe exciſa eſt: ex qua multi poſtea icunculas ſibi fecerunt, alij fruſtulis in potu vſi ſũt, & cõſtat quòd cum morborum medela. Creſcente deinde miraculorum fama, *Albertus Pius*, & *Iſabella Clara Eugenia*, Belgarum Principes, magnificum ac verè regiũ à fundamentis templum, forma rotunda, excitandum curarunt; quod an. 1621. demum eſt abſolutum.

De Manna cæleſti apud Atrebates.

VAlentiani Imp. anno quarto (qui eſt annus Chriſti 371.) *apud Atrebatas lana è cælo, pluuiæ mixta, defluxit*: vt S. Hieronymus in Chronico ſuo loquitur. Quod ijſdé pænè verbis Paulus Oroſius lib. 7. repetit. Lana illa, quæ vulgò *Manna* dicitur, hodieque in baſilica cathedrali Atrebatenſi adſeruatur, in feretro argenteo inaurato,

quod *Guilielmus Iſiacus*, Epiſcopus Atrebatenſis, an. 1286. faciendum curauit, his verſibus additis, qui etiamnum feretro inſcripti leguntur:

Atrebati Manna, Romæ pluit Vnctio ſancta,
Hieruſalē Sanguis: tria ſunt hæc dona ſalutis.

Alexander cognomento Maior, Canonicus Atrebatenſis, ſcripſit hiſtoriā Mannæ, quæ ibidem ms. adſeruatur. Quotannis Dominica ſecunda poſt Paſcha (in qua Miſſæ Introitus eſt, *Miſericordia Domini plena eſt terra*) Canonici Atrebatenſes, decreto eiuſdem *Guil. Iſiaci* Epiſcopi, celebrant feſtiuitatem Reliquiarum ſuæ eccleſiæ, quā *Mannæ feſtiuitatem* vulgus vocat. *Clemens VI.* an. 1342. & *Calixtus III.* an. 1455. amplas Indulgentias templum cathedrale illo octiduo viſitantibus conceſſerunt. Magno enim numero vndique eò confluere tūc ſolent ciues & exteri, vt & menſe Septembri per triduum, poſt Natalem Deiparæ diē.

Mira-

Miraculum, quod an. 1405. in *Buſco Domini Iſaaci* contigit.

Bois Seign.ur Iſac.

IOannes Mariana, & alij rerum Hiſpanicarum ſcriptores, notant annũ Chriſti 1240. Aragonijs religioſum ac celebrem fuiſſe prodigio, quod ad Chium arcem oſtẽſum eſt, Corporalibus, quibus ſacrificatum erat, ſex Hoſtiarum ſanguine delibutis. Ea Corporalia Darocæ magna religione ſeruantur. Simile prodigium an. 1380. *Boxte'le* in Campania Brabantiæ, & anno 1405. in *Buſco Domini Iſaaci*, altero lapide ab Hallis Hannoniæ opido, contigit. De priori ſuprà pag. 319. diximus. Poſterius deſcribitur à Guilielmo Gazæo in Hiſtoria eccleſiaſtica Belgij, quam Gallico idiomate conſcriptam Atrebati 1614. publicauit. Corporale ipſum, ſacræ Hoſtiæ ſanguine delibutum, in dicto Buſco Domini Iſaaci (quod eſt Canonicorum regularium monaſterium) adſeruatur, & quotannis menſe Septembri, Do-

Daroca Corporalia.

minica poſt Natiuitatem Deiparę, ſolenni ſupplicatione circumfertur, permiſſu *Petri Aliaci*, Card. & Epiſcopi Cameracenſis, ſummi Theologi, qui iſtud ſui æui ac diœceſis miraculum, poſt accuratum examē ac diſquiſitionem, approbauit.

V. *Alanus Rupenſis*, ex ordine Dominicanorum.

VArias concionando prouincias peragrauit, & Diuę Virginis honori ac cultui in primis augendo operam dedit. Scripſit non pauca quæ Trithemius, Sixtus *S*enenſis, & alij recenſent. De patria ipſius eſt quæſtio: plerique in Britannia minore, alij in Germania natum volunt. Illud in cōfeſſo eſt, an. 1475. natali Deiparæ die, *Suollis* (quod opidum eſt maritimū prouinciæ Tranſiſalanæ, in d. Dauentrienſi) obijſſe, & ibi quieſcere. Vitam ſcripſit Choquetius, lib. de *SS.* Belgis ord. Prædicatorum.

Svvol.

V. *Cor-*

V. *Cornelius Muſius* martyr. *Sept.*8.*die.*

CHriſtianum hunc *A*pollinem, Delfis Batauorũ non ſine omine natum, *Lumeius*, homo inſanus, Caluinianorum militum ductor, naſo & auribus truncatis, manuum pedumque digitis, & ijs quæ naturæ honeſtas abdidit, præciſis, immanitate pluſquam barbara, Leidæ in foro trabi affixit, ac laqueo ſtrangulauit, cùm ſecundum & ſeptuageſimum ætatis annũ optimus atque erudítiſſimus ſenex ageret. De eo fuſè Guil. Eſtius in Hiſtoria martyrum Gorcomienſiũ, & nos in Elogijs Belgicis.

S. ADRIANVS martyr Nicomediẽſis. *Martyrol. Rom. Sept.* 8. *die.*

GErardi-Mons opidum eſt Flandriæ, verſus Brabantiam, muros habet inſignem Benedictinorum Abbatiam, an. 1095. à *Manaſſe*, Epiſcopo Cameracenſi, in vico *Declinio* incohatam, *Geerſberghen. Granmont. Declinen.*

tam, &anno proximè ſequenti in opidum tranſlatam, petente *Roberto Hieroſolymitano*, Flandriæ Comite. Ad hanc Abbatiam S. *Adriani* martyris reliquiæ ex *Raulicuria*, Hannoniæ pago, an. 1110. ab *Eubaldo* ſunt tranſlatæ: tantoque hominum piè peregrinantium concurſu frequentantur, vt & Abbatia & opidum ipſum S. *Adriani* nomen quodammodo induerint.

Meierus ibid.

S. Adriē

S. CORBINIANVM I. Friſingæ Epiſcopum hoc ipſo die Faſti Romani celebrant: qui à *Gregorio II.* Papa ad prædicandum Euangelium circa an. 730. miſſus, vberes fructus in Gallia & Germania retulit.

S. AVDOMARVS I. Epiſcopus Morinenſis ſeu Teruanenſis.

Martyrol. Rom. Sept. 9. die.

MAgna copia cæcorum eſt, ſed parua Sanctorum: luminum vſu carent plurimi, mentis oculis nō pauciores, nec pauci vtriſque. Primi non tam ſunt, quàm videntur miſeri; alij verè

verè his ſunt miſeriores; miſerrimi qui & mente aberrant à vero, & capti ſunt oculis corporis, quorum hîc ego querimoniam non inſtituam. Sanctos laudo, qui non modo cæcitatis infelicitatem in nullo incommodo poſuerunt, ſed etiam de illa ſibi gratulati ſunt: vt & inter ethnicos fuere, qui vltrò ſibi oculos eraſerunt, vt tanto commodiùs ſapientiæ ſtudijs animũ intenderent.

Teſtamenti veteris tabulæ S. *Tobiã* celebrant, quòd nunquam ſuper cæcitate fuerit lamentatus. *Pigmenium* martyrem, V. *Bedam*, *Adamarum* Abbatem Cluniacẽſem, SS. *Othiliam* & *Herculam* virgines, S. *Aquilinum*, & alios cęcos Sanctos Matthæus Gretſerus in Viridario Sanctorum parte 3. cap. 3. laudat. Nobis ſuffecerit *Audomarum* ex noſtratibus produxiſſe: qui poſterioribus vitæ annis, offuſa noctis & ſenij caligine occæcatus, cùm per S. *Vedaſti* merita, in corporis eiuſdem eleuatione, vſum videndi amiſſum Atrebati recuperaſſet, ægro id animo tulit, & preci-

precibus impetrauit, vt reſerata lumina rurſum oborta cæcitate velarētur, quam in ſalutem ſuam à Deo ſibi immiſſam dictitabat. Videbat nimirum, quid commodi cæcitas adferret, & quantorum malorum occaſiones prȩcideret. Hæc pro conſolatione Cæcorum breuiter dicta ſunto: de qua elegans exſtat libellus *Guilielmi Cripij*, Geldriæ Cancellarij.

Cæterùm Audomarus, natione Germanus, haud procul à *Conſtantia* vrbe natus, & *Luxouij* ſub S. *Euſtatio* Abbate educatus, circa an. 630. Morinis datus eſt Epiſcopus. Anno 646. S. *VVandregiſilum* ordinauit ſacerdotē. Anno 654. villam *Sithiu B. Bertino* impetrauit ab *Adroaldo*, viro nobili, ad monaſterium excitandum, quod *Bertinenſe* nunc dicitur. Anno 657. Atrebati corpus S. *Vedaſti* à baſilica cathedrali ad monaſterium Vedaſtinum tranſtulit, vnà cum S. *Auberto* Cameracenſi, & S. *Lamberto* Traiectenſi, Epiſcopis: vbi & ſenex viſum recepit. Anno 661. in Domino obdormiuit, ſepul-

ſepultus in baſilica Mariana, quam ad ſepeliendos monachos Sithienſes, in collis vertice, ipſe conſecrarat, quæq; nunc S. *Audomari* eccleſia eſt cathedralis. Fuit enim ea primò monachorum, quibus amotis, *Fridogiſus*, Abbas XI. Bertinenſis, cõmendatarius & nõ monachus, Canonicos XXX. ſubſtituit. Villam porrò *Sithiu* B. *Fulco*, XVIII. Abbas, pòſt Reméſis Archiepiſcopus, murorum ambitu firmauit. *Paulus IV.* an. 1559. Audomarenſem baſilicam dignitate Epiſcopali ornauit, & partẽ dotis attribuit ex prædijs eccleſiæ & vrbis Teruanenſis, an. 1553. funditus euerſæ.

S. THEODARDVS Epiſcopus Traiectenſis & martyr.
Martyrol. Rom. Sept. 10. die.

CVm S. Remaclus Stabuletum ad quietem seceſſiſſet, Theodardus an. 653. in Epiſcopatu Traiectenſi eſt ſuffectus. Fuerat is antea *Abbas* Stabulenſis, conſilio eiuſdem *Remacli*, & S. *Cu-*

S.*Cuniberti* Colonienſis Antiſtitis, in ea dignitate conſtitutus; quorum poſterior & Epiſcopum ipſum conſecrauit. Cùmque pro rebus Eccleſiæ ſuæ recuperandis, ad *Childericum A*uſtraſię Regem pergeret, auxilium cõtra inuaſores prædiorum poſtulaturus, in ſilua *Biwalt*, haud procul ab vrbe Spirenſi, ab ipſis prędonibus an. 655. eſt trucidatus: vt Baronius & Bucherius ſupputant. Sigebertus ad an. 658. eius martyrium refert: qui & vitę hiſtoriam, à peruetuſto auctore ſcriptã, emendauit; exſtatque apud *S*urium. Succeſſit B. *Lambertus*, qui ſanctũ martyrem Leodici ſepeliuit: vbi quieſcit hodieque in baſilica cathedrali, cum eodem S. *Lamberto* & S. *Floriberto*.

S. OTGERVS diaconus.

VIro in Epiſcopum Scotiæ electus, iuxta gentis illius conſuetudinem, Romam profectus eſt, Summi Pontificis manibus conſecrandus. Qua in peregrinatione collegam habuit

buit *Plechelmum*, ad Epiſcopalis quoque muneris apicem, in eodem Scotię regno, deſtinatum. Cùm autem per Angliam iter inſtituerent, diuinitus illis aſſociatus ęſt *Otgerus* leuita: qui feruenti ſupernę pietatis deſiderio accenſus, ad SS. Petri & Pauli viſenda limina, eãdem cum illis peregrinationem eſt ingreſſus. Cùmque Romanus Pontifex *VVironem* ordinaſſet Epiſcopum, eundemque honorem *Plechelmo* fuiſſet impertitus, in patriam cum *S. Otgero* reuerſi ſunt. Sed Wiro, arrepta poſtmodum alia oportunitate, Plechelmum Epiſcopum cum Otgero diacono aſſumens, per mare in Franciam profectus eſt: vbi à Pipino Francorum Duce perbenignè excepti ſunt. Is locum illis à ſtrepitu ſemotum, prope Rurǽmundam, deſignauit: qui *Mons Petri* antea, nunc *Odiliæ Mons* dicitur. Ibi ergò S. Otgerus cæleſtem in terris vitam ducens, ac multos verbo & exemplo, ad rerum præſentium cõtemptum, & æternarum amorem, inflammans, beato fine quieuit. Sic *Iul.15.*

ferè

ferè legitur in Officijs proprijs *SS.* Eccleſiæ Ruremundenſis, quæ *Henr. Cuquius* Epiſcopus concinnauit & edidit.

S. Eunucius Epiſcopus.

A Demochare & Chenutio adiungitur *Guidoni* XXVII. Epiſcopo Nouiomenſi ac Tornacenſi: vnde colligi videtur, ipſum non niſi Coëpiſcopum fuiſſe. Caput eius *Radulphus* Nouiomenſis Epiſcopus circa an. 962. tranſtulit ad monaſteriũ S. *Lupi,* quod nunc *S. Eligij* dicitur, extra muros Nouiomenſes ab eodem Eligio fundatum. Vide Ioannis Cognati Hiſtoriam Tornacenſem.

S. VINCINNA virgo. *Sept.* 11. *die.*

Mart. 19. Vinciana claris Romæ natalibus orta, vnà cum fratre ſuo *Landoaldo*, Archipresbytero, alijſque nonnullis ex Italia in Galliam vſque Belgicam, Chriſtianæ religionis plantandæ cauſſa, circa an. 633. profecta eſt.

Nec

Nec verò conatum eius piiſſimum euentus fefellit. Siquidem dum *Amandus* & *Landoaldus*, in Tungrorum ac Flandrorum ad fidem Chriſti conuerſione, gnauiter laborarēt, ipſa interim quibuſcūque modis potuit, laboribus illorum cooperās, prædicationis opus maximè promouit. Tandem peregrinationis ſuæ decurſo tempore, plena operibus bonis, in *VVinterſhouia* Hasbaniæ vico, an. 643. migrauit ad Dominum III. Idus Septembris: eſtque ibi à fratre ſuo Landoaldo decēter ſepulta. Poſt annos autem ab obitu eius trecentos triginta ſeptem, ex *An.*980 illo loco ad eccleſiam D. Bauonis Gādenſis, ſimul cum Landoaldi & aliorū Sanctorum corporibus, ab *VVomaro* Abbate tranſlata eſt: facientibus illi poteſtatem *Ioanne* XIV. Romano Pontifice, Heraclio Epiſcopo Leodicenſi, & Othone II. Imperatore. Sic ferè legitur in Officio proprio Eccleſiæ Gādenſis, an. 1572. ibidem edito.

S. BODO Epiſcopus Tullenſis.

NAtus eſt in pago Arduennenſi, & ſanctimonialium cœnobiū, quod hodieque *S. Bodonis* dicitur, conſtruxit. Idem Canonicorum XII. collegium ad fluuium *Murt*, itemque monaſteriū *S. Leodegarij*, in *Offonis villa* conſtituit. Trāſlatus eſt Lugdunum, vbi in multa eſt veneratione.

S. Legier.

S. GVIDO Confeſſor, Anderlaci apud Bruxellam. *Martyr. Rom. Sept.* 12.

GVido, tugurio ruſticano & paupere domo *Anderlaci* natus, velut alter Nepotianus à S. Hieronymo laudatus, multis annis ſeruiuit baſilicæ Lacenſi Virginis Deiparæ (quæ hodieque cultu ac miraculis floret, haut procul à Bruxella) floribus & ramis eam exornans, omniaque in nitore conſeruans. Profectus eſt poſtea cum V. *VVonedulpho*, Anderlacenſis eccleſiæ Decano, Romam, Hieroſolymā, & ad

Anderlecht.

Laken.

& ad alia Sanctorum loca. Septennio in pijs peregrinationibus exacto, domum redijt, & ſanctiſſimè in Domino obdormiuit anno Chriſti milleſimo duodecimo: vt ex Anderlacenſis eccleſiæ monumentis datur intelligi, non autem anno milleſimo centeſimo duodecimo, vt Molanus eumque ſecutus Baronius exiſtimarunt. Sepultus fuit in cœmiterio; ſed Deo virum ſanctum per crebra miracula illuſtrāte, *Gerardus II.* Cameracenſis Epiſcopus, ipſum è terra leuauit: & ex cōfluentium populorū oblationibus noua atque inſignis baſilica ſuper eius tumulum eſt ædificata, in qua celebre Canonicorum XVIII. collegium, à Gasbecanis toparchis & alijs dotatū reſidet. Pingitur vulgò vt opilio & arator, legiturque vitæ eius hiſtoria apud Surium.

Anno 1012.

Circa an. 1085

S. AMATVS Senonenſis Archiepiſcopus. *Martyrol. Rom. Sept.* 13. *die.*

AMatus *Theodorici* Regis Galliæ iuſſu, ſede ſua pulſus, & in *Broilēſi*

monaſterio, à B. *Mauronto* ad Liſam fl. in Flandria conſtructo, exceptus, obijt anno ſexcenteſimo nonageſimo. Ob Normannorum incurſiones trāſlatus eſt Duacum, vnà cum Broilenſi monaſterio, quod hodie Canonicorū S. *A*mati eſt collegium, quodque permiſſu *Ioannis* Epiſcopi Cameracenſis, *Caroli* Frācorum Regis, & *Baduini Ferrei* Flandriæ Comitis, an. 874. ibi ſedem fixit. Hiſtoria vitæ eius exſtat ibidē in veteri codice, argenteis laminis exornato, circa annum 1040. ſcripta, à clerico, vt apparet, Amatenſi, nomē ſuum, pro modeſtia eius æui, ſubticēte. Vide Iacobi Taurelli Hiſtoriā Archiepiſcoporum Senonenſium, anno 1608. ibidem editam, & Coluenerij Notas ad cap. 22. lib. 1. Chronici Cameracenſis.

Exaltatio S. Crvcis. *Sept.* 14. *die.*

ECcleſia vniuerſa celebrat hoc die Exaltationem S. Crucis, quando *Heraclius* Imperator, *Coſrhoë* Perſarum

Rege

Rege deuicto, eam ex Perſide Hieroſolymam reportauit. Crucis porrò Dominicæ partes ſeu fragmenta in varijs Belgij eccleſijs religioſè adſeruantur. Itaque aduerſus Hæreticorũ cauillationes libet hîc ſubnectere, quod S.Paulinus Molanus Epiſcopus, epiſtola 11. ad Seuerum ſcripſit: *Crux,* inquit, *illa in materia inſenſata vim viuã tenens, ita ex illo tempore, quo inuenta fuit, innumeris penè quotidie hominum votis lignum ſuum commodat, vt detrimenta non ſentiat, & quaſi intacta permaneat, quotidie diuiduam ſumentibus, & ſemper totam venerantibus: ſed iſtam imputribilem virtutẽ, & indetribilem ſoliditatem, de illius profectò carnis ſanguine bibit, quæ paſſa mortẽ, non vidit corruptionem.*

S.FLEDERICVS presbyter.

Vliderzele.

NAtione Francus, Paſtoris ſeu Parochi munus obijt *Vliderſelæ* apud Flandros in agro *A*loſtano; vbi colitur vt patronus.

S. MATERNVS Treuerorum, Coloniẽſium & Tungrenſium Apoſtolus.
Martyrol. Rom. Sept. 14. die.

EVcharium, Valerium, & Maternũ, à S. Petro Apoſtolo Roma in Galliam Septemtrionalem miſſos, tradũt antiquiſſima Treuerenſis, Colonienſis & Tungrenſis Eccleſiarum monumenta; quæ eos vt Apoſtolos ſuos agnoſcunt ac venerantur. Adſtipulantur Molanus, Baronius, & alij paſſim. De Colonia tamen dubium ingerit Rupertus Tuitienſis: *Treuerẽſi*, inquit, *Eccleſiæ Maternus à B. Petro miſſus, hereditatem pallij ſuis ſucceſſoribus dereliquit, ſed primatum metropolis Coloniæ obtinuit, ea maximè de cauſſa, quia Creſcẽs(* Mogũtiæ ſcilicet Apoſtolus) *Coloniæ quoque Apoſtolicam verbi Dei prædicationem primus intulit.* Sed nos antiquiorem tam illuſtrium Eccleſiarum traditionem ſequimur. Cur autem tres haſce ciuitates potiſſimùm excoluerint, cauſſa haut dubiè fuit illarum præ ceteris dignitas atque eminentia.

Tre-

Treueros ſanè, non ſolùm Belgicæ ſed & totius Galliæ populos, laude bellica & imperij amplitudine ſuperaſſe, teſtantur vno conſenſu Cæſar & Tacitus. Nec ea vmquam auctoritate, etſi in ius ditionemque Romanorum conceſſiſſent, exciderunt. Cerealis ſunt hæc apud Tacitum verba, ad Treueros prolata: *Ipſi plerumque legionibus noſtris præſidetis: ipſi has aliasq́; prouincias regitis.* Erat & Treueris curia ſemper libera, quam Senatus Romanus de noua Taciti Imp. electione cōmonendam duxit: quod non niſi principibus Imperij ciuitatibus fieri conſueuit. Quin & Panegyrici, Maximiano ac Cōſtātino Magno Auguſtis dicti, eos, cùm aduerſus Germanicas gētes Rhenanum Imperij limitem tuerentur, Treueris vt plurimum egiſſe, nos docent. Deniq; Ammianus Marcellinus ſua ætate *domicilium Principū clarum* appellat: ſpeciatimque Conſtātinum filium, fratremque eius Conſtantem, Iulianum apoſtatam, Valentinianum primum, Gratianum, Maxi-

L. 2. & 5 *Lib. 4. hiſt.*

Vopiſcus in Flaciano.

Lib. 15.

mumq́ue, ſedem Imperij in Treuerẽſi potiſſimùm vrbe fixiſſe, paſſim eorum Reſcripta ac res geſtæ fidem faciunt. Prorſus vt de illa meritò cecinerit Auſonius: *Treuericaq́ urbis ſolium, Imperij vires, quod alit, quod veſtit & armat:* iure etiam Saluianus, *vrbem Gallorum ſummam, opulentiſſimam, & excellentiſſimam* pronunciauerit.

De claris Viris. Lib.6.

Vicina, eiuſdemq́ue pęnè magnificentiæ (vt idem loquitur) fuit *Vbiorum* ciuitas *Agrippina*: quam Germaniæ inferioris metropolim fuiſſe, ex Libello prouinciarum Imperij Romani conſtat.

De *Tungrorum* potentia, deq́ue vrbe ipſorum celebri, temporibus Neronis & Veſpaſiani, ex Plinio, Tacito & alijs vetuſtis ſcriptoribus ſatis datur intelligi. De *Aduatuca* ſeu *Atuacuto* vide quæ ſupra pag. 396. diximus.

Ad has igitur tres nominatiſſimas vrbes miſſi ſũt ſacri iſti, à Petro Apoſtolorum principe, Triumuiri, & circa annum Chriſti Dionyſianum (quo paſſim vtitur Eccleſia) quinquageſimũ

An. 50.

ſedem

ſedem Treueris pontificiam ſtatuerũt, vt è qua ciuitate, ceu regia, iura prophana reddebantur, redderentur & ſacra, fideſque Chriſtiana faciliùs è fonte in riuos emanaret.

S. CORNELIVS Papa & martyr, & S. CYPRIANVS Carthaginienſis in Africa Epiſcopus.
Martyrol. Rom. Sept. 14.

CORNELIVS Papa, in perſecutione Decij, poſt exilij relegationem, primùm plumbatis cæſus, poſtea cum alijs viginti & vno promiſcui ſexus, eſt decollatus. CYPRIANVS, doctrina clariſſimus, ſub Valeriano & Gallieno Principibus, poſt durum exilium, ſimiliter detruncatione capitis martyrium conſummauit, ſexto milliari à Carthagine iuxta mare: vt in tabulis Martyrologij Rom. legitur.

Horum martyrum oſſa, ab *Aarone* Perſarum Rege, per Aſiam & Africã latiſſimè dominante, ad *Carolum Magnum* ex Africa per Arelatem tranſmiſ-

ſa ſunt, & poſtquam Lugduni aliquã-diu quieuiſſent, inde per *Carolum* Imperatorem, Ludouici Pij filium, auecta ſunt Compendium, Picardiæ opidũ, ad monaſterium nouum, quod idem *Auguſtus* eo loco conſtruxerat. Compendio poſtea, ſi non omnia, ſaltẽ plurima *Ludouicus*, Lotharij filius, Rotnacum tranſportauit, & cum S. *Hermetis*, celeberrimi martyris, lipſanis ibidem honorificè collocauit: vt partim ex Adonis Martyrologio partim ex Rotnacenſis eccleſiæ monumentis collegi. Quibus rebus illuſtrandis libet hîc attexere Epiſtolam, quam *Ioãnes Haius*, Theologus & Canonicus Tornacenſis, ante annos 50. ad *Viglium Zuichemum*, Præſidem, ſcripſit, quamq́; *Iacobus Pamelius* ſuis ad Cyprianum Prolegomenis inſeruit:

Com-peigne.

Quemadmodum gloriatur Cicero, nobiliſsimam Siciliæ ciuitatem Syracuſas acutiſſimi ciuis ſui Archimedis monumentum ignoraſſe, donec ab homine Arpinate & peregrino illud didiciſſet: ſic tanti tamq́; celebris hoſpitis, Cyprianum dico, perpetua ſanè igno-

ignorantia Belgium laboraſſet, niſi veſtræ monitionis claßico, tanquam reuelatione quadam ſolemni, innotuiſſet. Bruxella enim non ita pridem reuerſus percunctari cæpi, num aliquando D. Cypriani corpus quieſcere Rotnaci audijſſent, qui eò aliquando fuiſſent profecti. Illi planè ignorare ſe affirmauerunt: celebre quidem illic eſſe SS. Hermetis & Cornelij nomen, ſed de Cypriano nihil. Ideoq; me accinxi itineri, & ſatis prolixo ſermone habito cum Canonicis, illi me deduxerunt ad gazophylacium templi, ibiq; meis oculis expoſuerunt feretrum cupreum deauratum, Apoſtolorum imaginibus interſtinctum, in tres veluti diſtinctum capſulas laminis tribus deauratis, quod opus antiquiſſimum indicarunt adhibiti aurifices: cuius longitudo quinque ferè pedes æquat, in cuius margine tales inſcribuntur verſus:

Duplex vita tenet cœlos, hîc oſſa tenentur,
Oſſa ſigillauit hic operoſa manus.
Sufficit ad titulum. Cæleſtinum capit aula,
Gaudent in cœlis Cornelius & Cyprianus.
Vita Celeſtini gladio fuerat data fini.
Cornelius gladij ſuſcepit acumine funus;
Cum quo bis deni gladio caduntur & vnus.
Carnificiſq; manu ſic paſſus erat Cyprianus.

Hîc

Hic Cæleſtinum ſanctos locat & Cyprianum.
S. Hermes. *Hic eſt dæmonium pellens, morbumq; caducũ.*
Hæc breuis arca, Patres coniungit Apoſtolicos tres.

Quæ omnia bona fide exſcripta ad te deſtino: cui dignas rependere grates haud opis ſit noſtræ, quòd veſtro iudicio contigerit me ſacrum tãtum martyris corpus venerari præſentem, cuius viſendi gratia Carthaginem lubens perrexiſſem. Hactenus Haius. De S. *Cæleſtino* ſupra 17. Maij, & de S. *Hermete*, dœmonum flagello, ordinarioque apud Rotnacenſes expulſore, 28. Aug. diximus.

S. AICHARDVS ſiue Aicadrus Abbas.
Martyrol. Rom. Sept. 15. die.

QVo tempore Normanni, Maximè quidem *Rol* tyranno incentore, per hoc regnum, vt per alia, deſæuierunt, & culpis Chriſtianorum exigentibus, eccleſias Sanctorum paſſim combuſſerunt, tantæ formidinis tempeſtate, corpora SS. *Aicadri* & *Hugonis*, de Gemegio cœnobio, quod ſuper Sequanam fl. non procul ab vrbe Rotomago

S. Aicadrus.

mago

mago ſitum eſt, ad villam *Haſprum* allata ſunt. Quam villam, vtrùm iã antea poſſeſſam ſubiacuiſſe prælibato monaſterio,an tunc temporis , aut à Rege aut à quolibet Principe, pro remedio animæ, receptationi Sanctorũ traditam fuiſſe dicamus, incertum eſt. Ex his certè beatus *Aicadrus*, à S. *Philiberto*, eiuſdem cœnobij Abbate & fundatore, Abbas etiam conſtitutus , regimen ſacrum agebat, vitæq́ue moribus & virtutum coruſcatione fulgebat. Ad cuius piam conuerſationem, S. *Hugo* Rotomagẽſis Epiſcopus, *Karlemanni* Regis filius, diuina inſpiratione ſuccenſus, relictis Epiſcopatus habenis, curiſq́ue ſecularibus abdicatis, diſciplinam monachorum & habitum ex toto deſiderio appetiuit, ſacriſq́ue magiſtri moribus informatus, omni virtutum genere perfectus emicuit. Ambo autem qui & quales extiterint, eorum vitas legentibus euidenter occurrit. His nimirum apud hanc villam poſthac remanentibus , monaſterio facto, monachis delegatis, ad laudem S. Hugo

eorum,

eorum, pius & miſericors Deus multa, imò & celeberrima virtutum prodigia dignatus eſt operari. Sed quia monachorum Abbas longè aberat, eoſque rariſſimè pro difficultate longinquitatis viſitare ſolebat, in libertate ſoluti, ſæculum ſectabantur, irregulariterque viuentes, vſque ad tempus Gerardi I. Cameracenſis Epiſcopi, abſque rectore periclitabantur. Quod videns Epiſcopus Abbatem, vt hoc corrigeret, ſæpe commonuit: ſed quia longè aberat, correctionem morabatur. Contigit autem Epiſcopum, pro eccleſiaſtica ſollicitudine, fortè per hanc villam tranſitum facere, & *Leduino* Abbati Vedaſtino (comes enim erat itineris) obſcænā monachorum conuerſationem indicare. Salubri itaque, imò competenti conſilio hortatus eſt illum, vt ſi quas res S. Vedaſti in vicinia Gemeticenſis cœnobij haberet, eas pro hoc monaſterio, quod ſibi eſſet contiguū, cōmutaret, huncque locum pro compendio æternæ remunerationis, meliorare ſatageret.

ret. Commutatio itaque coram *Roberto* Rege Francorum, coramque Comitibus *Balduino* Flandrenſium, & *Richardo* Rotomagenſium, facta eſt, & ab eiſdem corroborata. Abbas itaque *Leduinus*, vt ædificator idoneus, locum cum ſummo ſtudio, ad laudem & venerationem Sanctorum, qui ibidem quieſcunt, emendauit, nouiſque ædificijs & clauſtro regulari inſignire feſtinauit. Ita ferè Baldericus lib. 2. cap. 29. in Chronico Cameracenſi.

Anno 1024. Haſpra ceſſit Vedaſtinis.

S. Aichadri vitam ſcripſit Fulbertus, à Surio editam. De S. *Hugone*, Aichadri diſcipulo, diximus ſupra 9. Aprilis; eſtque vita eius per Franciſcum Haræum evulgata.

S. LAMBERTVS martyr, Epiſcopus & patronus Leodicenſium.

Martyrol. Rom. Sept. 17. die.

PRæceptore vſus eſt S. *Landoaldo* Archiepresbytero Romano, quem S. Amandus ſecum Roma adduxerat. Theodardo ab impijs cæſo, in Epiſcopa-

Mart. 19. Sept. 10.

copatu an. 656. ſucceſſit. Anno 668. per *Ebroinum* Maiorem domus regiæ, ſub Theodorico Rege, Epiſcopatu pulſus, ad Stabulenſe monaſterium ſeceſſit: vbi toto ſeptennio multa, eaque illuſtria obedientiæ ac patientiæ exempla dedit. Anno 675. Ebroino occiſo, ad Epiſcopatum redijt. Anno 692. è Taxandria (quam tunc Euangelicis præceptis excolebat) veniens, ſæpe S. *VVillibrordum* viſitat, & cum eo de propaganda Religione confert. Demùm cùm *Pipinum Heriſtallium*, ob ſuperinductam *A*lpaidem, ſæpiùs adulterij argueret, an. 696. Leodici à *Dodone*, Alpaidis fratre, haſta trāsfixus occiditur, vnà cum *Petro* & *Andoleto*, conſanguineis ſuis. Corpus Traiecti ad Moſam, in baſilica principis *A*poſtolorum, ſepelitur, & inde decimo
An.709 tertio pòſt anno, Leodicum transfertur, vnà cum ſede Epiſcopali, per S. *Hubertum* diſcipulum ac ſucceſſorem. Præter quem, & diſcipulas in Chriſto
Iul.8. habuit, S. *Landradam* nobiliſſimā vir-
Nov.27 ginem, & S. *Odam*, Boggis Aquitaniæ Ducis

Ducis viduã. Vitæ ac martyrij ſcriptores exſtant apud Chapeauillium in Geſtis Pontificum Leodicenſium, & Caniſium in Lectionibus antiquis.

S. DESIDERIVS Redonenſis Epiſcopus. *Sept.* 18. *die.*

MArtyrio coronatus eſt in territorio Veſontino, & quieſcit in ſui nominis vico apud *Alſatios*. Martyrij ſocium habuit S. *Rainfridum* Archidiaconum. Vide ſupra pag. 39. S. Diſier

B. *Henricus Calſtrius*, ex ordine Prædicatorum.

EX Dominicanorum cœnobio Louanienſi, per *Henricum* Brabantiæ Ducem, eiuſque coniugem *Aleidem* an. 1228. ad Diliam fl. conſtructo, multi cùm ſanctitate tum doctrina illuſtres viri prodierunt. Inter alios B. *Henricus*, patritia Calſtriorum familia Louanij natus: cuius vitam Ioannes Gilemannus in ſuo ms. Hagiologo

Brabantiæ recitat, & ex eo Choquetius Duaci an. 1618. publicauit.

Rob. Bellarminus. De V. *Roberto Bellarmino*, ex Societate Ieſu Cardinale, ſupra pag. 476. breuiter diximus.

V. *Ioannes Euſtachius*, Abbas Iardineti, in Comitatu Namurcenſi.
Sept. 20. *die.*

IN vrbe Montenſi eſt monaſterium Vallis Scholarium, à *Margarita* Flādriæ & Hannoniæ Comitiſſa an. 1251. fundatum. Ex hoc monaſterio *Ioannes Euſtachius*, prophetiæ ſpiritu clarus, ad inſtitutum Ciſtercienſe tranſijt, & amotis monialibus, primus Abbas Iardineti fuit. Ætatis 75. anno eam dignitatem abdicauit, vt ſoli Deo vacaret. Totos annos ſeptem vino & cereuiſia abſtinuit, obijtq; anno Chriſti 1481. ætatis 78.

S. GE-

S. GERVLPHVS martyr. *Sept.21.die.*

MErendræ, ſecundo lapide à Gandauo natus, illam ipſam ſui iuris vil'am, Trunciniẽſi monaſterio dedit, in quo & ſepeliri voluit, cùm ab immani parricida lethale vulnus accepiſſet. Vixit temporibus Eliſei Nouiomenſis ac Tornacenſis Epiſcopi circa an. 750. *Drongẽ. Iun.20.*

De SS. MAVRITIO, Exuperio, & alijs martyribus Thebęæ legionis.
Martyrol. Rom. Sept. 22. die.

CVm *Maximianus* Imperator, ducto in Galliam exercitu, in finibus *Sedunorum*, ſacrificij cauſſa, conſtitiſſet, Thebæorum legio, ne ſe impiorũ ſacrorum ſocietate contaminaret, à reliquis copijs diſceſſit. Quare Imperator miſit ad eos milites, qui ſuo nomine nuntiarent, vt, ſi ſalui eſſe vellent, in caſtra ad ſacrificia redirent. Qui ſe Chriſtiana religione impediri reſponderunt,

derunt. Quorum reſponſum ille indignißimè ferens, immiſſa parte exercitus in Thebæos, decimum quemq; eorum primùm occidi iuſſit; ac deinde reliquos omnes conſtantißimè

An. 298 Chriſtum prædicantes X. Kal. Octobris ab vniuerſo exercitu trucidari imperauit.

Ceterùm etſi cædes Thebeæ legionis primùm *Octoduri* ſit imperata, maior tamen pars eſt *Agauni* trucidata; & poſtea plurimi ex eadem legione milites *Colonæ Agrippinæ* ad Rhenum, *Sanctis* in Cliuia, *Veronæ* in Friſia, & alibi

Oct. 10 pro Chriſto ſunt occiſi.

Eſt autem *Agaunum* opidum (quod

S. Mauris. hodie S. *Mauritij* dicitur) in diœceſi Sedunenſi apud Rhætos, vulgò Griſones ſitum, vbi *Sigiſmundus* Burgundiæ Rex, in honorem S. Mauritij ac ſociorum, inſigne monaſterium conſtruxit. Corpus porrò S. Mauritij *Carolus Emanuel Philibertus*, Sabaudiæ Dux, Agau-

Turin. no Auguſtam Taurinorum noſtra ætate transferendum curauit: vt tradit Ph. Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ.

Italiæ. Apud eoſdem Sabaudiæ Duces in magno honore eſt *S. Mauritij annulus*, dono acceptus ab Abbate Mauritij Chablaſienſis, quod exiguæ regionis nomen eſt. Nam quoties aut Duces moriuntur, aut imperio cedunt, ad ſucceſſorem mittunt annulum iſtum, quaſi mutati imperij indicem: vt Papirius Maſſonus in Elogijs Ducum Sabaudiæ narrat. *S. Mauritij annulus.*

Inter vetera Concilia celebre eſt *Concilium Epaunenſe*, quod plerique putant apud Agaunum fuiſſe celebratū, adeòque Agaunenſe, & non Epaunēſe nuncupandum eſſe. Alij ſuſpicantur apud *Epamanduodurum*, aut potiùs apud *Eponam*, ſeu ciuitatem Equeſtrem, in Burgundia, id celebratum fuiſſe: qua de re Chiffletium conſule. *Concilium Epaunēſe.*

Octodurus vrbs olim Epiſcopalis Veragrorum (quorum Iul. Cæſar meminit) vi aquarum perijt, & locus hodie *Martinach* ſeu *Martenach* dicitur, ab arce olim vrbi imminente. Apud Andegauenſes, in baſilica cathedrali S. Mauritio ſacra, eiuſdem Gladius, va- *Octodurus, hodie Martiniacū.* *S. Mauritij gladius.*

ginæ argenteæ inditus, adſeruatur.

S. Mauritij ac ſociorum illuſtriſſimam de idololatria victoriam *Eucherius* Lugdunenſis Epiſcopus ad Siluiũ Epiſcopum, egregiè deſcripſit: quem commentarium, in Surianos tomos relatum, Notis illuſtrauit *Petrus Stewartius*, ex Doctore Theologo Ingolſtadienſi, Vicarius generalis Leodicenſis, & Ingolſtadij an. 1617. edidit. Eamdem verſibus deſcripſerunt *Marbodus* Redonenſis Epiſcopus, & *Sigebertus*: quorum opera Gemblaci manuſcripta exſtant.

S. Exuperius. S. EXVPERIVS, vexillifer Thebæę legionis (cuius in tabulis Martyrologij Romani diſertè fit mentio) temporibus *Othonis I.* Cæſaris, Gemblacum eſt tranſlatus; *S. Guiberto* illius monaſterij fundatore, id procurante.

S. LINVS Papa.

Martyrol. Rom. Sept. 23. die.

PRimus poſt B. *Petrum* Apoſtolum Romanam eccleſiam gubernauit, & mar-

& martyrio coronatus, ſepultus eſt in Vaticano, prope eumdem Apoſtolum. Idem apud Biſontinos Euangeliũ prędicaſſe traditur; & primus inter illius vrbis Epiſcopos recenſetur: vt Chiffletius fusè in Veſontione, Lugduni an. 618. edita, explicat. *Beſançon.*

S. ERMENFREDVS *Abbas. Sept. 25. die.*

QViescit in vico diœceſis Biſontinæ, vulgò *Santoche* nuncupato, non procul à *Cuſancia*: cuius loci Abbas fuit. Vide ſupra pag. 39.

S. HILTRVDIS virgo.
Martyr. Rom. Sept. 27. die.

PAtre *VVigberto* Comite, & *Ada* matre nata, *Hugonem*, Burgundionum Principem, ſponſum in terris fugiens, à *Theodorico* Cameracenſi Epiſcopo ſacrum velamen accepit, & annis ſeptemdecim, velut altera Anna, mundo mortua, ſoli Deo viuens, recluſa permanſit in cellula, quam ſibi fabrican-

dam curarat, ponè monaſterium Lætienſe, quod an. 751. ſupra nominati parentes eius dotauerant. Sacra eiuſdem oſſa *Erluinus* Cameracenſis Antiſtes an. 1006. è terra leuauit, & in loculo decenter poſita ſuper altare S. Lamberti collocauit. Quieſcit etiamnum in Lætienſi Benedictinorũ apud Hannones Abbatia, quam patrũ memoria V. *Ludouicus Bloſius*, vitæ morũque integritate, & libris aſceticis in lucem editis, nobilitauit. Vbi & vitæ hiſtoria ms. legitur, cum reliquis Belgicis breui, vt ſperamus, à R. P. Heriberto Roſvveido publicanda.

Lieſſy.

Ceterùm magna olim religioſorum, ex vtroque ſexu, hominum frequẽtia, paſſim per omnem orbem Chriſtianũ, fulgebat, qui ædiculis & caſis (quas *Clauſulas* vel *Incluſoria* appellabant) ſolos & vnicos ſeſe includebant; vbi intra anguſtias ſeptorum, velut in vmbra mortis, de morte præſenti ac futura vita meditabantur. Ex his nonnulli in ſiluis aut agris, alij iuxta eccleſias aut monaſteria ruri conſtituta, alij etiã

medijs

medijs in vrbibus, extra vrbes, in mũdo extra mundum, mortui ante mortem, & ante ſepulturam quodammodo ſepulti, in tenebris, turribus, ſpelęis aut conditorijs agebant. Vulgò autem *Incluſi*, vel *Recluſi*, aut *Clauſi* nuncupabantur. Tales apud Belgas ac Germanos fuere; *Columbanus* apud Gandenſes, *Aibertus* apud Criſpinienſes, *Drogo* apud Seburgenſes, *Iuetta* apud Huienſes, *Simeon* apud Treuerenſes, *Hiltrudis* apud Lætienſes, *Marianus Scottus*, *Fintanus*, & alij. Tales item apud Græcos & Orientales fuere, *Acepſimas*, *Alexandra*, *Chorybita*, *Addas*, *Nathanael*, *Marcianus Cyrenſis*, & alij, quos Matthæus Raderus in Viridario Sanctorum, parte 3. cap. 5. celebrat. *Cluyſenaers*. *Sancti Clauſi*.

S. Hieronymus cum de Paulo anachoreta ſcribit, inter alia de Clauſis addit: *Ieſum teſtor & ſanctos Angelos eius, in ea eremi parte, quæ iuxta Syriam Saracenis iungitur, vidiſſe me monachos, de quibus vnus per triginta annos clauſus, hordeaceo pane & lutulenta aqua vixit: alter in ciſterna veteri quinque caricis per ſingulos*

dies ſuſtentabatur. Ex quo liquet, iã inde à primis Eccleſiæ temporibus fuiſſe qui clauſi vitam in tenebris & antris traducerent. Neque deſunt hodie apud Belgas viri aut feminæ, qui ſolemni ceremonia Deo initiati, & religioſa veſte à Præſulibus donati, cellis ſe includunt, ex quibus ſe nunquam egreſſuros promiſerunt. Habemus exẽpla domeſtica præ oculis *Bruxellæ, Antuerpiæ, Louanij, Gandaui* & alibi.

B. Colũbanus. Ex iſto Incluſorum numero fuit, vt dixi, *B. Columbanus, Abbas Hibernienſis, qui an. 957. ſeipſum incluſit Gandaui, in cœmiterio S. Bauonis IV. Non. Eebruarij, & vita ibidem ſanctè peracta ſequenti anno obijt XV. Kal. Martij, in crypta B. Mariæ ante altare S. Andreæ, in Gandenſi monaſterio ſepultus:* vt in ms. Chronico Gandenſi me legere memini.

De Lætienſis porrò eccleſiæ Reliquijs ex Oriente tranſmiſſis, diploma *Theodori* Patriarchæ Antiocheni anno 1208. & alterum *Henrici* Imp. Conſtãtinopolitani an. 1218. datum, vide apud Molanum in Natalibus Belgicis, hoc die.

B. *Ioannes Gandauenſis*, eremita 29. *Sept.*

VVlgò *eremita S. Claudij* nuncupabatur; fortaſſis eò quòd ad S. Claudij fanum, in Burgundia celebre, piā ſæpiùs peregrinationem inſtituiſſet. Ob ſanctitatis opinionem, Regibus Galliæ & Angliæ, tunc inter ſe belligerātibus, carus fuit. Obijt autem anno 1419. *Trecis* in Campania, regni Galliæ prouincia, ibidem ſepultus apud Dominicanos, & è terra eleuatus per *Ludouicum* Epiſcopum Trecenſem, petente *Ludouico XI.* Galliæ Rege: qui & per litteras inſtitit apud Romanū Pontificem pro eius canonizatione: vt fusè narrat Nicolaus Camuzęus in Promptuario Antiquitatum Trecenſium, ibidem anno 1610. edito. *Troyes en Chāpaigne.*

S. LEOPARDVS martyr.
Martyrol. Rom. Sept. 30. *die.*

FVerat ex domeſticis Iuliani *A*poſtatæ, & ob Chriſtianæ legis profeſſionem

ſionem, caput ipſi Romæ eſt amputatum. Corpus poſtea Aquaſ-Grani tranſlatum fuiſſe, ex ipſis Faſtis Romanis conſtat. Vide Ioannem Becanũ in Hiſtoria vrbis Aquiſgranenſis, ibidem an. 1619. publicata.

OCTOBER.

S. BAVO confeſſor, Gandauenſium patronus. *Martyrol. Rom.* 1. *Oct. die.*

BAuo, qui & Alouuinus eſt dictus, *Agilulfi* in Hasbania Comitis filius, abdicata ſeculari militia, per *S. Amandum* Traiectenſem Epiſcopum ad mũdi contemptum adductus, Gandaui in monaſterio S. Petri à ſe fundato an. 630. obijt, vt Sigebertus in Chronico ſupputat, aut anno proximè ſequenti, vt Theodericus Abbas *S.* Trudonis tradit.

Eccleſia

Eccleſiæ cathedralis Gandenſis origo & progreſſus.

AMandus Traiecti ad Moſam Epiſcopus, vir Apoſtolicus, in eccleſia Gandenſi, quam opibus præcipuè *B. Baudnis* fundauerat, non monachos initio, ſed clericos ſæculares ſimul viuentes conſtituit. Cùm autem illi à primæua ſua ſanctimonia degenerare, ac licentiùs viuere inciperent, amotis illis, monachos ibidem ordinis S. Benedicti collocauit, dato illis Abbate *Florberto*, raræ pietatis viro: qui primus vtriuſque ſimul monaſterij, D. Petri Gandenſis & Blandinienſis, curam & adminiſtrationem geſſit.

Sic conſtituta Eccleſia magnos ſenſim in virtute puræque religionis cultu, & obſeruatione profectus fecit. Adeoque abundare etiam cæpit viris doctrinæ & religionis laude clariſſimis; vt cùm anno Chriſti 752. Gandaui excitaretur ciuilis motus, propter Sanctorum imagines, multique *An.* 752

cas,

eas, tamquam idolatriæ inſtrumenta, è templis eijciendas clamarent, *Hildebertus* VIII. Abbas Gandenſis, fautoribus impijſſimi Cæſaris *Conſtantini*, cognomento *Copronymi*, fortiter ſe opponeret, piumque imaginum cultum, aduerſus hæreticos, non modò verbis eruditiſſimis, ſed ſanguinis etiam ac vitæ profuſione confirmaret. Quamobrem & inter beatos martyres haut immeritò relatus eſſe creditur. *Einardus* ſeu *Eginhartus*, Caroli Magni Imperatoris Cancellarius longè doctiſſimus, Abbas Gandenſis decimus quintus fuit, qui reliquias SS. Petri & Marcellini ex vrbe Roma Gandenſi ſuæ Eccleſiæ procurauit.

B. Hildebertus.

Hæc Abbatum monachorumque D. Bauonis ſanctimonia, doctrina, & conſtantia rem Eccleſiæ, terrenaſque poſſeſſiones non parum auxit. Atque ita fiebat, vt multorum Principum gratiam & fauorem ſibi mirificè conciliarent: Vt non modò Flandriæ Comites varij, ſed etiam diuerſi Imperatores, nominatim *Carolus Magnus*,

Lu-

Ludouicus Pius, & *Otho II.* multa,eaque pulcherrima priuilegia Eccleſiæ S. Bauonis donarint, & prædijs eā haut parum locupletarint.

At verò poſt *Einardi* Abbatis felicia tēmpora, ſecutus eſt mox Eccleſiæ rerum ſtatus triſtiſſimus. Anno enim 851. *Normanni* barbara crudelitate, *An.851.* eccleſiam D. Bauonis, vnà cum alijs Flandriæ compluribus monaſterijs, concremarunt, totamque Flandriam indignis modis vaſtarunt. Quorum metu perculſi *Enkericus* Abbas, & monachi, vnà cum corpore D. Bauonis, aliorumque Sanctorum reliquijs, & cunctis eccleſiæ munimentis, ad opidum *S. Audomari* ceu tutiorē ac muni- *S.Omer* tiorem locum, fugerunt.

Poſtea autem *Taſradus* Abbas, ſucceſſor Enkerici, animaduertens ſe cū monachis ſuis, & Sanctorum reliquijs ne quidem in S. Audomari opido ſatis tutum fore, cum omnibus *Laudunum*, *Laon.* Galliæ vrbem, conceſſit. Tantaque fuit in Flandria calamitas, vt monachi S. Bauonis totos propemodum centū

annos

annos exulare, perque diuerſas vrbes & regiones peregrinari cogerentur: ſemper tamen corpus D. Bauonis, aliorumque Sanctorum, ceu theſaurũ longè omnium pretioſiſſimum, ſecum diligentiſſimè ac religioſiſſimè circũferentes, eorumque potiſſimùm pręſentiæ fiducia, ſe tantis in miſerijs vtcumque conſolantes. Et quamquam huc illucque oberrare cogerentur, ſimul tamen ſemper & in communi viuebant, ſubque vnius obedientia capitis ſeſe humiliter continebant; ſimulatq; Abbas ex humanis deceſſiſſet, aliũ ſtatim in eius locum, nihil obſtante exilio, eligentes.

Tandem *Arnulfus Magnus*, Flandriæ Comes, hortatu *Transmari*, Nouiomẽſis ac Tornacenſis Epiſcopi, cænobiũ D. Bauonis inſtaurauit, eiuſdemque & aliorum ſacras reliquias Lauduno primùm Gandauum in capellam Noui caſtelli (nunc Pharaildis) donec monaſterium S. Bauonis eſſet reædificatum, inde poſtea ad ipſum monaſterium, innumerabili populo, ingenti cũ lætitia,

lætitia, comitante deferendas curauit. Et vt quàm feliciſſimè omnia ſuccederent, *Gerardum Bronienſem*, eximiæ virtutis virum, huic cœnobio Abbatē XX. præfecit. Qui cùm annos plùs minùs XV. ſumma cum laude præfuiſſet, adminiſtrationem *Hugoni*, vni ex monachis B. Bauonis, cedens (*Arnulfo* Comite, & Epiſcopo Tornacenſi *Rodulpho* comprobantibus) ad Bronienſes ſuos reuerſus eſt. Incidit hæc inſtauratio cœnobij D. Bauonis in annum Chriſti nongenteſimū quadrageſimum: & proximo anno Gādaui primam eccleſiam parochialem *Tranſmarus*, Epiſcopus Tornacenſis, in honorem D. *Ioannis Baptiſtæ*, & SS. *Vedaſti* ac *Bauonis* dedicauit.

S. Gerardus. Oct. 3.

An. 940

Cœpit autem ſtatus monaſterij S. Bauonis immutari, anno Domini ſeſquimilleſimo triceſimo ſeptimo, cùm monachi, auctoritate *Pauli III.* Rom. Pontificis, mutata veſte, facti ſunt Canonici ſæculares, petente *Carolo V.* Imperatore, eodēq; Comite Flādriæ. Sic ex vniuerſo monaſterij corpore (pręter

Anno 1537.

ter primariam *Præpoſituræ* dignitatē, & quattuor inferiores dignitates, *Decanatus* nimirum, *Cantoriæ, Theſaurariæ* & *Scholaſtriæ)* viginti quattuor Canonicatus ac præbendæ erectæ ſunt. Atq; ita tandem eo in loco ad primæuam inſtitutionem, cuius ſupra meminimus, iterum eſt ventum. Triennio autem poſtea, cùm locus ille B. Bauonis, ad Scaldis & Liſæ confluentem ſitus, *Carolo V.* Cæſari videretur arci ad cuſtodiam vrbis excitandæ commodus, tranſlatum eſt inde collegium Canonicorum ad dictam parochialem S. Ioannis eccleſiam Gandenſem, priùs, per eiuſdem Romani Pontificis decretum, titulo S. Ioannis in titulum B. Bauonis mutato. Exinde *Philippo II.* Hiſpaniarum Rege Catholico, Flandriæque Comite petente, *Paulus IV.* Pont. Max. collegiatam B. Bauonis eccleſiam in cathedralem an. 1559. euexit; tribus alijs dignitatibus, *Archidiaconatus*, *Archipreſbyteratus*, & *Pænitentiariæ* ad priores adiectis. Sic ferè legitur in Officijs proprijs Eccleſiæ Gan-

Gandenſis, à *Cornelio Ianſenio I.* Epiſcopo Gandenſi approbatis, & anno 1572. editis.

S. PIATVS martyr. *Rom. Mart.*

PIatus ſeu Piato, presbyter & martyr, cum B. *Quintino*, eiuſque ſocijs ab vrbe Roma in Galliam prædicationis cauſſa perrexit, ac poſtea in perſecutione Maximiani, martyrio Tornaci conſummato, migrauit ad Dominum. Vide ſupra 1. Februarij.

S. REMIGIVS Remenſis Archiepiſcopus.

FRancorum gentem ad Chriſtum cōuertit & *Clodoueum* ipſorum Regem, natione Geldrum (vt ſupra pag. 107. probauimus) an. 496. baptizauit. Atrebatibus & Cameracenſibus *Vedaſtum*, Tungrenſibus *Agricolaum*, Tornacenſibus *Theodorum*, Morinenſibus *Antimundum*, & Colonienſibus *Aquilinum* an. 497. Epiſcopos dedit; rem de- *Pag. 77.*

nique Chriſtianam apud Belgas ac Germanos inferiores reſtituit, ac mirificè propagauit. Eccleſiæ Atrebatẽſi villas duas, *Ortos* & *Sabucetum*, teſtamẽti tabulis legauit, & circa annũ Chriſti 525. demum obijt, quieſcitque Remis in ſui nominis baſilica.

Pag. 78.

S. WASNVLFVS Epiſcopus.

NOn ſatis fuit Scotis doctrinam Chriſtianam apud Hębridũ, Orcadum, aliarumque inſularum vicinarum incolas publicaſſe, ſed ſuis minimè contenti anguſtijs apud exteras etiam gentes ſummo eam ſtudio propagarunt. Huius rei teſtes ſunt S. *Mãſuetus*, primus Tullenſium in Lotharingia Epiſcopus, S. *Rumoldus* Machlinienſium patronus, S. *Colmanus* martyr, S. *VVaſnulfus*, & alij innumerabiles. Idem teſtantur plurima Scotorum olim per Germaniam monaſteria, in his *Ratiſponenſe* S. Iacobi in vrbe, & alterum *Ratiſponenſe* S. Petri extra muros vrbis, *Erfordiẽſe* S. Iacobi in d. Moguntina,

Scotorũ monaſteria.

guntina, *Herbipolenſe* S. Iacobi, *Colonienſe* S. Martini, & alterum *Colonienſe* S. Pantaleonis, *Argentinenſe* S. Thomæ, *Viennenſe* S. Iacobi, *Eichſtadienſe*, *Noribergenſe* & *Conſtantienſe*: ex quibus tria hodieque Scoti poſſident, *Ratiſponenſe* *S. Iacobi*, *Erfordienſe*, & *Herbipolenſe*. Idem teſtantur *Foſſenſe* in diœceſi Leodicenſi, & *Bobienſe* in Italia, olim Scotorum pariter monaſteria: de quibus nos particulatim in Notitia Abbatiarum orbis Chriſtiani egimus.

Ceterùm *vir Dei S. VVaſnulfus, generè Scotus, curſu peregrinationis conſummato apud villam Condatum, vbi nunc eſt monaſterium Canonicorum, cum patribus in pace obdormiuit, omnemq́; locum miraculis illuſtrauit:* vt Baldericus lib. 2. cap. 42. in Chron. Cameracenſi loquitur.

Eſt autem Condatum, vulgò *Condet* ſeu *Condè*, vt pronuntiamus, Hānoniæ opidum, ad Scaldis & Hainæ confluētem ſitum, olim *Borboniæ*, nunc gentis *Croyæ*: à quo primus regij in Gallia ſanguinis Princeps titulum hodieq; mutuatur. In hoc opido eſt collegium *Prince de Cōdé*

XXIV. Canonicorum, qui S. Waſnulfi patroni ſui corpus religioſè adſeruant. Floruit an. 651. temporibus
Iul. 14. *S. Vincentij* Hannoniæ Comitis, qui plurimos ex Scotia & Hibernia aduenas fouit.

S. LEODEGARIVS Auguſtodunenſis Epiſcopus. *Martyr. Rom. Oct. 2. die.*

ANno 666. iuxta Sigeberti ſupputationem, *Theodericus, Clodouei ex Bathilde filius, poſt Clotharium fratrem (qui prior in regnum patris cum Bathilde matre ſucceſſit) ſummam regni ſuſcepit, renitentibus plurimis ex Francorum Principibus, maximè propter Ebroinum, qui Maior domus regiæ illis permoleſtus erat. Vnde conſurgentes aduerſus Theodericum & Ebroinum, vtroſque tonſis capitis crinibus, in Luxouio, Burgundiæ monaſterio recludunt, & Childericum tertium fratrem (qui in Auſtraſijs partibus imperabat) ſuper cunctũ regnum ſuſcipiunt. Sanctum verò Leodegarium Auguſtodunenſem Pontificem ſuper domum Regis conſtituunt. Sed non multò pòſt Frãci,*

Regem

Regem propter leuitatem & inſolentias ſuas non ferentes, coorta ſeditione, eum interfecerunt. Sicq; Theodericus in regnum, Ebroinus verò in priorem gradum reſtituitur. Qui æſtimans ſe memorati Pontificis factione ab antiqua poteſtate deiectum, crudeliſſimis eum tormentis affecit, & in territorio Atrebatenſi decollari fecit in loco, qui dicitur Silua S. Leodegarij, *ſepultuſq; eſt in villa quæ dicitur* Sercin, *quæ eſt in confinio* Sercin. *Cameracenſis Epiſcopij & Morinenſis. Nec mora, miraculorum eius fama circumquaque diffuſa ad palatium Regis vſque celebriter innotuit. Vbi tunc fortè inter ceteros proceres* Anſoaldus *Pictauienſium*, Hermenecharius *Auguſtodunenſium Epiſcopus & S.* Vindicianus *Cameracenſis Epiſcopus, aderant. Quorum primus martyris corpus, monaſterij quodam & conſanguinitatis priuilegio, vindicare cupiens, alter verò Epiſcopatus iura præferens,* Vindicianus *autem, locum martyrij & ſepulcri, quem in diœceſi ſua martyr ſuſceperat, conteſtatus, hanc inter ſe non improbandam diſceptationem confecerant: donec ex ſententia cæterorum Pontificum, tribus epiſtolis, horum trium nomini-* An. 672

bus ſubſcriptis , *& confuſè ſub palla altaris obtectis, factaq́ oratione, Pictauienſi Epiſcopo, ex indicijs ſanctum corpus deberi declaratum eſt.* Ita Baldericus lib. I. cap. 20. & ſeq. in Chron. Cameracenſi.

S. BEREGISVS Abbas, & fundator monaſterij Andainenſis, quod nunc S. Huberti dicitur: vbi & quieſcit.

COlitur *Sarchinij* ad S. Trudonem, & *Andaini* ad S. Hubertum : quæ duæ nunc ſunt Benedictinorum Abbatiæ in diœceſi Leodicenſi. Sarchinij quidem (quod hodie eſt S. Trudonis opidum & monaſterium) Beregiſus litterarum ac pietatis rudimenta hauſit. Grandior factus, vt erat nobili genere natus, cùm in aula *Pipini Heriſtallij* verſaretur, ab eius cõiuge *Plectrude* locum in media ſilua Arduenna (qui *Andainum* ab *Andaina* contiguo fonte dicebatur) dono accepit , & in eo monaſterium à fundamentis ædificauit, quod S. *Huberti*, eò poſtea tranſlati,

lati, nomen induit. Vixerunt autem Andaini primùm clerici ſeu Canonici regulares: quibus amotis *Valcandus* Epiſcopus Leodicenſis Benedictinos ſubſtituit: vt Ionas in Hiſtoria tranſlationis S. Huberti commemorat. Ex quo Molanus hoc loco rectè colligit, in S. Trudonis quoque monaſterio, ex primæua inſtitutione, non monachos, ſed clericos ſeu Canonicos regulariter vixiſſe: quod & legere me memini lib. 1. cap. 16. in Chronico ms. Trudonenſi.

De duobus fratribus & martyribus SS. EVVALDIS.

Martyrol. Rom. 3. Oct. & Surius.

DVo martyres Evvaldi, presbyteri, natione Angli, anno Chriſti 693. in prouincia antiquæ Saxoniæ, quæ nunc *VVeſtphalia* dicitur, ob prædicationem Euangelij, à paganis occiſi ſunt. Erat vtrique nomē *Evvaldus*, ea tamen diſtinctione, vt pro diuerſa capillorum ſpecie, vnus *Niger*, alter

Albus diceretur ; ambo vnius vt religionis, ſic & vocabuli fratres. Corpora autem ab homicidis impijs in Rhenum proiecta, contra impetũ fluuij decurrentis, per quadraginta ferè paſſuum millia, ad eiuſdem ſacræ profeſſionis ſocios aliquot, radio lucis permagno deſuper fulgente, trãſuecta ſunt, & digno martyribus honore ſepulta. Quo comperto, glorioſus Dux Francorum *Pipinus* adducta ad ſe Sãctorum corpora, ſplendidè admodum condidit. Quieſcunt autem Coloniæ in collegiata S. Cuniberti baſilica, capſæ inauratæ incluſa. Vide Winhemiũ in Sacrario illius vrbis.

S. GERARDVS Abbas Bronienſis, in diœceſi Namurcenſi.
Martyrol. Rom. & Surius.

GErardus apud *Stablecellas*, Lomacenſis territorij vicum, patre *Stãtio*, ex proſapia Haganonis Auſtraſiorum Ducis, matre *Plictrude*, Stephani Tungrorum Epiſcopi ſorore, procreatus

tus eſt. Is tanta in rebus agendis prædıtus erat prudentia ; vt Comes Namurcenſis *Berengarius* ipſi difficiliora quæq́ue magiſq́ue arcana committeret. Cùm autem die quodam idẽ Comes venatum cum ſuis iuiſſet, ſanctumq́ue virum ſecum duxiſſet, *Gerardus* ſpiritualia corporalibus anteponẽs propinquam *Brony* adijt eccleſiã (quod prædium cum adiacentibus, ad ipſum hereditario iure deuolutum erat) vt ibidem diuinis myſterijs intereſſet. Dũ verò ſacerdos, qui illa perageret, exſpectatur, cæleſti viſione monetur, eo in loco oratorium conſtruere. Quo exſtructo, & copioſis prædiorum reditibus dotato, ibidem clericorum ſodalitatem inſtituit. Pòſt valedicens mundo & Comiti, monaſticã induit veſtem, extra Pariſios in S. Dionyſij monaſterio: vbi inſtar quinquẽnis pueri, prima ſolidæ pietatis elementa didicit, & paulatim presbyterij gradum attigit, nono à conuerſione ſua anno. Exinde vir ſanctus ſacra *Eugeny* Toletani Archiepiſcopi pignora

ra

ra, pro Bronienſi eccleſia, ab Abbate S. Dionyſij obtinuit. Tum ſtatim aſſumptis ſecum aliquot ſuæ profeſſionis monachis, Bronium repetijt, & ibidem pro clericis, monachos ſubſtituit. Denique poſtquam pater & Abbas octodecim monaſteriorũ fuiſſet, & in eis peruigili cura omnia adminiſtraſſet; ad Bronienſe monaſterium
An.958. ſe recepit, ibique anno nongenteſimo quinquageſimo octauo feliciter in Domino quieuit. Sic ferè legitur in Officijs proprijs Eccleſiæ cathedralis Namurcenſis: cui Epiſcopatui annexa eſt dignitas Abbatialis Bronienſis.

Inter monaſteria, quæ S. Gerardus rexit & reformauit, fuerunt iſta; *Blandinienſe*, *Bauonicum*, *Bertinenſe*, *Giſlenianum*, *Marchianenſe*, & alia Belgica. *Stephani* Papæ diploma, quo Bronienſis monaſterij fundationem, *Gerardo* petente, confirmauit, exſtat in Originibus noſtris Benedictinis.

V. *Vrbanus* IV. *Papa. Oct.* 4. *die.*

NAtus eſt Trecis in Campania: qua in vrbe templum, S. Vrbani martyris titulo inſignitum, ædificauit, & Canonicos XII. in eo poſuit ac dotauit, qui ſingulis annis die 4. Octobris ſolennes ad animæ illius expiationẽ precationes inſtituunt: vt Nic. Camuzæus in Promptuario Antiquitatum Trecenſium commemorat. Quod notare hîc viſum eſt, ne quis huic Vrbano IV. Papæ templum iſtud Trecenſe dicatum exiſtimet: vt Molanus, ab Iperio Chronographo Bertinenſi deceptus, putauit. Ante Pontificatum *Iacobus Trecenſis* nuncupatus, diu Leodici, vt Archidiaconus, reſederat; & feſtiuitatem corporis Chriſti, quam Leodici priuatus celebrarat, vltimo ſui Pontificatus anno, per vniuerſam Eccleſiam celebrari quotannis mãdauit. Vide ſupra 5. Aprilis.

Troyes en Champaigne.

Sept. 30.

V. *Fran-*

V. *Franciſcus Titelmannus.*

HAſſeleti in ditione Leodicēſi natus,adoleſcens,rebus ſæcularibus valere iuſſis,Franciſcanæ familiæ nomen *Louanij* dedit. Ibidem apud ſuos ſacras litteras annos multos explicuit, & exſurgentes hæreſes, quà voce,quà libris editis, inter primos acriter oppugnauit. Inde *Lutetiam* ac demū *Romam* profectus, audito rigidiorem ſui ordinis regulam in vſum reuocari, ad ſupremum pietatis apicem totis præcordijs anhelauit. *Capucinis* itaque in ſacra & æterna Vrbe adſcriptus, dum publico in Xenodochio lepra alijſque morbis laborantes curat, à Belgis agnitus & rogatus, *Cur non hîc, Pater, vt olim Louanij,ſacras litteras profiteris?* Ille ad leproſos eos deducens, *Ecce*,inquit, oſtenſis ægrotis, *Hic meus Auguſtinus, Hieronymus, Chryſoſtomus, & Baſilius eſt.* Contemplationem ad actionem reuocandam eſſe,vir verè pius ſignificabat. Pòſt Romanæ prouinciæ præfectus,

tus, optimè rem geſſit, obijtque anno 1553. *Anticoli*, Romano in agro, cùm vix 46. ætatis annum attigiſſet. Cuius ſanctitatis opinio adeò mentibus hominum inſedit, vt ad mortui corpus, quod annos aliquot integrum manſit, continenter hominum concurſus fierent.

V. *Adamus Saſboldus.*

DElfis Batauorum patritia familia natus, Latinis, Græcis, & Hebraicis litteris eruditus, cùm *Louanij* inter æquales excelleret, mutata velificatione, religioſum vitæ genus animo agitare cæpit. Sed vt deliberatio de certo vitæ curſu ineundo omniũ ſolet eſſe difficillima, multa, eaque dubia, & impedita cogitatio (quod & de ſe ipſo magnus ille *Auguſtinus*, in libris Confeſſionum, candidè fatetur) fluctuantem adoleſcentis animum exagitauit. Cum pijs itaque hominibus cõmunicato ſæpe conſilio, dum anceps animi pendet, multiſque cogitationũ flucti-

fluctibus agitatur (vt ipſe in eleganti Homilia de Magis tribus edita profitetur) Deo precibus , meditatione, nocturniſque vigilijs demùm conſulto, ad D.Franciſci familiam, illo impellente, vocari ſe ſenſit. Eam itaque inijt, hoc ſcripto conditoque teſtamento:

Quàm ſit vita breuis,quã ſit via lubrica, quamq́;
Mors incerta, bonis quæ præmia,quæq́; parata
Sint tormenta malis; horũ meditatio noſtra eſt.
Quod facimus,quod firmamus,quod & eſſe perẽne
Optamus teſtamentum. Saluete, valete,
Care pater, cari fratres, caræq́; ſorores.

Mox ſuis(quam docendi prouinciã *Titelmannus* antea geſſerat) Theologiã explanare cæpit. Sed vt optima quæque diu in terris perennare non ſolẽt, non diu vitalis , ætatis 36. Chriſti 1553. anno, quaſi terris tantùm oſtẽſus, ante diem ereptus eſt, & Louanij apud ſuos conditus.

De

De martyribus *Treuerenſibus* ſub Ri&ctiouaro paſſis.
Martyrol. Rom. Oct.6. die.

ANno Chriſti trecenteſimo ſecundo, atrox in Chriſtianos per totũ orbem à Diocletiano excitata perſecutio, etiam Belgicam noſtram miſerè lancinauit. *Fuſcianus* & *Victoricus* apud Ambianum, *Piatus* & *Chryſolius* apud Tornacum, martyrio affecti. Et licet Galliæ ſanguine martyrum exũdarint, conſtat tamen Treueris potiſſimũ huius certaminis campum conſtitutum fuiſſe; vbi Præſes Galliarum *Rictiouarus* vt plurimùm degere conſueuerat. Quorum numerum Eccleſia cũ inire non poſſet, eos vnica commemoratione coniunxit, per hæc verba: *Treueris commemoratio innumerabilium pœnè martyrum, qui in perſecutione Diocletiani ſub Rictiouaro Præſide, ob Chriſti fidem, vario mortis genere necati ſunt.* Vide Sigeberti noſtri Chronicon ad an. 1071. & ſupra 31. Aug. *An.*302

S.BRVNO, Carthuſianorum fūdator.
Martyrol. Rom. & Surius.

NAtus & Coloniæ Agrippinæ, & an. 1101. in Calabria obijt, per *Leonem X.* Papam Diuis adſcriptus. Vide Dorlandum, Petrum Sutorem, Arnoldum Boſtium, Theodorum Petreium, & Origines noſtras Carthuſianas, Coloniæ ſeorſim editas.

Commemoratio S. MARIÆ de Victoria. *Martyrol. Rom. Oct. 7. die.*

EAm *Pius V.* Pontifex Maximus, ob inſignem victoriam à Chriſtianis, bello nauali, eiuſdem Dei genitricis auxilio, an 1571. hac ipſa die, de Turcis, ad ſinum Corinthiacum, reportatam, quotannis fieri inſtituit: & *Gregorius XIII.* prima huius menſis Dominica die, annuam ſolemnitaté Roſarij eiuſdem B. Virginis celebrandam decreuit. Claſſi vniuerſæ, an. 1571. cōtra Turcas eductæ, ſummo cum imperio

Golfo di Lepāto.

perio *Ioannes Auſtriacus*, Caroli V. Imp. filius, præfuit, qui Belgicarum poſtea prouinciarum Gubernator, à fratre *Philippo II.* Rege Catholico conſtitutus, in caſtris prope Namurcum anno 1578. obijt; *Alexandro Farneſio*, Parmæ Placentiæque Duce, in Belgica præfectura ſuccedente.

S. SIMEON ſenex & propheta.
Martyrol. Rom. Octob. 8.

BEati Simeonis ſenis (qui in Euangelicis libris Dominũ IESVM ſuis in vlnis ſuſcepiſſe legitur) brachium religioſè adſeruatur in *Liſbornenſi* Benedictinorum Abbatia, primo lapide à Lipſtadio, diœceſis Monaſterienſis opido. *Lipſtadt* Cuius brachij dimidia pars, ab illius loci Abbate, an. 1621. dono data eſt *Alberto Pio* & *Iſabellæ Claræ Eugeniæ*, Belgarum Principibus. Reliquum eius corpus ſeruatur in baſilica metropolitana *Iaderenſi*, quæ vrbs & inſula *Zara.* eſt Venetorum in Liburnia.

S. BADILO Abbas Lutoſanus.

IN vico, qui dicitur Lutoſa, eſt monaſterium Canonicorum, quod in honorem Apoſtolorum Petri & Pauli conſtruxit B. Amãdus Traiectenſis Epiſcopus: & eſt diues Abbatia, vbi vir Dei venerabilis Badilo requieſcit, qui corpus S. Mariæ Magdalenæ Vizeliacum in Burgundiam attuliſſe fertur. Ita Baldericus lib. 2. cap. 43. in Chron. Cameracenſi.

Leuze. Eſt autem Lutoſa Hannoniæ opidum, mœnibus carens: habet tamen inſigne Canonicorum collegiũ. Cuius eccleſiæ primus fundator fuit S. *Amandus*, ſecundus autem *Gerardus Roſsillonius*, Burgundiæ Comes, qui temporibus Caroli Martelli floruit. Is prole deſtitutus varia fundauit ac dotauit monaſteria, ſeu Canonicorum collegia; inter quæ eminent *Vizeliacenſe*, *Lutoſanum* & *Antonienſe* prope Tornacum. Eiuſdem Gerardi hortatu, *Badilo* profectus *Aquas Sextias*, quàs Saraceni vaſtarant, illo ex tractu reliquias S.

Aix en Prouence.

Mariæ

Mariæ Magdalenæ Vizeliacum attulit: quo in loco & brachium ipſius S. Badilonis adſeruari traditur.

De S. RAGENFREDE, Abbatiſſâ Dononienſi, prope Valentianas, diximus ſupra 1. Iulij. *S. Ragēfredis.*

SS. VALERIA & POLLENA virgines ac ſorores.

HVnoniſ-curia tenue eſt opidum, in diœceſi quidem Cameracēnſi, ſed in ditione Regis Francorum, ad Scaldim, tertio milliari à Cameraco ſitum. Quo in loco *Amalfridus, vir illuſtris, cum vxore ſua Childebertana monaſterium fundauit, quod S. Vindicianus Epiſcopus Cameracenſis, vnà cum S. Lāberto Leodicenſi Antiſtite, in honorem S. Petri conſecrauit, ibiq́ clericos & ſanctimoniales conſtituit:* vt Baldericus lib. 1. cap. 24. teſtatur. Monialibus prima ibi præfuit *Auriana*, Amalfridi fundatoris filia; fuitque olim religione & opibus florens monaſterium: ſed à paucis poſtea Canonicis poſſeſſum fuiſſe, idem Bal- *Hunnecourt.*

 deri-

dericus lib.2.cap.10. tradit. Canonicis poſtea ſucceſſere monachi Benedictini, qui, hodieque locum illum obtinent; & multis ſæculis adſeruarunt corpus S. *Lietfardi* Epiſcopi, & corpora ſororum eius *SS. Valeriæ* & *Pollinæ*, ſeu *Pollenæ*: ſed an. 1558. ſæuientibus bellis, omnia perierunt. Illorũ tamen hodieque commemorationem in Officio Eccleſiaſtico faciunt, vt & S. *Valeriam* Canonici metropolitani Cameracenſes celebrant per Collectam.

Vide 4. *Febr.*

S. GISLENVS Epiſcopus.
Martyr. Rom. Octob. 9. die.

IS Angelica viſione monitus, ab Athenis digreſſus, curſum ſuæ peregrinationis in Galliam Belgicam direxit, & in loco, quem dicunt Cellam, non procul à Caſtriloco, monaſterium (auctoritate S. Autberti Cameracenſis Epiſcopi, ſed & S. VValdetrude, cui familiari dilectione inhæſerat, opitulante) fundauit. Eccleſiam verò, quam S. Giſlenus conſtruxerat, poſteà S. Autbertus, aſſumpto ſecum

Mons en Hainault.

ſecum B. Amando, in honorem Apoſtolorum conſecrauit. Ita Baldericus lib. 1. cap. 18. & lib. 2. cap. 40. in Chron. Cameracenſi.

Eſt autem Giſlenopolis Hanoniæ opidum, paluſtri loco inter Valentianas & Montes Hannoniæ ſitum: cuius muris incluſa eſt vetuſta Benedictinorum Abbatia, S. Giſleni titulo clara. Fuerat autem Giſlenus in Græcia monachus ord. S. Baſilij, vt teſtatur Ph. Eleemoſynarius, Abbas Bonæ Spei; qui vitam illius ſcripſit, vt & SS. *Amãdi, Foillani, Landelini, VValdetrudis, Saluij, Cyrici* & *Iulitæ*, itemque *B. Odæ*. *S. Giſlain.*

An autem primi Cellenſes monachi iuxta regulam S. Baſilij vixerint, non habeo quod certò ſtatuam. Hoc ſcio, in Cella olim Canonicos ſeu clericos vitæ communis vſque ad annum circiter 930. vixiſſe: quibus ob liberiorẽ vitam amotis, S. *Gerardus* Abbas Bronienſis (*Giſleberto* Lotharingiæ Duce, *Raginero Hannoniæ* Comite, & *Tietdone* Cameracenſi Epiſcopo, petentibus) monachos Benedictinos ſubſtituit. Id

cōnſtat ex vita eiuſdem S. Gerardi, per monachum quendam Bronienſem ad Gonterum Abbatem ſcripta, & à Surio edita.

SS. LAMBERTVS & BERLERIVS, diſcipuli S. Giſleni.

VTerque fuit presbyter, diſcipulus & cooperator S. Giſleni, in prædicatione Euangelica; & quieſcunt ſimul in feretro portatili, in parochiali templo opidi S. Giſleni.

S. OLLA Virgo.

NAta eſt, & vixit in vico, vrbi Cameracenſi vicino, in via Atrebatenſi, qui ab ipſa nomen trahit; eſtq; templum eius nomini dicatum.

B. *Goſuinus* Abbas Aquicinctinus.

AB Eugenio III. Papa euocatus, Remenſi concilio ſenex interfuit & an. 1196. magna ſanctitatis fama deceſ-

deceſſit. Vitam ſcripſit *Alexander* eius ſucceſſor, quæ Aquicincti ms. exſtat: cuius loci Chronicon quoque conſule, quod & in Rubra-Valle ms. vidimus. *Anchin.*

Eſt autem Aquicinctum illuſtris Benedictinorum Abbatia, ſecundo lapide à Duaco, an. 1079. à *Sichero* & *Gualtero*, viris illuſtribus, fundata: quod S. *Gordanium* eo loco quondam duxiſſe vitam eremiticam accepiſſent. *Ioannes Lentaillerus* Abbas Aquicinctinus an. 1570. in Academia Duacena ampliſſimum gymnaſium excitauit, & Patribus Soc. Ieſu regendum commiſit.

V. *Odo* Cameracenſis Epiſcopus.

ODo patria Aurelianenſis, eccleſiæ Tornacēſis Scholaſticus, vir doctrina atque ingenij monumentis (quæ hodieque exſtant) clariſſimus, anno 1092. Tornacenſe S. Martini monaſterium conſtruere cępit: qui locus per trecētos ferè annos deſertus iacuerat.

Ex Abbate factus poſtea Epiſcopus Cameracenſis, & demum ab Henrico IV. Imp. in exilium pulſus, Aquicincti an. 1113. obijt, ibidem conditus.

S. GEREON, & ſocij martyres, ex legione Thebæa.
Martyrol. Rom. 10. Oct. die.

MVltas olim colonias, arces, & caſtella ad Rhenum ac Moſam fluuios Romani collocarunt, vt hoſtiles Germanorum in Galliam irruptiones impedirent. Inter colonias eminuit ſemper Colonia Vbiorum, quæ *Agrippina* ſeu *Agrippinenſis*, ab *Agrippina Iulia* Neronis Imp. matre, eſt nuncupata: vt Corn. Tacitus lib. 12. Annalium commemorat.

Colonia Agrippina.

Coloniæ porrò Agrippinæ *S. Gereon*, & alij CCCXVIII. legionis Thebæ milites, Diocletiano & Maximiano imperantibus, anno circiter 298. pro Chriſti nomine martyrium fecerunt, eo ipſo loco, quo nunc rotunda baſilica, ipſis ſacra, viſitur, quam S. *Helena*, Con-

Conſtantini Magni mater, circa annum 301. ſpectabili opere, à fundamentis excitauit. Odeium ſeu chorum, vt vulgò nuncupant, poſtea S. *Anno* XXXIII. Colonienſis Archiepiſcopus adiecit. Eſtque S. Gereonis eccleſia inter collegiatus Colonienſes hodie ſecunda, in cuius frontiſpicio hi verſus, aureis litteris expreſſi, leguntur.

Regibus exemplum, ſacroq; cariſmate plena,
Condidit hoc templum S. Gereonis Helena,
Pagana nata, Iudæa fit, inde renata,
Inuentrix ſanctæ Crucis almo pneumate flãte,
Septuaginta duo collegia fundat amœna,
Donans perpetuò Thebæis mater Helena.
Diuitias peperit quaſi mater honorificata
Religio, quod ait ſententia Gregoriana,
Proleq; vaſtata mater, nec prole beata,
Dum diſciplina ceſſat, regnatq; ſimultas,
Deficit Eccleſiæ virtus, pariterq; facultas.

S. Gereonis ac ſociorum corpora in dicta baſilica humi defoſſa iacuerunt vſque ad annum Chriſti 1121. quo *Anno* *Norbertus*, ord. Præmonſtratenſis fun- 1121. dator, diuino monitu ea detexit, vtq; per *Fredericum I.* Archiepiſcopum Colonien-

lonienſem de terra leuarentur, effecit: vt Trithemius in Chronico Hirſaugienſi, & nos in Chronico Premonſtratenſi explicuimus. Eiuſdem S. Gereonis & aliorum martyrum Thebæorum reliquias, a dicto Archiepiſcopi acceptas, Norbertus partim Floreffiæ in diœceſi Namurcenſi, partim Præmõſtrati in d. Laudunenſi depoſuit, quæ hodieque reuerenter, vtroque in loco, adſeruantur.

S. VICTOR, eiuſque ſocij martyres CCCXXX. ex eadem legione Thebæa. *Martyr. Rom.* 10. *Oct.*

IN Martyrologij Rom. tabulis VI. Idus Octobris ſic legitur: *In territorio Coloniæ Agrippinæ, SS. Victoris & ſociorum martyrũ.* Vt porrò quiuis intelligat, quo loco S. Victor cum ſuis martyrio coronatus ſit, notandum eſt, haud lõgè à Rheno fluuio, in diœceſi Colonienſi, *Sanctenſe* opidum exſtare, quod à S. Victore eiuſque ſodalibus, eo loco paſſis, nomen accepit. Vnde in baſilicæ

Santen.

ſilicæ olim Sanctenſis veſtibulo, titulus iſte ſeu inſcriptio legi ſolet, *Ad Sanctos martyres*. Fecerunt autem martyrium anno circiter 298. Maximiano imperante, vt diximus.

Quorum quidem martyrum oſſa S. *Helena*, Conſtantini Magni Imp mater, poſtea è paludibus collecta, in loculis condidit, & æde ſacra collegioque Canonicorum (in *Coloniæ Traianæ* ruinis, opido ad *Vlpia caſtra* excitato) honorauit. Matris pietatem æmulatus *Conſtantinus*, Sanctéſi baſilicæ ius aſyli, agros, vectigalia & priuilegia varia indulſit: vt Steph. Pighius, Canonicus Sanctéſis in Hercule ſuo Prodicio commemorat. *Colonia Traiana, non Troiana*

SS. CASSIVS & FLORENTIVS, martyres ex eadem legione Thebæa, Veronæ ad Rhenum in Hollandia paſſi.

Martyrol. Rom. Octob. 10. die.

DE ſanctis hiſce martyribus ita legitur, in Martyrologio Romano:

Veronæ

Veronæ in Gallia, SS. martyrum Caſſij & Florentij, cum alijs plurimis. Eorumdē martyrum meminerunt Vſuardus & Ado in ſuis Martyrologijs. Baronius in ſuis Notis ad Martyrol. Romanum hoc loco, per Veronam putat intelligi *Bōnam*, opidum diœceſis Colonienſis Rheno adſitum: ſed ego veterem illam *Veronam*, olim ad Rhenum, haud procul ab Alcmaria Hollandiæ opido ſitam, & *Vrongeiſt* nuncupatam, exiſtimo deſignari. Quod vt pleniùs intelligatur, libet paulò altiùs hiſtoriam martyrum legionis Thebęæ repetere.

Verona ad Rhenum.

Anno circiter Chriſti 297. legio Chriſtianorum militum Thebæorum ex Oriente Romam eſt euocata, aduerſus *Amandum* & *Ælianum*, nouos tyrannos tunc exſurgentes. Qui quidem milites, dum in Palęſtina ſtationem habent, à *Zambda*, Epiſcopo Hieroſolymitano, fide Chriſtiana imbuti, pòſt Romæ à *Marcellino* Papa exhortatione firmati, cùm ſub Maximiano Imp. militarent in Gallijs, impia obire ſacrificia detrectantes, apud *Agau-*

Agaunum & *Octodurum* priùs militari more ſæpiùs decimati, ac demum immiſſo exercitu ſunt trucidati.

Sed & alij quoque eiuſdem legionis milites, qui antequam illorum fides ab Imperatore eſſet explorata, ab eodem, aduerſus *Carauſium* pariter tyrannum, in Belgicam fuerant amandati, varijs in locis, eiuſdem Maximiani iuſſu, pro Chriſto ſunt trucidati. De quibus *Helinandum* audiamus, qui rerũ geſtarum hiſtoriam, ex antiquioribus monumentis acceptam, contexuit; exſtatque apud Surium.

Maximianus Auguſtus, condunato exercitu, permixto tamen fidelium & infideliũ cœtu, feſtinus Alpium iuga tranſgrediens, Galliæ appropinquabat; ſoloq́; aduentu ſuo, Amando & Æliano ducibus tumultus perterritis, ſeditionis illius tempeſtatem facilè, ſine ſui exercitus damno, ſedabat. Comperto verò, quòd Carauſius quidam nobilis inſidias contra Romani regni fines moliretur; qui tamen Procurator conſtitutus erat prouinciæ, quæ eſt iuxta Oceanum, vbi Franci iam ſecundò à ſuis ſedibus expulſi, iuxta Gallorum & Saxo-

& Saxonum confinia conſederunt: miſit illuc, per Rheni fl. alueum, partem ſui exercitus, cuius militari virtute nefarius caſſaretur incæptus. In quo itinere, præcipuos belli Dominici duces, Gereonem, Victorem Caſſium & Florentium, *felices turmæ Chriſtianorum militum ſequebantur.*

Paulò pòſt verò narratis, quæ ab eodem Maximiano apud Agaunum in legionem Thebæam ſunt impiè commiſſa, ad dictos milites aduerſus Carauſium miſſos ſtilum conuertens, ſic ait: *Hæc primùm apud Agaunum opidum, vbi maxima multitudo ſancti reſedit exercitus, agebantur: inde præcedentium ſecuti veſtigia, repererunt primarios milites* Caſſium, *&* Florentium, *cum ſeptem alijs ſimilis conſtantiæ viris, iuxta* Veronam *ciuitatem, in ripa Rheni fluminis conſidentes, alioſq́, cum eis quàm plurimos eiuſdem agminis, ſed non eiuſdem intentionis ſatellites. Hos dum agnouiſſent de Orientali fuiſſe præſidio, ſæuientes contra eos, de profeſſione ſciſcitati ſunt. Cùmq́, illi nec voluntate cordis nec ſententia reſponſionis, à ſuperioribus diſcreparent, ſubmiſſis capitibus in eodem*

Caſſius & Florentius martyres Veronæ.

dem loco pro Chriſti nomine perempti ſunt.

Mox ergò ad B. Gereonem, *eiuſq́. ſocios trecentos decem & octo, cum illo pariter fide veritatis armatos, perſecutor, neſcio velociùs, an famæ peruenerit. Progreſſi tamen paululùm ante ſubſequentes carnifices, in campis Agrippinæ magnæ ciuitatis, martyrij gloriam, ſeſe inuicem cohortantes, præſtolati ſunt. Quibus continuò ſuperuenientes hi, qui miſſi erant à Iudice, nullam in eis defendendi vel à propoſito deficiendi voluntatẽ, ſed conſtantiſſimam nominis Chriſti inuenerunt confeſſionem. Ibi.* B. Gereon, *dux & martyr egregius, cum illis Regis æterni vernaculis, edomitis omnibus, quæ ad huius vitæ delectationem poſſent allicere, ſemetipſum ſpontaneus obtulit hoſtiam viuã Deo. Inſani verò tortores Sanctorum ibidem corpora cruentantes, per campi illius planitiem traxerunt, & in puteum quendam maximũ proiecerunt. Monſtratur autem vſque hodie in loco, vbi S. Gereon trucidatus eſt, ſanguinis ipſius ſpectaculũ, & ipſe locus,* Ad Martyres, *ab incolis acceptum ſeruat vocabulũ.* *Gereon cum ſociis martyr Colonia.*

His itaque peractis, cohors illa, quæ B. Victorem *comitabatur, ad locum, cui deſ-* *S. Victor mar*

 tinata

tyr apud Coloniã Traianam, nõ Troianam.

tinata erat, properans, peruenit ad opidum Francorum, quod ex maiorum ſuorum ſedibus Troiam *nuncupabant; ibiq́ cum Duce ſuo caſtra in pratis virentibus poſuit. Nec minus audaces illi cruentiq́; milites adfuerunt: peremptóq́ illic fortiſſimo Chriſti milite,* Victore, *cum trecentis triginta martyribus, ſancta eorum corpora in locis paluſtribus ſubmerſerunt. Tandem optatis locupletati, ſpolijs cum exercitu reliquo, quia Carauſius ille fugiens ſeſe in Britanniam trãſtulit, per viam quà venerant, læti pro ſcelere redierunt.* Hactenus Helinandus, qui vulgi errorem ſecutus, pro *Traiana* Colonia legit *Troianam.*

In Batauia. Verona ad Rhenũ olim ſitus.

Ceterùm notanda hîc antiquitas Veronæ vrbis, ad Rhenum olim ſitæ, apud quam SS. *Caſſium* & *Florentium* cum ſodalibus cæſos fuiſſe, narrat Helinandus. De qua *Hadriani Iunij* teſtimonium haud ab re fuerit produxiſſe. *Non procul Almeriâ* (vulgò Alcmaria, Hollandiæ Septemtrionalis opido) *paululum vltra mille paſſus diſſitam ſtetiſſe olim* Veronam, *loquuntur cognomines inde campi, vrbem opulentam, frequentem & populo-*

puloſam, vnicum tunc inter minores Friſios emporium: ſed magnarum opum tenue admodum veſtigium, vrbiſq; buſtum. Tumuli vulgò oſtenduntur è ruinis (vt ſuſpicari licet) editiores, qui nominis memoriam in hunc vſque diem tuentes, Veronenſes campi *dicuntur, frumenti feraciſſimi, quos pagus S. Pancratio ſacer attingit. Hanc primariã fuiſſe Friſijs minoribus vrbẽ, gẽtis caput, bellorumq; facem, credibile eſt, quòd oportuniſſimus eius fuerit ſitus, ad inuadendã Hollandiam; ac proinde ob violatam ſæpiùs fidem, rebellionemq; toties repetitam, à* Ioãne *Hannoniæ Hollandiæq; Comite funditus exciſam, & inducto aratro reædificari vetitam, memorant Annales. Excidij annũ notat hoc hemiſtichium:*

eCCe CadIt Mater frIsIæ. *Anno* 1303.

Meminit & huius vrbis Guilielmus Gaudanus, Eraſmo Roterodamo ſtudiorum collega, & apud Steinium cum illo Canonicus regularis, in S. Hieronis Scoti, à Danis interfecti, hiſtoria, his verſibus:

Quos priſci Friſios olim dixère minores,
Acrtoo à Fleua, pelagiq; venitis ab horâ,
Tum vobis Verona caput, nũc cãpus & artua.

Et iterum:

Friſijs, ſi quando bella vocabant,
Dux Verona fuit, ac tanta gloria gentis.

S.Vrſula cũ ſodalibus. *Ceterùm in hiſtoria, quâ vndecim millium virginum profectio è Britannia inſula pertexitur, narratur, illas nauibus impoſitas & fœda tempeſtate iactatas, Veronam appuliſſe. Id quod de hac noſtrate Verona probabiliter dicitur, quòd iſtud emporium vicinum fuerit alueo fluenti illius, quod Caninefatium terga claudebat, è Rheno productum, & prætérlabens Crabbedamum, in mare decurrebat: oſtendituróque etiam apud Veronenſes campos alueus decliuiore ſolo, vbi oſtium & aditus portus fuerit è mari appellentibus nauibus. De qua cùm ne per ſomnium quidẽ nonnulli quidquam inaudiſſent, fideſque hiſtoriæ Veronam Italicam ſeu Tranſalpinam reſpueret, pro Veronâ Bonnam interpretati ſunt. Huiuſce emporij potentiam opeſque oſtendunt piſcationis iura illi propria, tam in lacubus, quàm in amnibus, Rheno ac Moſâ; quæ poſt exciſam vrbem in fiſcum Principis fuere conuerſa. Vnde in hodiernum vſque diem,* Vronæ *nomine ſignificatur portoriũ, quod in memoratis locis pro piſcandi iure penditur:*

Crabbedam.

tur:quin & ipſum territorium deletæ vrbis peculiarem ſeruat Quæſtorem ſeu Rationalem, ab antiquo Veronenſem appellatũ. Vrbis ſigillum, æri Cyprio inſculptum, noſtra ætate repertum eſt, in quo aquila cælum reſpectans, explicatis alis, expreſſa erat, cum gladio, poteſtatis iuſtitiæq́; ſymbolo, ad dexteram, hac addita epigraphe: Sigillum ciuium de Vronlegeiſt. Hactenus Iunius.

Eadem pæne Suffridus Petrus lib. 1. de Friſiorum origine cap. 9. narrat: *Ciuitas Vrongeiſt, temporis ſucceſſu in celeberrimum emporium excreuit. Eam Romani, poſteaquam Batauiam & Friſiam inuaſiſſent, ob vicinitatem nominis, quam cum Italiæ ciuitate Verona habebat, etiam Veronam appellarunt. Quæ nominis ſimilitudo eos decepit, qui hiſtoriam vndecim millium virginum conſcripſernnt: qui cùm audiſſent eas ex Britannia ſoluentes, vi tempeſtatum Veronam appulſas, & Veronam non aliam noſſent, quàm illam Italicam, abſurdum rati quod referebatur, pro Verona Bonnam ſuppoſuerunt, hoc eſt, hiſtoriam veram, ſua inſcitia ſuſpectam reddiderunt. Ad hanc enim Friſiæ Veronam eas appuliſſe, nec abſurdum*

S. Vrſula cum XI. millibus virginũ.

nec incredibile erat, cùm ex Britannia in hunc portum facilis traiectus eſſet.

Itaque Florentius, Caſſius & ſocij non apud *Bonnam*, ſed apud *Veronam*, vrbem olim Rheno adſitã, pro Chriſto occiſi ſunt.

De S. *Florentio*, apud caſtrum Tilenſe, 20. Octobris, S. *Iulio* apud Geldubam, 20. Dec. & SS. *Mauris* Coloniæ martyrizatis, 15. Oct. vide infra.

S. VENANTIVS martyr & eremita.

PIpini Francorum Regis temporibus floruit, & relicta militia ad ſil- *Aire.* uam *Ariæ*, opido Artẽſiæ, vicinam ſeceſſit, à latrone pecuniam ſperãte poſtea occiſus. Diem feſtum ſibique ſa- *S. Venãt* crum habet in ſui nominis opidulo, & in vicina Arienſi Canonicorum baſilica. Eius oſſa anno 1608. reperta ſunt ſub altari S. Itisbergæ, in pago eiuſdẽ nominis, qui diſtat vno milliari ab opido S. Venantij.

S. NVN-

S. NVNTIVS confeſſor.

DIe 10. Octobris colitur *Namurci*, à Canonicis eccleſiæ cathedralis, & *Haſteriæ* itemque *VValciodori* à monachis Benedictinis: quæ duo monaſteria vnum eundemque hodie Abbatẽ habent. Ceterùm Haſteria primùm fuit monialium cœnobium, à *VViderico* Comite an. 656. fundatum; quæ trecentis ferè annis ibi ſedem habuerunt, vſque ad tempora *Eilberti* Comitis, qui cum S. *Forannano* Walciodorũ fundauit, & à *Theodorico* Metenſi Epiſcopo impetrauit, vt moniales ad vrbẽ Metenſem migrarent. Fuit enim Haſteria olim Metenſis, pòſt Leodicenſis diœceſis: hodie ad Namurcenſẽ ſpectat. Corpus verò S. Nuntij etiamnum Haſteriæ quieſcit. *Namur. Haſtier. VValcour.*

S. Germanus Epiſcopus XII. Biſontinus. *Martyrol. Rom.* 11. *Octob.*

IS apud *Grandifontem* (opidum id tẽporis nobile, nunc in vicum redac- *Grandfontaine*

Baume les Nonnes. tum, quarto lapide à Veſontione) circa an. 396. ab Arianis, quos bonus Præſul vrbe Biſontina eiecerat, eſt interfectus. Quieſcit *Palmæ* (quod opidū decimo lapide à Veſontione diſtat) in monialium cœnobio, quod à *S. Deſiderato* XI. Epiſcopo incohatum *S. Germanus* perfecerat. Eſt hodie illuſtris Benedictinarum virginum Abbatia, à *VVarnario*, palatij Burgundici Comite, circa an. 600. reædificata, temporibus *Guntrāni ſomnium.* *Guntramni* Regis, cuius ſomnium (ab Aimoino lib. 3. cap. 3. deſcriptum) ibidem marmori inſculptum viſitur. In *S. Othilia.* eodem Palmenſi cœnobio *S. Othilia* virgo, in tabulas Romanas ad 13. diē Dec. relata, primùm fuit educata; quæ pòſt in Alſatia obijt. Sacrum eius *velum* Palmenſes virgines etiamnum adſeruant. Vide Chiffletium in Veſontione.

S. Gvm-

S. GVMMARVS confeſſor, & patronus Liræ in Brabantia.
Martyrol. Rom. & Surius.

LIra munitum eſt Brabantiæ opidũ, tertio ab Antuerpia lapide, in quo S. Gummarus, ſiue *Guntmarus, illuſtris laicus, monaſterium Canonicorum ſtruxit; ibiq́; ſepultus diem reſurrectionis exſpectat*: vt Baldericus lib. 2. cap. 48. in Chron. Cameracenſi loquitur. Primo lapide à Lira pagus *Emblehem* viſitur, fonte S. Gummari celebris: & in agro vicino rudera ac fundamenta vetuſtæ arcis monſtrantur, quam olim Gummarus incoluiſſe dicitur. Putatur ea per Normannos euerſa, qui & venerabilē preſbyterum *Fredegerum.* in altari Deo ſacrificantem, Liræ peremerunt. Martyrij ac cędis locus hodieque monſtratur in vetuſto ſacello. Ceterùm S. Gummari vitam ſcripſit *Theobaldus*, quæ ms. Liræ & alibi exſtat. *Lier.* *V. Fredegerus.*

S. QVIRINVS martyr, Malmundarij celebris. *Martyrol. Rom.* 11. *Octob.*

IN pago Vilcaſſino, SS. *Nicaſius* primus Epiſcopus Rotomagēſis, *Quirinus* presbyter, & *Scubiculus* diaconus, ſub Præſide Feſcennino, martyrium fecerunt. Horum corpora cùm anno 808. ad vicum Condatenſium, haud procul à Pariſijs, eſſent tranſlata, *Hildebaldus* Epiſcopus Colonienſis, & *Odulphus* Præpoſitus Malmundarienſis, à *Carolo Magno* & ab Epiſcopo Pariſiēſi impetrarunt corpus S. *Quirini*, brachium S. *Nicaſij*, & reliquias, S. *Scubiculi*: quorum poſtremus frequentibus miraculis ibidem claruit.

S. BRVNO Archiepiſcopus Colonienſis, colitur ab Eccleſia cathedrali Tornacenſi 18. Iulij.

BRuno, patre *Henrico I.* Romanorū Rege, cognomento *Aucupe*, & *S. Mathilde* matre natus, ab ijs ſūma cura educa-

Mart. 14. *Rō. M.*

educatus, *Baldrico* Vltraiectenſiū Epiſcopo litteris imbuendus traditur: apud quem, indefeſſo labore, ita ſeſe ſtudijs addixit, vt in libris aſſiduus eſſet, omneque ſcriptorum genus peruolueret. His cùm humilitatem, vitæ innocentiam, ac morum ſanctitatem adiunxiſſet, viam ſibi ad eam, quam poſtea adeptus eſt, gloriam præparauit. Patre mortuo, à fratre *Othone I.* Imp. in aulā euocatus, prudentia, comitate, & eloquentia omniū animos ſibi cōciliauit.

Cùmque *VVicfredus* Colonienſis Archiepiſcopus, ſenio confectus, ex humanis exceſſiſſet, *Bruno* totius cleri & populi ſuffragijs an. 953. Archiepiſcopus eligitur. Ab *Agapeto II.* Pontifice confirmatus, nihil prius in votis habuit, quàm omnia boni Paſtoris officia, à Ieſu Chriſto & Paulo Apoſtolo præſcripta, opere adimplere. Hiſce virtutibvs florentem Otho Imp. Lotharingiæ prefecit, & non multò pòſt, cùm in Italiam ad res Imperij componendas proficiſci cogeretur, eum Vicarium in Occidente conſtituit.

Quo

Quo in munere, tamquam alter *Samuel*, æquiſſimè ius dixit, diſcordes Principum animos pace firmauit, res nouas molientes repreſſit, Epiſcopum
Mets. *Metēſem*, ab aduerſarijs pulſum, reduxit, diſciplinam Eccleſiæ collapſam inſtaurauit, *baculum* & partem *catenæ B. Petri*, Apoſtolorum principis, itē corpora SS. martyrum *Euergiſli*, *Eliphij* &
Oct.24. *Gregorij Spoletani*, Coloniam tranſtulit.
Lion. Legatus à fratre miſſus, *Lugdunenſem* prouinciam, varias in partes ſciſſā, pacauit, in eaque legatione Epiſcopum
Carcaſſone. *Carcaſſonenſem* pulſum propriæ ſedi reſtituit: à quo B. *Patrocli* corpus, quod Coloniam detulit, dono accepit. *Com-*
Compeinne. *pendium*, vt pacem inter diſſidētes ſtabiliret nepotes, profectus, illic ægro-
Reims. tare cœpit: inde *Remos* delatus, cùm morbus ingraueſceret, teſtamentum condidit, pauperes heredes conſtituēs, & quinto pòſt die, ſumpto ſalutifero viatico, an. 965. die 11. Oct. migrauit ad Dominum. Eius corpus, ſicut præceperat, in monaſterio S. Pantaleonis, quod Coloniæ conſtruxerat, eſt conditum.

ditum. Sic ferè legitur in Officio proprio SS. Eccleſiæ Tornacenſis, quod *Dionyſius Villerius*, ibidem Canonicus & Cancellarius concinnauit, & Duaci an. 1591. typis edendum curauit. Vitæ hiſtoria à *Rotgero* monacho ad S. Pantaleonem, coætaneo, conſcripta, exſtat apud Surium.

Ceterùm Bruno primus ex Archiepiſcopis Colonienſibus fuit Dominus in temporalibus: vt in Saxonia ſua Catholica Petrus Cutſemius adnotauit. Idem vt Abbas, ante Epiſcopatũ ſcilicet, Virdunenſi ſynodo an. 947. interfuit; vt Flodoardus in Hiſt. Remenſi lib. 4. cap. 34. commemorat. Idem *Suſati* collegiatam Canonicorũ baſilicam fundauit; *Sonegijs* in Hannonia eccleſiam à Normannis vaſtatam curauit inſtaurandam, & an. 965. Canonicos in ea poſuit. *Soeſt.* *Soignies*

S. Wil-

S. WILFRIDVS, Eboracẽſis in Anglia Epiſcopus Friſiorum, Apoſtolus. *Martyrol. Rom. 12. Octob.*

WIlfridus pulſus Epiſcopatu, Romamq́, iturus,& coram Apoſtolico Papa cauſſam dicturus, vbi nauem conſcendit; flante Fauonio, pulſus eſt Friſiam:& honorificè ſuſceptus à barbaris ac Rege illorum Aldgiſlo, prædicabat eis Chriſtum, & multa eorum millia verbo veritatis inſtituens, à peccatorum ſuorum ſordibus, fonte Saluatoris abluit. Et quod poſtmodum VVillibrordus, reuerendiſſimus Chriſti Pontifex, in magna deuotione compleuit, ipſe primus ibi opus Euangelicum cœpit, hiemem cum noua Dei plebe feliciter exigens. Sic Beda lib. 5. cap. 5. hiſt. Anglorum. Obijt autem Wilfridus, pòſt in Angliam redux, an. 705. vt Baronius in Annalibus ſupputat.

S. HARLINDIS, eiuſque ſoror S. RELINDIS, virgines & Abbatiſſæ.

PArentes habuerunt *Adelardum* & *Grinuaram*, qui in propria heredita-

te,

te, ad Moſam, *Eikenſe* monaſterium conſtruxerunt, vbi vtraque plurimas Chriſto filias genuit. Erant enim fide recta inſtructæ, caritate repletæ, humilitate decoræ, religione laudabiles, largitate eleemoſynarũ hilares. Quarum etiam curam habuerunt ſancti Epiſcopi Vltraiectini, *VVillibrordus* & *Bonifacius*. Otium porrò vt mortiferã peſtem fugientes, aliquando palliola contexebant, aliquando diuinas ſcripturas honorifico opere conſcribebant. Ex quibus nonnulla, perinde ac ſi recentia eſſent, hactenus conſeruantur. Cùmque putreſceret prima monaſterij eccleſia; quæ lignea fuit, *Aua* Abbatiſſa lapideam conſtruxit, in qua *Franco* Epiſcopus Leodicenſis vtramque virginem honorificè, die 22. Martij, anno 855. leuauit: & eodem die, anno 1571. facta eſt per Suffraganeum Leodicenſem altera ſolennis tranſlatio. Tunc enim collegium Canonicorum Eikenſium, qui ſanctimonialibus ſucceſſerunt, migrauit in opidum, quod *Maeſeike* nuncupãt, in Comitatu Loſſenſi, *Eike.*

ſenſi, ſub ditione Leodicenſi,ſitum. Vide 6. Februarij.

S.GERALDVS Abbas Siluæ-maioris, in Aquitania. 13. *Octob.*

FVit S. Arnulphi, natione Flandri, Sueſſionenſis Epiſcopi, diſcipulus in S.Medardi monaſterio apud Sueſſiones. Exſtruxit apud Aquitanos in Silua-maiore inſigne monaſterium: in quo & obijt. Vide Liſiardum cap. 18.in vita eiuſdem S.Arnulphi.

S.DONATIANVS VII.Remenſium Archiepiſcopus, & Brugēſium patronus. *Martyrol. Rom.* 14. *Octob.*

DOnatianus ab anno 361. ſedit in Remenſi cathedra, vſque ad annū trecenteſimum nonageſimum. Sacrū eius corpus quieuit Remis in eccleſia S. Agricolæ vſque ad an. octingenteſimum triceſimum octauum,quo illud *Ebo* Archiepiſcopus Remenſis ad *Balduinum Ferreum*, Flandriæ Comitem

mitem tranſmiſit. Is Brugis in baſilica S. Mariæ, nunc S. Donatiani dicta, collocauit, quam *Paulus IV.* Papa anno 1559. in cathedralem erexit. De S. Donatiano agit Flodoardus lib. 1. c. 5. in Hiſtoria Remenſi.

Brugis in cathedrali pariter quieſcunt SS. *Ilberus* & *Maximus*, Epiſcopi: de quibus vide Molanum hoc loco. *SS. Ilberus & Maximus.*

Donatiani prædeceſſor S. *Maternianus*, Archiepiſcopus VI. Remenſis, Materni IX. Mediolanenſis Epiſcopi frater vterinus, an. 351. die 7. Iulij obijt. Corpus eius *Hincmarus* A. Remēſis *Ludouico* Germaniæ Regi, Ludouici Pij Imp. filio, miſit, qui illud in Egmondana Hollādiæ Abbatia collocauit. Vide Flodoardum cit. loco. *S. Maternianus.*

S. CALIXTVS Papa & martyr.
Martyrol. Rom. 14. *Octob.*

CIſonium, illuſtris hodie Canonicorum regularium, in diœceſi Tornacenſi, Abbatia à *S. Euerardo* Comite potentiſſimo, eiuſque coniuge *Ciſoing.*

Giſla, Caroli Calui Imp. ſorore, eſt fundata. Ad quem locum idem Euerardus ex Italia corpus S. Calixti ſeu Calliſti Papæ & martyris attulit. Baronium ad an. 893. & Florentium Haræū lib. 1. cap. 3. de Caſtellanis Inſulenſibus conſule; quorum poſterior S. Euerardi Teſtamentum, an. 837. ſcriptum, recitat: ex quo hæc habe. *Tertius filius noſter Adalardus, volumus, vt habeat cortem noſtram in Ciſonio, & Canſinium, cum omnibus quæ ibi pertinent, & grecinam cum omnibus, quæ ad ipſam eccleſiam in ſupradicto loco Ciſonio pertinere diſpoſui, in tali tenore, vt ipſam eccleſiam ex ordine, quo ego conſtitui, ſemper cuſtodiat, & nihil auferri de his, quæ ei dedi, permittat per ſe aut per quemcumque.*

Idem monaſterium, poſt Euerardi obitum, *Giſla* iam vidua perfecit, dotéque auxit: vt patet ex eiuſdem Giſlæ litteris an. 870. & 874. datis, quas idē Haræus recitat. Eſtque ibidem ſepulta, cum filia ſua *Ingeltrude*, ante altare S. Apollinaris. Ibidē quieſcit S. *Euerardus*: de quo vide infra 16. Decēbris.

S. AN-

S. ANGADRISINA Abbatiſſa.

COlitur Bellouaci in eccleſia cathedrali, & in cœnobio monialiũ prope muros illius vrbis, cui Abbatiſſa præfuit. A parentibus cùm eſſet deſponſata S. *Anſberto*, pòſt Rotomagenſi Epiſcopo, ex mutuo conſenſu, vterque virginitatem ſuam Deo conſecrauit: vt fusè narrat Angradus in vita S. Ansberti 9. Febr. apud Surium. *Beauuais.*

V. *Alanus Inſulenſis*, ex ordine Ciſtercienſi.

NAtus eſt Inſulis Flandriæ emporio, & in *Clara-Valle*, ſub S. *Bernardo* Abbate, monachum induit. Poſtea primus *Ripatorÿ* Abbas fuit, ac demum *Autiſsiodorenſis* Epiſcopus. Religioſæ quietis amans, poſt annos 13. Epiſcopatu ſe abdicauit, & reliquum vitæ in Clara-Valle pijſſimè tranſegit: vbi & obijt an. 1181. prid. Idus Octobris. De eiuſdem Ciſtercienſi inſtituti Sāc- *Lille* *Auxerre.*

tis ac Beatis fusè egi lib. 5. Orig. Monaſticarum.

S. GREGORIVS, eiuſque ſocij martyres, Mauri. *Martyrol. Rom.* 15. *Octob.*

DE his martyribus ita legitur in Martyrol. Romano: *Apud Coloniã Agrippinam natalis SS. trecentorum martyrum, qui in perſecutione Maximiani curſum ſui agonis compleuerunt.* De ijſdem ſic Vſuardus: *Apud Coloniam Agrippinam, natalis SS. trecentorum ſexaginta martyrum, qui cùm eſſent ex legione ſacra Thebæorum, apud eamdem vrbem curſum ſui agonis cõpleuerunt.* Conditi ſunt in baſilica, quæ admirabili opere muſiuo, velut aurea, reſplendet. Vnde & incolæ, *Ad Sanctos Aureos*, vocitare conſueuerunt. Quieſcunt autem Coloniæ in collegiata S. Gereonis eccleſia, de qua 10. Octob. diximus. Ceterùm in numero martyrum ſcriptores nonnihil variant; quidam 306. rotundo numero, alij 360. numerant. De ijſdem agunt Ado in Martyrologio, & Greg. Turonenſis cap. 62. De gloria martyrum.

Horum

Horum corpora *S. Anno* Colonienſis Archiepiſcopus (qui anno 1075. obijt) è terra leuauit, & ſuper altari collocauit; habenturque patroni ciuitatis Colonienſis, vnà cum SS. *Gereone, Vrſula*, ac ſodalibus. Et meritò; quòd eam vrbem anno 1266. ab hoſtibus obſeſſam viſibiliter protexerint. In cuius rei memoriam, quotannis die 15. Octobris, Senatus Colonienſis decem grãdes cereos offerre ſolet, qui in crypta SS. Maurorum aliquot diebus lucent.

S. MOMMOLENVS, ſeu Momolinus, Epiſcopus Nouiomenſis ac Tornacenſis. 16. *Oct.*

BErtinus, Momolinus, & Ebertramnus; tres veri cultores S. Trinitatis, talentum Domini nolentes abſcõdere, vel ſine lucro reportare, ex *Luxouio* Burgundiæ monaſterio venerunt in Franciam, verbum Dei ſeminantes, & à Rege *Lothario* ſunt honorificè recepti. Hi poſtea S. Audomarum, tunc Morinenſem Epiſcopum, cuius compa-

triota atque conſanguineus erat B. Bertinus, adierunt, tam amore ipſius Epiſcopi, quàm quòd patriæ linguam, vtpote Teutonici, bene ſciebãt. Quos Audomarus lætè ſuſcipiens, ſuos in prædicatione voluit eſſe conſortes. Interea vir quidam illuſtris, *Adroaldus* nomine, nullum habens filium, cum Audomaro tractare cæpit, qualiter poſſeſſionum ſuarum Eccleſiam heredem faceret: & villam, quæ *Sithiu* vocatur, cum ſuis appenditijs, eidem obtulit Epiſcopo, vt ibi Xenodochium cõſtrueret. Iuſſu igitur B. Audomari, tres viri prædicti, *Bertinus*, *Momolinus*, & *Ebertramnus* eccleſiolam conſtruxerunt, & cellam in territorio eiuſdem villæ, in loco, qui adhuc propterea *Vetus* vocatur *monaſterium*, ſuper fluuium *Agniona*,
An.626 anno ſexcenteſimo viceſimo ſexto. Interea decedente *Achario* Epiſcopo vrbis Nouiomi, ad epiſcopatum eiuſdem vrbis *Momolinus* prouehitur, & *Ebertramnus* cœnobio S. Quintini à *Momolino* præficitur. Sic ferè Io. Iperius in ms. Chronico Bertinenſi. Vi-
de

de & Io. Cognati hiſtoriam Tornacenſem.

S. IVNIANVS confeſſor.

NAtione, vt fertur, Cameracenſis, *fuit recluſus intra Lemouicinæ vrbis territorium, qui viuens multa populo oſtendit miracula: ſed & nunc ad ſepulcrum eius ſæpe morbi curantur. Nam vidi multos, qui cæcis oculis eò perducti lumen receperunt; paralyticiq́; directi ſunt.* Ita lib. De glor. Confeſſ. cap. 103. Greg. Turonenſis. De Recluſis ſanctis vide ſupra pag. 559. *Limoge*

S, BERCHARIVS ſeu Berecarius Abbas in Alto-Villari.

FVit *S. Remacli* in *S*tabuleto, vt quidam tradunt, & S. *Euſtatij* in Luxouio diſcipulus, & vnà cum S. *Niuardo* Remenſi Archiepiſcopo ad Maternam fl. conſtruxit *Altum-villare* monaſterium. Quem locum ſibi à *Niuardo* dari petierat, vt ibi cum fratribus ſuis mo- *Haultvilliers.*

nachis, ſub regula *S. Benedicti* & *S. Columbani*, viuere poſſet. Sic ferè Flodoardus lib. 2. cap. 7. in hiſt. Remẽſi; qui cap. 8. narrat, quomodo *S. Helenæ* Imperatricis oſſa ex Vrbe ad idem monaſterium ſint ttanſlata.

S. GORDANIVS eremita.

COlitur 16. die Octobris, Aquicincti à monachis Benedictinis, ſecundo lapide à Duaco, quo loco vixit ante monaſterij illius exſtructionẽ: quod & ipſius conſilio, à nobilibus viris, *Gualtero* Muntiniaci, & *Sigero* Corcellæ Dominis, an. 1079. fuit ædificatum. Vide ſupra 9. Octob. *Montigny.*

S. GVRDINELLVS confeſſor.

QVieſcit Duaci in Canonicorum *S. Amati* baſilica: quò, ex vrbe *Sueſſionenſi*, circa an. 896. tranſlatus eſt, vnà cum *S. Oneſimo* Epiſcopo *Sueſſionenſi*. Vide ſupra 5. & 13. Maij.

S. LVL-

S. LVLLVS ſiue Lullo, Archiepiſcopus Moguntinus.
Martyr. Rom. Octob. 16. die.

BOnifacius Germanorum Apoſtolus an. 754 aut 755. antequam in Friſiam vltimò ſe conferret, *Lullum*, iampridem ex Anglia à ſe euocatum, ſibi Coëpiſcopum, & in Moguntino Archiepiſcopatu ſucceſſorem conſecrauit; Romano Pontifice, & *Pipino* Rege conſentientibus. Is *Herofelſſeldij* in Haſſia, haut procul à Fulda, monaſterium à *SS. Bonifacio* & *Sturmione* inchoatũ perfecit, & *S. VVigberti* corpus ibidẽ collocauit. Alterũ quoque *Bleidẽſtadij*, duobus à Mogũtia milliaribus, vltra Rhenum, excitauit, quod in Canonicorum poſtea collegium fuit verſum. Eò tranſtulit è *Caſtello*, quod ad alteram Rheni ripam, è Moguntiæ regione, viſitur, *S. Ferrutij* martyris reliquias. Obijt autem XVII. Kal. Dec. anno 786. vt Pithæani Annales, aut 787. vt Marianus Scottus notauit.

Iun. 5. *Herſfelt.* *Maij 1.* *Bleidenſtadt.* *Kaſſel.*

Caput *S.* Lulli an. 1603. Moguntino *S*oc. Ieſu collegio dedit *Hermannus*, monaſterij *S.* Godehardi in vrbe Hildeſheimenſi *A*bbas Benedictinus. Fuit autem S. Gregorij E. Vltraiectini diſcipulus. Plura qui volet, *S*erarij Moguntiam legat.

S. ELIPHIVS martyr Tullenſis.
Martyrol. Rom. & Surius. 16. *Oct.*

ELiphius, patria Tullenſis, itemque frater eius *Eucharius* Epiſcopus, & ſorores *Libaria* ac *Suſanna*, martyriũ fecerunt circa an. 362. temporibus Iuliani *A*poſtatæ. Eliphij oſſa *S. Bruno* *A*rchiepiſcopus Coloniam attulit. *Oct.* 11.

S. IVSTVS martyr. *Octob.* 18. *die.*

Beauuais. IN territorio Bellouacenſi *S. Iuſtus*, adhuc puer, in perſecutione Diocletiani, ſub Rictiouaro Præſide, cæſus eſt: vt in Martyrologio Rom. legitur. Sutphaniæ (quod opidũ eſt diœceſis Dauentrienſis, Iſalæ fl. adſitum) *Sutphẽ.* magna in veneratione olim habitum fuit corpus S. *Iuſti*, patria Autiſſiodorenſis, *Auxerre.*

renſis, pueri ac martyris, cuius feſtiuitas ibidem celebrabatur 11. Octobris, hoc eſt, poſtridie SS. Victoris & Gereonis martyrum. De quo ſic inter alia cātabatur in Hymno eccleſiaſtico:

Eius caput nunc habetur
Magna Treueris reuerentia,
Sed corpus obtinetur,
Diligenter in Sutphania:
Laudetur hinc Dei clementia.

Corpus eius perijſſe putatur noſtra ætate per vaſtationes Caluinianas: ſed caput, ex tractu Treuerenſi allatum, ſeruat Antuerpiæ Canonicus ac Plebanus *Egbertus Spitholdius*, apud Annūtiatas moniales eadem in vrbe pòſt collocandum.

S. *Mono* martyr.

IS è Scotia in Arduennam venit ad S. *Remaclum*, tunc *A*ndainenſē *A*bbatem, & Naſſoniæ ſolus ſoli Deo multo tempore ſeruiuit, à ſicarijs latronibus demum confoſſus. Quieſcit ibidem in eccleſia, quā ipſe conſtruxerat. *Naſſoni.*

rat. Eſt autem *Naſſonia* pagus *A*rduennæ celebris, ſecundo lapide ab *A*ndaino, nunc *S. Huberti* monaſterio, in d. Leodicenſi ſitus, vbi Canonicorũ eſt collegium à Pipino Rege dotatum.

V. Gaſpar Berzæus, Armuziæ Apoſtolus,

ARmuzia, vulgò *Ormus*, vrbs, emporium, & inſula eſt clariſſima ad oſtium ſinus Perſici, Catholico Regi ſtipendiaria: ad quã præter Luſitanos, *A*baſſini, *A*rmeni, Georgiani, Mahumetani, Iudęi, & Gentiles, mercaturæ cauſſa, confluunt. In vinea *A*rmuziana excolenda annis aliquot ſtrenuè laborauit Gaſpar Berzæus, Gouſæ in Zelandia natus, Soc. Ieſu ſacerdos ſanctiſſimus: cuius res apud Indos prępclarè geſtas peculiari libro deſcripſit Nicolaus Trigautius Duacenſis, Soc. Ieſu presbyter, quem ex Sinenſi regno annis ſuperioribus reducem nõ ſemel de Sinis & Indis Orientalibus differentem magna cum voluptate audiuimus.

Ter Goes.

De

De B. *Henrico Calſtrio* Coloniæ die 18. Octobris, vt quidam tradunt, defuncto ſupra 18. Decembris egimus.

Oliſiponis per Belgas captæ, & martyrum ibi cæſorum memoria.

A*Nno* 1147. *Naualis Dei exercitus ex Anglia, Flandria, atque Lotharingia collectus,* 11. *Idus Aprilis de Tredemunde portu Angliæ, cum ducentis ferè nauibus profectus,* IV. *Kal. Iulij, in vigilia Apoſtolorum, Vlixibonā applicuit: & eam poſt quatuor menſium obſidionem, per multas cædes & multam macerationem, Dei virtute & ſua induſtria capiunt: & cùm de ipſis tantùm eſſet tredecim millia, hoſtium ducenta millia ſuperantes, ingreſſi, cum hymnis eccleſiam dedicantes, Epiſcopum ibi & clericos ordinauerunt. Ad corpora ibi occiſorum tres muti recuperauerunt loquendi vſum. Anno* 1184. *Rex Anglorum Henricus acquiſiuit ſororem Regis Portugalenſis, ad hoc vt fieret vxor Comitis Flandrenſis, cognati ſui. Venit ergò ad Comitem Flandrēſem in abundantia auri & argenti. Huius pater, licet*

gran-

grandæuus, adhuc viuit, qui adiutus ab Anglis & Normannis, in iuuentute ſua Agarenis eripuit Vlixibonam, quam vulgariter vocant Liſſebone. Ad quam tranſtulit è Valentia corpus B. Vincentij leuitæ & martyris, vt quidam dicunt: & fecit eandē ciuitatem, permiſſione Papæ, Archiepiſcopatū, cui ſubdidit ſex alias ciuitates, quas acquiſierat. Ita Robertus, Abbas Montis S. Michaelis, in diœceſi Abrincēſi, apud Aremoricos, in ſuo Chronico, quod Sigebertinum excipit.

His conſonant quæ Antonius Vaſcōcellius, Soc. Ieſu Theologus in Hiſtoria Luſitaniæ narrat. *Piè*, inquit, *& religioſè pro martyribus coluntur Oliſipone (vt re ipſa haberi debent ex S. Thomæ Angelici doctrina) illuſtres illi Equites Germani, Flandri, Galli, Angli, ac Luſitani, quorum reliquiæ in Deiparæ templo adſeruātur, quod dicitur, ex Diuorum memoria, S. Mariæ à Martyribus. Vitam præſtantes iſti viri amiſere in Oliſiponenſi expugnatione, quando non tam imperij acquirendi cauſſa, quàm ſtudio vrbis liberandæ, & Chriſto iterum lucrandæ, arma in Mauros ſumpſere, vrbemq́ ſuo*

ſuo emptam, ſanguine Chriſtianæ pietati reddidere.

Quantùm verò illorum mors honeſtiſſima Deo placuerit, manifeſto cælitus documento fuit Eques inſignis Henricus Germanus, Bonauillæ (ſeu Bonnæ) *natus: quod opidum quattuor à Colonia Agrippina abeſt leucis, aduerſo Rheno. Conditum fuit demortui corpus in templo S. Vincentij, Luſitanis immixtum, non ſuis, qui in templo S. Mariæ à Martyribus ſepeliebantur. Neque diu cælum hominis eximiam ſanctitatem celauit, miris eiuſdem in ſepulcro editis operibus, vt demortui virtus miraculis patefieret. Primum miraculum illud fuit, quod in duobus adoleſcentibus, eiuſdem Henrici claſſiarijs, viſum eſt. Horum alter ſurdus, mutus alter, à natalibus vterque, cùm ad martyris ſepulcrũ ambo procubuiſſent, loquendi & audiendi vſum acceperunt. Illud verò manifeſtiùs ſanctiſſimi Equitis gloriam indicauit, quòd eius è ſepulcro palma pulcherrima exorta fuit, miro frondium virore comata. Huius è folijs remedium quærebant præſentiſſimum ægritudine aliqua laborantes, vel tantillum collo appendentes, vel comminutum in puluerem epotãtes,* B. Henricus Germanus, martyr.

tes,

tes, vt vires affecti corporis de integro reſarcirent. Ob tanta tamq́; inſignia rerum miracula, Alphonſus Luſitaniæ Rex primus mirum Equitis Henrici ſociorumq́; amorẽ piè colebat, vt ſi aliqua corporis tentaretur ægritudine, eorum ſtatim procumberet ad ſepulcrum, vbi præſentem ſibi opem, irritis numquam precibus, ſentiebat. Hactenus Vaſconcellius.

S. VRSVLA & ſodales, virgines ac martyres.

CElebris in Eccleſia memoria eſt vndecim millium virginum, quæ ex Britannia profectæ, *Vrſula* nobiliſſima duce, nouo & mirabili modo triumpharunt, & barbarorum, qui Gallias oppreſſum ibant, victrices, Coloniam Agrippinam ſanguine & ſepultura ſua clariorem reddiderunt. Ferũt enim omnes haſce virgines, cùm *Hunnorum* in manus incidiſſent, ab *Vrſula*, in pudicitiæ & religionis Chriſtianæ tuendæ propoſito, egregiè animatas, vitam & omnia extrema ſupplicia Fidei

dei & caſtitatis ſtudio poſthabuiſſe: atque ita omnes cum Vrſula, ab Hunnis interfectas, martyrio præclaro ſe hoſtias Chriſto obtuliſſe.

Memorant antiquæ litteræ, incolas Agrippinenſes, quorum in ſolo cędem illam patratam conſtans traditio eſt, eximio cultus ac venerationis ſtudio virginibus his extrema exſoluiſſe: alios dilaniata diſſectaque martyrũ mẽbra cõgeſſiſſe, alios velaſſe pallijs alios effoſſa humo, venerandis ijs incluſiſſe tumulis, quales iſtic hodieq̃ue cernũtur, ad æternam Vbiorum gloriam, & præſentem illius ciuitatis tutelam. Ita legitur in Breuiario Equitum Teutonicorum, quod recenſitum illius ordinis Magiſter generalis *Maximilianus*, Archidux Auſtriæ, Maximiliani II. Imp. filius, an. 1609. in Oeniponte typis edendum curauit.

Porrò ad S. Vrſulæ ac ſodaliũ hiſtoriam enucleatiùs explicandam, libet illius temporis ſtatum ob oculos hîc ponere. Anno 383. *Maximus* tyrannus, Imperium inuadens, è Britannia in

Galliam per oſtia Rheni erupit, *Gratianum* Imperatorem, Treueris pulſum, primùm Pariſios, inde verſus Alpes fugere compulit ac demum apud Lugdunum dolo interceptum per *Andragathium* die 25. Auguſti interfecit. Hunni interea in Gratiani auxilium acciti, Galliæ imminebant, & mari quidem circa oſtia Rheni, terrâ verò circa Coloniam Agrippinam populabundi vagabantur. Dumq; Romanus miles *in ſe* (vt S. Ambroſius loquitur) *vtrimque prætendit*, & intima Galliæ loca ingreſſus, Imperij limitem validioribus præſidijs deſtitutum relinquit, ijdem Hunni, *Alanis* mixti, in Germaniam inferiorem excurrerunt, atque inter cæteras *Tungrenſem* vrbē, etſi amplam tum & copioſam (vt Amianus Marcellinus nuncupat) minùs tamen munitam, ſi non exciderunt, vehementer ſaltem attriuerunt. Quo audito *Maximus*, cæſo *Gratiano*, iam victor, barbaros in ſe immiſſos trās Rhenum fugauit, ſedemque Imperij Treueris, prædeceſſorum more, collocauit.

uit. Sub eiuſdem anni 383. finem S. *Ambroſius* Epiſcopus, à Valentiniano Imp. miſſus, cùm Treueros veniſſet, Maximum, fulgaris inſtar omnia peruadentem, quò minùs eodem impetu Italiam inermem inuaderet, cohibuit, *Gratiani* corpus repetijt, & tyrannum ſpe pacis repreſſit.

Agebat cum Treuiris *Ithacius*, Soſſubenſis ſeu Oſſonubenſis in Luſitania Epiſcopus, qui ab extrema Hiſpania veniens, apud Gratianum, Treueris agentem, *Priſcillianum* hæreſeos accuſarat. Hoc cæſo, Maximum victorem aggreſſus, effecit, vt anno proximè ſequenti 384. Synodo Burdigalę congregata, Priſcillianus cum ſectatoribus damnaretur, quòdque ad Imperatorem appellaſſet, mox Treueros deduceretur. Fortè ibi tum præſens erat S. *Martinus* Turonenſis Epiſcopus, *S. Martinus venit Treueros.* qui indignum ratus controuerſias Eccleſiaſticas ad Imperatoris tribunal deferri, & Epiſcopos apud Iudices ſæculares cruentas accuſationes inſtituere, Ithacium & cæteros Priſcilliani

accuſatores increpauit. Vide reliqua apud Baronium.

Cæterùm anno 383. cùm *Maximus* è Britannia, vt dixi, in Galliam feſtinanter traijceret, erat indubiè ingens virginum ſexus vtriuſque ac mulierũ turba, ab vniuerſo eiuſdem Maximi exercitu, tanquam ſubitæ expeditionis impedimentum, in Britannia, tantiſper dum res meliùs fluerent, relicta. Quæ quidem turba, cæſo Gratiano, partaque iam per Maximum victoria, dum ad parẽtes, maritos, propinquos, & amicos per oſtia Rheni, perque *Veronam* Friſiorum, ſupra 10. Oct. à nobis deſcriptam, eodem quo illi priùs itinere venerant, duce agminis *Vrſula*, properat, in Hunnos Gratiani fautores incidit; & ab ijſdẽ infeſtis Maximi hoſtibus, quibus ſeſe proſtituere nolebant, omnes ſunt interemptæ. Sicque martyrium fecerunt, cùm pro Chriſtiana, quam profitebantur, religione, tum pro pudicitia ſeruanda. Ac prima quidem harum virginum martyrumque mentio exſtat in Hiſtoria

S. Vrſula cũ ſodalibus.

S. Cu-

S. Cuniberti Colonienſis Epiſcopi, cuius ſcriptor *Baſilicam ſanctarum Virginum* memorat. Meminit earum & *VVandelbertus Prumienſis*, qui an. 850. floruit in Martyrologio ſuo metrico, his verſibus:

Tunc numeroſa ſimul Rheni per littora fulgent
Chriſto virgineis erecta trophæa maniplis
Agrippinæ vrbi: quarum furor impius olim
Millia mactauit, ductricibus inclyta ſanctis.

Hanc noſtram coniecturam *Bartholomæus Petrus*, Doctor Th. Duacenſis, *Heribertus Roſweidus*, & *Ægidius Bucherius*, Soc. Ieſu Theologi, *Marcus Velſerus*, Duumuir Auguſtanus, *Nicolaus Faber*, Ludouici XIII. Gallorum Regis præceptor, & alij viri antiquitatis eccleſiaſticæ, ac profanæ præ ceteris periti, à me conſulti, probarunt.

Ceterùm præter Vrſulanas virgines, Thebæos martyres, alioſq; Diuos tutelares plurimos, habet & patronos ſibi Colonia Agrippina *tres* *Tres Reges.* *Reges* ſeu *Magos*, qui Chriſto aurũ, thus, & myrrham obtulerunt. Horum corpora primò *Conſtantinopolim* per S. He-

lenam Auguſtam, inde *Mediolanum* per Euſtorgium illius vrbis Epiſcopum, ac demùm *Coloniam* per Rainoldum Archiepiſcopum an. 1168. ſunt tranſlata, cùm Fredericus I. Imp. Mediolanum occupaſſet. Vide Robertum Abbatem, Sigeberti continuatorem, in rebus geſtis anni 1160. & ſequentiũ, itemque Winhemium in Sacrario Agrippinæ.

S. OELBERTVS martyr Oiſterhouti.

ODelbertus ſeu Oelbertus, innocenter occiſus, vt ſecundarius eccleſiæ patronus, olim quieuit *Oiſterhauti*, qui pagus eſt admodum populoſus, diœceſis Antuerpienſis, in diſtrictu Bredano.

Oiſterhout.

S. SEVERINVS Colonienſis Archiepiſcopus. *Martyrol. Rom.* 23. *Oct.*

RES eius geſtas, ſcripſit *Fortunatus*, vt Greg. Turonenſis lib. De glor. Confeſſ. cap. 45. commemorat. Quæ apud

apud Surium exſtant, incerti ſũt ſcriptoris. Seuerinus porrò *Tungros* Epiſcopo orbatos, & Hunnorum aliorumque barbarorum incurſionibus attritos, quin & Ariana hæreſi (quam *Euphrates* Coloniẽſis Epiſcopus per Germaniam inferiorem ſparſerat) laborãtes, circa an. 390. viſitauit, vt qui ad ſuam prouinciam pertinerent. Ab eadem hæreſi & *Colonienſes*, itemq; *Burdigalenſes* liberauit: obijtque Burdigalæ, paulò pòſt obitum S. *Martini* Turonenſis Epiſcopi, quem ad annum Chriſti 400. Bucherius & alij referũt.

S. LVGLIVS Archiepiſcopus, & S. LVGLIANVS Rex Hiberniæ.

APud extremos hominum Morinos, vt Virgilius loquitur, hoc eſt, apud Flandriæ occiduæ populos, à paludibus (quas illi *Moeren* vocant) hodieque illo in tractu frequentibus, ſic dictos, Euangelicam Chriſti doctrinam ſanctiſſimi viri, *Victoricus*, *Fuſcianus*, *Victricius* & *Audomarus*, primi

publicarunt. Hos deinde ſecuti ſunt, inter alios, ſancti fratres ac martyres, *Luglius* Archiepiſcopus, & *Luglianus* Rex Hiberniæ: qui relicta patria ſua, primùm in Angliam, poſtea in Galliā, Euangelij prædicandi cauſſa, nauigarunt. Prædicarunt autem primùm *Boloniæ* ad mare, poſtea *Teruanæ*, quæ Morinorū tunc vrbs Epiſcopalis erat, an. 1553. iuſſu Caroli V. Imp. funditus exciſa. Florebat id temporis *Theodoricus Bainus*, Teruanenſis Epiſcopus, qui ſanctos iſtos fratres, circa annum Chriſti 725. ad ſe venientes humaniſſimè excepit. Sunt autem pauco pòſt tempore ab impijs ſicarijs in territorio Morinenſi occiſi, & eorum ſacra

Lillers. oſſa *Lillerium*, Arteſiæ opidum, pòſt tranſlata: vbi etiamnum quieſcunt in feretro argenteo, affabrè cælato, quod *Iſabella Luſitana*, Philippi Boni Belgarum Principis vxor, anno 1471. faciendum curauit. Eorundem martyrū oſſa non pauca adſeruantur in B. Mariæ cœnobio, ord. Cluniacenſis, apud

Mont Deſier. *Montem Deſiderij* in Picardia. Vitæ hiſtoriam

toriam ab anonymo conſcriptam Andreas Herbius, Canonicus Atrebatẽſis, ibidem anno 1597. publicandam curauit: in qua Luglius disertè nuncupatur Archiepiſcopus; fortaſſis quia ex primarijs Hiberniæ Epiſcopis fuit. Nam in Hibernia anno demum 1151. Archiepiſcopatus quattuor, *Armachanus*, *Dublinienſis*, *Caſſelenſis* & *Tuamẽſis*, per Eugenium III. ſunt conſtituti. Luglianum porrò ſuſpicor fuiſſe vnũ ex Regulis Hiberniæ; quales ea in inſula plures olim fuerunt. *Ardmach.* *Dublin.* *Caſhel.* *Toam.*

S. Oda vidua.

ODa, *Boggis* Aquitanorum Ducis vidua, & S. *Huberti* Leodicenſis Epiſcopi amita, an. 702. claruit, variaſque eccleſias ſuâ ditauit munificentiâ. Quieſcit in vico Amanienſi, ad Moſam fluuium, primo lapide ab Huio Leodicenſis ditionis opido, in collegiatâ Canonicorum S. Georgij æde, à ſe fundata. Ibidem quieſcit B. Pompeius ſacerdos, qui S. Odæ ſacellanus fuit.

S. EVERGISLVS Epiſcopus Colonienſi & martyr.

Oct. 24. *Martyrol. Rom.*

GAllijs, quas Maximus tyrannus occuparat, Valentiniano Occidẽtis Imperatori reſtitutis, Belgicæ pleræque reuixiſſe videntur Eccleſiæ. Teſtantur ſiquidem Atrebatenſium Annales, circa annum 390. miſſum in Belgicam noſtram à Siricio Papa *Diogenem* natione Græcum, qui à Remorum Metropolitano Atrebatenſis ordinatus Epiſcopus, non paucos in horreum Domini animarum intulit manipulos. Sed & S. *Seuerinus* Colonienſis Archiepiſcopus, ijſdem tẽporibus, Tungros Præſule orbatos, & barbarorum incurſionibus attritos, quin & Ariana hæreſi laborantes, viſitauit. Idem S. *Euergiſlum* Tungrenſem adoleſcentem, bonis moribus inclytum, Coloniam ſecum abduxit. Morini quoque circa hæc tempora à S. *Victricio*, Rotomagenſi Epiſcopo, exculti,

Diogenes E. Atrebatenſis.

Oct. 23.

Aug. 5.

vt

vt & Neruicani tractus incolæ: quos, caue, ne cum Neruijs eoſdem facias. Sunt enim Normanni ſeu Ebruicani, vt probant Brouuerus, Scaliger, Ortelius & alij. Ceterùm *Euergiſlus* aliàs *Ebregiſus* ſeu *Ebregiſilus*, Tungris, vt dixi, natus, ibidem martyrio coronatus fuit, ac ſepultus iuxta verſiculum veterem: *Neruicani hodie Normanni.*

Hic Tungris natus, martyr fuit, & tumulatus.

In cathedra Colonieſi ſucceſſit magiſtro S. *Seuerino*, de quo paulò antea diximus. Sacrum eius corpus Coloniam tranſtulit S. *Bruno* Archiepiſcopus: vbi hodieque in S. Cæciliæ baſilica quieſcit, tumbæ argenteæ inauratæ incluſum.

In catalogo Epiſcoporum Tungreſium, hic Ebregiſus videtur eſſe inſititius: qua de re vide *Ægidij Bucherij* Diſputationem hiſtoricam, tomo 1. Hiſtoriæ Leodicenſis annexã, & *Stephani Broelmani* Antiquitates Colonieſes. *Pag. Cap. 6.*

S. FLO-

accurate deſcribit. Eſt autem *Vahalis*, *VVaal* brachium Rheni fluminis, ad quod, præter Tilam, viſitur & *Nouiomagum*, *Nimmeghe.* Caroli Magni, aliorumque olim Imperatorum palatium, V. Petri Caniſij patria.

S. Dodo Abbas.

IN villa VVaſlero B. Landelinus monaſterium ad paucos fratres condidit, cui S. Dodonem bonæ memoriæ virum præfecit. Hic ſacris moribus cluens, vitæ innocentiã duxit, & depoſito onere fragilitatis, ibidem feliciter in pace quieſcit. Ita Baldericus lib. 2. cap. 33. in Chron. Cameracenſi. Monaſterium iſtud, à fluuio *VVaſlero* præterlabente ſic dictum, olim in ſilua Fania verſus Theoraſciam, ſitum fuiſſe, ſed prorſus diratum nunc iacere, ſcribit Coluenerius in Notis ad Baldericum. Corpus verò S. Dodonis hodie quieſcit in Prioratu Laubiẽſis Abbatiæ, qui vulgò *Monaſterium in Fania* nuncupatur. Alius vir eruditus vult Waſlerenſe monaſterium ſecundo lapide

Iun. 5.
VValers
Monſtier en Faigne.

Valenciennes. pide à Valentinianis quōdam ſtetiſſe, vbi nunc pagus *VValer* viſitur. Vt vt ſit, idem Baldericus lib. 1. cap. 41. narrat, *B. Theodericum Cameracenſem Epiſcopum an.* 844. *dedicaſſe monaſterium in VVaſtero, petente Hariberto Abbate.* Vita porrò S. Dodonis ms. exſtat Laubijs.

S. ERMELINDIS virgo. *Oct.* 29.

Ter Dunck by Loueniol. ERmelindis ſeu Hermelendis, in villa *Odenca* apud *Louaniolum*, virginitatem ſuam duodecennis Deo conſecrauit: quod monaſterium à multis ſæculis deſijt. Corpus virginis hodieque adſeruatur *Meldariæ*; qui pagus eſt *Meldaert.* in finibus Brabantiæ, verſus Hugardiam. Colitur & Thenis, quod vicinū eſt opidum, à collegio Canonicorum S. Germani. Baldericus, lib. 1. cap. 16. in Chron. Cameracenſi, dicit ipſam fuiſſe ſororem *S. Gudilæ*, & S. *Ableberti* Cameracenſis Epiſcopi; de quo ſupra 15. Ianuarij. Alij dubitant.

S. FOIL-

S. FOILLANVS Epiſcopus & martyr.
Octob. 30. die.

IS ex Hibernia venit circa an. 651. ad B. *Vltanum*, fratrem ſuum, qui tūc Foſſenſem regebat eccleſiam. De his duobus, itemque tertio fratre *S. Furſeo*, Beda lib. 3. cap. 19. Hiſt. Angl. fusè agit. Foillanus, cum tribus diſcipulis, in ſilua Carbonaria apud Hannones, martyrio eſt coronatus, & ſepultus *Foſſis*, in Scotorum monaſterio; vt *Eginhardus*, Caroli Magni Cancellarius, in Hiſtoria S. Marcellini & Petri, illud nuncupat quod hodie eſt Canonicorū collegium, intra muros opidi Foſſenſis, in diœceſi Leodicenſi. De varijs Scotorum per Germaniam monaſterijs Trithemius in Chronico Hirſaugienſi, & nos ſupra egimus. Quæ quidem olim non à ſolis *Scoto-Britannis* (vt hodie fit in Germania) ſed etiam ab *Hibernis*, apud veteres Scotorum nomine ſimiliter comprehenſis, inhabitata fuiſſe exiſtimo; eò magis, quòd vtriſ-

Foſſe.

Scotorū monaſteria.

vtriſque vna eademque eſſet lingua, ſcilicet Hibernica ſeu Irlandica, quæ etiamnum in vſu eſt per maiorem regni Scotiæ partem ad Boream, & per Hæbrides aliaſque inſulas Septemtrionales.

Hibernica lingua.

Ceterùm in loco, quo *Foillanus* martyrium fecit, hodie illuſtris Abbatia Canonicorum regularium ord. Præmonſtratenſis viſitur, prope *Rodium*, Hannoniæ opidum, quod Comitatus titulo à Carolo V. Imp. decoratum, ad gentem Croyam ſpectat.

Reux.

S. QVINCTINVS, & ſocij martyres.
Martyrol. Rom. Octob. 31. die.

EA tempeſtate (*qua legio Thebæa, Diocletiani Imp. iuſſu, coronata eſt martyrio, hoc eſt, anno Chriſti* 298. nobiles viri & potentes in verbo Domini, *Lucianus*, *Quinctinus*, *Fuſcianus*, *Victoricus*, *Criſpinus*, *Criſpinianus*, *Rufus*, *Valerius*, *Regulus*, *Eugenius* (cui tam beato conuentui ſociatus eſt, pari fide parique conſtãtia, famulus Chriſti *Piatus*) cernentes pondus

dus acerbiſſimæ perſecutionis adeò deſæuire, vt nemo fidelium valeret vlla pace potiri, ſed agnitus mox ad ſupplicium pertraheretur; & animaduertentes quanta in regionibus Galliarum meſſis, & quàm pauci vel nulli eſſent operarij, deliberauerunt regiones Galliarum adire, vt ibi, ſecundum Chriſti mandatum, omni creaturæ euangelizarent. Ita legitur in vita S. Piati martyris, quæ exſtat apud *Iac. Guiſium* lib. 7. in mss. Chronicis Hannoniæ. Quinctinus porrò fuit ciuis Romanus, & martyrium fecit *Auguſtæ Veromanduorum*: cuius vrbis, per barbaros vaſtatæ, ſedes Epiſcopalis inde tranſlata eſt *Nouiomum*, per S. Medardũ *Iun.* 5. Epiſcopum.

S. NOITBVRGIS virgo.

CLaruit Coloniæ in monaſterio B. Mariæ quod *Plectrudis* eius matertera, Pipini Heriſtallij vxor, cõſtruxerat. Vide Surium tomo 5. & Winhemium in Sacrario Agrippinæ.

NOVEMBER.

Sanctorum òmnium commemoratio.
Kalendis Nouembris.

ABeant impij Nouatores, qui Eccleſiam nunc effœtam falsò clamitant. Vt de *Franciſco Paulano, Thoma Villa-Nouano, Carolo Borromæo , Ludouico Bertrando, Paſchali Bailonio,* & alijs noſtri æui luminibus, cælo infertis, nihil dicam : anno 1622. quo Faſtos iſtos concinnabamus, multiplici prole fœcunda mater Eccleſia tres nobiliſſimos heroës, *Ignatium Loiolam, Franciſcum Xauerium, Philippum Nerium,* & heroinam inclytam *Tereſiam,* vno veluti partu edidit, & auctoritate Gregorij XV. Pont. Max. diuinos illis honores decreuit. Ex his IGNATIVS, Soc. Ieſu conditor ac parens, cùm Lutetiæ litteris operam daret, ſæpiùs Antuerpiam excurrit, & Hiſpanienſium mercatorum, ea in vrbe verſantium, liberalitatem non ſemel ſenſit : vt Nic. Orlan-

S. Ignatius Loiola.

Orlandinus in Hiſtoria Societatis cō-memorat. Eidem Ignatio, in Diuos relato, Antuerpia, procurante R. P. *Carolo Scribanio*, ciue noſtro, baſilicam, ex candido marmore Liguſtico, prima poſuit, & anno 1621. ſacrauit, inter Belgij miracula meritò numerandam.

TERESIAE virginis, de qua ſupra 4. Martij diximus, *digitus*, aureæ thecæ inclusus, adſeruatur Bruxellis in auguſto Carmelitanarum virginum cœnobio, per R. P. *Hieronymum Gratianũ*, qui virgini à ſacris Confeſſionibus fuerat, in Belgicam allatus. Eiuſdem *os grande* R. P. *Thomas à Ieſu Bratienſis*, vir libris editis clariſſimus, ad nos attulit, & in Carmelitarum diſcalceatorum monaſterio, quod anno 1614. Bruxellis abſoluit, honorificè collocauit.

S. Tereſiæ digitus & os Bruxellis.

S. VIGOR Epiſcopus VIII. Baiocenſis.

Arras.
baieux.

IN territorio Atrebatenſi natus, *Childeberto* Francis imperante, inter monachos Vedaſtinos *Atrebati* eſt educatus. Pòſt *Baiocæ*, in Gallia factus Epiſcopus, in monte Chriſmati baſilicam ædificauit: in qua & conditus fuit.

S. FLORBERTVS Abbas Blandinienſis & Gandenſis.

Gent.
Oct. 1.
Bl. n-dinberg.

VIr Apoſtolicus *S. Amandus*, an. 608. in caſtro *Ganda* verbum Dei prædicans, idola contriuit, S. Petri monaſterium (quod poſtea *S. Bauonis* eſt dictum) ædificauit, & in eo clericos conſtituit, qui Deo deſeruirent. In monte *Blandinio* prope Gandam an. 610. monachos Benedictinos collocauit: vnde verſiculi nati:

In ſexcenteno deno fundauit Amandus
Anno Blandinium, patronum dans illi Petrum,
Rexit Florbertus dotauit Rex Dagobertus.

Anno

Anno 618. amotis clericis, propter liberiorem vitam, monachos quoque in Gandenſi cœnobio collocauit; & vtrique loco *S. Florbertum* præfecit Abbatem. Corpus eius poſt annos 338. *Albero* Remorum Archiepiſcopus è terra leuauit, quod anno 1043. *Balduinus* Nouiomenſis Epiſcopus alio in loculo poſuit.

Florberto *Ioannes* ſucceſſit, qui anno 658. obijt. *Ioanni Baudemundus* (vitæ S. Amãdi à Surio editę ſcriptor) eſt ſuffectus. Baudemundũ excepit *Atta* ſiue *Hatta*, qui & Atrebatenſe monaſteriũ S. Vedaſti vnà rexit: cuius loci primus Abbas nuncupatur. Hattæ ſucceſſit *Cælestinus*, natione Scotus, & ſic alij deinceps ad noſtra vſque tempora. Hæc ex Blandinienſis Abbatiæ monumentis accepimus. Obijt autem S. Florbertus VIII. Idus Octobris an. 642. vt in Chronico ms. Gandenſi legitur.

S. VVLGANIVS Confeſſor. *Nou.2.*

Lens en Arthois. LEndium ſiue Lenſium *A*rteſię opidum, quattuor milliaribus *A*trebato, & totidem à Duaço diſtat: in quo, iam inde ab anno 1028. Canonicorum XII. collegium, cum Decano, reſidet: vt Meierus in *A*nnalibus Flandriæ, & verſus iſti vulgares teſtantur:

Anno milleno, ter deno, bis minus vno,
Hunc intrare chorum cœpit grex Canonicorũ.

Patronum habent *S. Vulganium*, quem Baldericus lib. 2. cap. 22. Scotum nuncupat. In hiſtoria vitæ, quæ Lendij ms. exſtat, dicitur fuiſſe *ex Chriſtianiſſima Anglorum gente.* Obijt *A*trebati in cellula iuxta monaſterium S. Vedaſti, non multò poſt tempora eiuſdem.

S. HVBERTVS Epiſcopus Leodicenſis, patronus venatorum, *Martyrol. Rom.* 3. *Nou.*

HVbertus patre *Bertrando*, *A*quitaniæ Duce, natus, ex *Floribana* con-

iuge

iuge *Floribertum* filium ſuſtulit. More *Apr.25.*
nobilium, in ſilua *A*rduenna, venanti
cùm Chriſtus crucifixus inter cerui
cornua apparuiſſet, ad *S. Lambertum*
Traiectenſem Epiſcopum ſe contulit,
ab eo inſtruendus. *A*nno itaque 688.
Theodorico Galliæ Regi balteum militarem reddidit, *Eudoni* fratri iuniori
principatum ceſſit, & vitæ ſanctioris
ſtudio totum ſe dedit. Romam profectus, *S. Lamberto*, per Dodonem *A*lpaidis fratrem cæſo, ſucceſſor an. 697.
à *S. Sergio* Papa eſt datus, & *Stola* cælitus miſſa honoratus. Traiectum reuerſus, *Pipinum Heriſtallium* monuit, vt eiecta Alpaide, vxorem *Plectrudem* reuocaret. Alpais itaque an. 698. Beliſiienſi
eccleſiæ, pænitentiæ cauſſa, eſt incluſa,
atque inde poſtea Orpium tranſmiſſa.

Anno 709. Hubertus, mente diuinitus monita, S. Lamberti corpus, &
vnà ſedem Epiſcopalem Traiecto
Moſæ Leodicum tranſtulit, locumque
poſtea muris cinxit, leges populo ſuo
dedit, Rempublicã conſtituit, & Leodicenſis eccleſiæ ſigillo hæc inſcripſit;

Sancta Legia Rom. Eccleſiæ filia. Ibidem baſilicam cathedralem in honorem *SS. Mariæ* & *Lamberti*, & collegiatam in honorem *S. Petri* ædificauit. Demum anno 727. diœceſim ſuam viſitans, cùm in febrim incidiſſet, *Furæ* ſua in domo pijſſimè obdormiuit, inde Leodicum delatus, & in crypta baſilicæ S. Petri honorificè conditus: vbi hodieque tumulus eius marmoreus viſitur. Inde an. 825. *Andainum* eſt tranſlatus, quod nunc eſt illuſtris Benedictinorum Abbatia, & municipium diœceſis Leodicenſis, in media ſilua Arduenna.

l'Abbaij S. Hubert.

Ter Vuren.

Ceterùm *Fura* hodie Ducum Brabantiæ arx eſt & municipium, medio ferè itinere inter Louanium & Bruxellum, ad caput ſiluæ Soniæ. In arcis area, eo ipſo loco, quo S. Hubertus obijt, ſacellum vetus oſtendi ſolet, quod bellorum temporumque iniuria collapſum *Albertus Pius* a fundamentis inſtaurauit: vt in ipſius vita fuſè narrauimus. Hiſtoriam S. Huberti, Notis eruditiſſimis illuſtratam, *Ioannes Roberti*, Soc. Ieſu Theologus, Luxemburgi

an.

an. 1621. publicauit. De *Stola* porrò S. Huberti cælitus accepta etſi in dies aliquid dematur, ea tamen non minuitur neque decreſcit: quod perenne miraculum alijs ſimilibus idem Ioannes Roberti quæſt. 5. accuratè confirmat.

S. Odrada virgo.

QVieſcit & colitur *Alemi*, qui vicus eſt diœceſis Siluiducenſis. *Otho* Comes in eius honorem baſilicam fabricauit, in qua multis claruit miraculis. *Alem.*

S. CAROLVS BORROMAEVS, Card. & Archiepiſcopus Mediolanenſis.

ANno 1584. ad Superos tranſijt, à *Paulo V.* an. 1610. cæleſtium numero ciuium adſcriptus. Ornamenta nonnulla ſacerdotalia quibus in ſacris celebrandis eſt vſus, à *Frederico Borromeo* ſucceſſore tranſmiſſa, *Louanij* in templo Canonicorum S. Petri, & *Anderlaci*, prope Bruxellam, in cœnobio Minimorum adſeruantur. *Anderlecht.*

S. Perpetuus Traiectenſis Epiſcopus. *Nou.4.*

GOndulpho Traiectenſi Epiſcopo an.617. defuncto, ſucceſſit *S. Perpetuus*, Dionanti ad Moſam opidi patronus, ibidem conditus: ex cuius tumulo oleum diu fluxiſſe dicitur. Eius vitam & miracula an. 1601. *Ioannes Chapeauillius* peculiari libro deſcripſit.

S. GREGORIVS Abbas Porcetanus.

FVit filius *Nicephori* Imp. Conſtantinopolitani, & frater *Theophaniȷ*, quam vxorem Otho II. Cæſar habuit. Romæ cœnobium S. Saluatoris, & *Borzet.* prope vrbem Aquiſgranenſem *Porcetanum* monaſterium exſtruxit. Horum poſterius primò fuit monachorum, quibus an. 1220. virgines ord. Ciſtercienſis, ex vicino S. Saluatoris monte, ſucceſſerunt. Vide plura apud *Petrũ Becanum* cap. 11. in Hiſtoria *A*quiſgranenſi.

De

De S. MODESTA virgine & Abbatiſſa Treuerenſi, Romanis Faſtis 4. Nou. adſcripta, vide ſupra.

S. FIBITIVS ex Abbate Epiſcopus Treuerenſis.

Martyrol. Rom. 5. Nou.

DE eo fusè agit Brouuerus in mss. Annalibus Treuerenſibus, & nos breuiter ſupra pag. 303.

S. WINOCVS Abbas.

Martyr. Rom. 6. Nou.

H*Eremarus vir nobilis, villam ſuam,* Wormhoult *dictam, in Flandria, ſupra fluuium Pena, B. Bertino tradidit. Bertinus verò conſiderans viros Dei, VVinocum & tres fratres eius, in Dei ſeruitio plus ceteris profeciſſe, eos illò miſit monaſteriolum cōſtruere, couentum congregare, Chriſtiãq; pauperibus hoſpitia præparare. Quibus Heremarus villam ſuam* Wormhoult, *cum appenditijs, priuilegio ſuo firmauit: quod ſic incipit:* Omnibus præſentibus & futuris,

qui

qui Chriſtiana cenſentur &c. *Actum in Sithiu monaſterio Kalendis Nouembris, anno primo Hildeberti Regis. Illi conuenticulo B. Bertinus conceſsit praeeſſe S. VVinocum, vbi miraculis concomitantibus, Domino finetenus inſeruiuit.* Sic Iperius in Chronico ms. Bertinenſi, qui de S. Winoco eiuſque tribus fratribus hæc itidem commemorat: *Circa an.* 661. *B. VVinocus, Iudicail Britonum Regis filius, & S. Iudoci frater, ſpreto mundo, ſub B. Bertino in Sithiu monaſterio, monachus efficitur, cum tribus fratribus ſuis,* Kadanoco *ſcilicet,* Ingenoco, & Modoco. *Praerat tunc B. Bertinus turbae CL. monachorum, inter quos VVinocus, quaſi ſtella matutina, prae ceteris clareſcebat.* Obijt autem S. Winocus an. 717. hoc ipſo in cœnobio Wormholtano conditus.

Anno 920. *Balduinus Caluus* Flādriæ Comes, Bergas vallo muniuit: *Balduinus* verò *Barbatus* an. 1029. cœnobium Bergenſe conſtruxit, monachos ex Bertinenſi Abbatia euocauit, eiſque Canonicorum Bergenſiū, quos Caluus fundarat, prædia, cenſus item Wormholtanos adſignauit.

B. SIMON Alnenſis.

ALnæ, in d Leodicenſi, monachus ord. Ciſtercienſis fuit, & VIII. Idus Nou. an. 1229. deceſſit, vbi & quieſcit. Vitam eius ſcripſit Frãciſcus Moſchus, & Atrebati an. 1600. publicauit. Longè amplior ms. apud me exſtat.

S. WILLIBRORDVS, Archiepiſcopus Vltraiectinus, Batauorum, Friſiorum, & Antuerpienſium Apoſtolus.
Martyrol. Rom. 7. Nou.

WIllibrordus, natione Anglo-Saxo, cum *Suitberto* & alijs X. ſocijs, Euangelij prædicandi cauſſa ex Britannia in Friſiam an. 690. traijcit, & Vltraiectum venit. Inde ad *Pipinum Heriſtallium* ſe conferunt, vt prædicandi facultatem impetrent. *Beda in hiſt. Angl.* *Mart. 1.*

An. 692. *S. Lambertus* Traiectenſis Epiſ- *Sept. 17.*

Epiſcopus, è Taxādria agri Brabantini parte, quam tunc excolebat, ſæpiùs Willibrordū viſitat, & cum eo de propaganda Fide confert.

Willibrordus Romam profectus, à S. *Sergio* Papa Friſonum Archiepiſcopus an. 696. conſecratur, in die & baſilica S. Cæciliæ. *Beda hiſt. l. 5. c. 12.*

Vtrecht. Roma in Friſiam reuerſus, ſedem Epiſcopalem Vltraiecti ad Rhenum an. 697. ſtatuit. *Beda ibid.*

An. 706 Anno XII. Childeberti Regis, III. Idus Maij, *Pipinus Heriſtallius* dat Willibrordo medietatem fiſci Epternacēſis: alteram verò medietatem dedit *Irmina*, Dagoberti Regis filia: vt Theofridus Abbas Epternacenſis, vitæ Willibrordianæ ſcriptor, narrat.

An. 719. *Radbodus* ſeu *Rabbodus* Rex Friſonum moritur idololatra. Ab iſto Rabbodo manſit apud Belgas nomen *Rabbout* *Rabbout*, quod hominem nequam ſignificat. *Iun. 5.* Radbodo mortuo, *S. Bonifacius*, pòſt Mogūtinus & Vltraiectinus Epiſcopus, ad Willibrordum venit, & anno 720. ac duobus ſequentibus, ipſi coopera-

peratør fuit.

Anno ſexto *Theoderici* Francorum Regis, *Rohingus*, Antuerpienſiū Princeps, eiuſque coniux *Bebelina* , Willibrordo donant tertiam partem telonei, & eccleſiam caſtri Antuerpienſis, quam *Amandus* Traiectenſis Epiſcopus conſtruxerat, & quæ etiamnū *Eccleſia caſtri* nuncupatur. Vide Rohingi diploma ſubiunctum, & S. *VVillibrordi Teſtamentum*, à R.P. Carolo Scribanio in Antuerpia editum. *An. 725.* *Borch-kercke.*

Beda finem hiſtoriæ ſuæ Anglicanæ imponit, Chriſti 732. ætatis ſuæ 59. anno; cùm Willibrordus 36. in Epiſcopatu annum ageret: vt ipſe Beda in fine hiſt. & l. 5. c. 12. narrat.

Anno 739. die 7. Nou. S. Willibrordus moritur, & *Epternaci*, quod eſt Ducatus Luxēburgenſis, & diœceſis Treuerenſis opidum, ſepelitur: vbi etiamnum quieſcit in ſui nominis Benedictinorum Abbatia, à ſe fundata. *Echter-nach.*

Rohingi,

Rohingi, Antuerpienſium Principis, diploma, quo is S. VVillibrordo donauit eccleſiam caſtri Antuerpienſis, & tertiam partem telonei.

Rau-chingus alias.

C*Redimus mercedis lucra conquirere, ſi aliquid de rebus noſtris, pro peccatis noſtris redimendis, ſacerdotibus Dei conferimus. Igitur ego, in Dei nomine,* Rohingus *& coniux mea* Bebelina, *donamus Apoſtolico domino & patri noſtro* Willibrordo *Epiſcopo, donatumq; in perpetuum eſſe volumus, hoc eſt, eccleſiam quæ conſtructa eſt infra* caſtrum Antuerpis, *ſuper fluuium Scaldæ, quam Dominus* Amandus *Pōtifex, in honore SS. Petri & Pauli, Apoſtolorum principum, vel ceterorum Sanctorum, conſtruxit, & nos pro ipſa eccleſia, vel quidquid ibidem aſpicere videtur, venerabili viro* Firmino, *Abbati de monaſterio* Quorcolodora, *locellum noſtrum nuncupatum* Tūme *in concambio dedimus, & nos poſtea à die præſenti iam dictam eccleſiam, vnà cū terris, domibus, ædificijs, accolabus, mancipijs, māſis, ſiluis, campis, pratis, paſcuis, aquis, aqua-*

aquarumq́, decuuſibus, adiacentijs, appendicijs ibidem aſpicientibus, farinarijs, gregibus cum paſtoribus, mobilibus & immobilibus, re acquiſita & inacquiſita, totam & ad integrum, quidquid dici vel nominari poteſt, tam de dote quàm de comparato, vel de qualibet re ad nos noſcitur peruenisſe, nos à die præſenti, ſupraſcripto Domino Willibrordo *donamus atque tradimus; & illud telonium, quod ad partem noſtram ibidem venerat, hoc eſt, illam tertiam partem, ad integram ei conceſſimus atque donauimus: in ea ratione, vt ibi thus vel luminaria debeant eſſe procurata, & presbyteri, qui ibi ſeruiunt, pro peccatis noſtris, Domini miſericordiam debeant exorare: & vt ipſe ſupraſcriptus Dominus* Willibrordus *ipſam eccleſiā, vel quidquid ibidem aſpicere videtur, ſeu ipſum telonium habeat, teneat atque poſſideat, dandi vel commutandi, vel quidquid exinde facere voluerit, liberam & firmiſſimam in omnibus habeat poteſtatem.*

Si quis verò (quod futurum eſſe nō credo) heredum vel proheredum meorum, vel quælibet oppoſita perſona, contra hanc donationis chartulam venire tentauerit, & eam infrin-

gere conatus fuerit, primitus iram Dei Omnipotentis incurrat, & ſanctorum Angelorum, & à liminibus Eccleſiæ alienetur, partemq́; habeat cum Iuda, & vltione Ananiæ & Saphiræ, vel lepra Giezi percutiatur; inſuper inferat fiſci iuribus auri libras duas, argenti pondo quinque. Nec ſi quid repetit, euindicare valeat, ſed firma & immobilis hæc donatio perennis temporibus permaneat, ſtipulatione ſubnixa. Actum publicè eſt hoc Weimodo, *regia villa, cum fecit October dies viginti, regnante* Theoderico *Rege, anno ſexto.*

Aliud diploma eiuſdem Rohingi.

IN *nomine Dei, ego illuſter vir* Rohingus, *& coniux mea* Bebelina, *donamus ad ſacroſanctam eccleſiam Petri & Pauli Apoſtolorum, quam Dominus* Amandus *Pontifex in* Antuerpo *cōſtruxit, vbi* Willibrordus *Epiſcopus præeſſe videtur, donatumq́; in perpetuum eſſe volumus, hoc eſt, villam noſtram, quæ eſt conſtructa in* pago Renenſium, *ſuper fluuium* Nutta, *quæ mihi de paterno iure legibus obuenit, in loco nuncupato*

Het lãt vã Rijẽ. Neta.

capato Prepruſdare, *cum omni integritate, & in alio loco, de materno iure ad me pertinente, vocato* Winlindechim, *medietatem de caſis, domibus, eccleſijs, mancipijs, & omnibus pertinentijs tradimus atque transfundimus, &c.* vt ſupra. *VVynethem.*

Hæc duo Rohingi diplomata ex peruetuſto Abbatiæ Epternacenſis libro fideliter depromſimus. Ceterùm ex iſtis diplomatibus liquet, à *S. Amando*, Traiecti ad Moſam Epiſcopo, viro Apoſtolico, eccleſiam veteris caſtri ſeu burgi Antuerpienſis, in honorem *SS.* Apoſtolorum Petri & Pauli conſtructam fuiſſe; adeoque *S.* Amandum primum vrbis Antuerpiẽſis Apoſtolum exſtitiſſe. Huic ſucceſſit *S. Eligius*, Nouiomenſis ac Tornacenſis Epiſcopus, *qui multùm laborauit in Flandris, iugi instantia Andouerpis decertauit, & multos erroribus implicatos Suenos conuertit:* vt Audoënus Rotomagẽſis Epiſcopus, illius vitæ ſcriptor, loquitur. Quo loco per *Sueuos* Florẽtius Haræus, lib. 1. cap. 3. de Caſtellanis Inſulenſibus, *Zelandos* intelligit, quos vulgò *Borchkercke.* *Antuerpienſiũ Apoſtoli* *Dec. 1.* *Zelandorum*

Apoſto-lus Eligius. vulgò *SeuVen* nuncupamus, & quorũ primus Princeps à nonnullis *Lippoldus Dux Sueuorum* nominatur.

Euangelicam apud Antuerpienſes plantationem, ab Amando & Eligio incohatam, *S.VVillibrordus* perfecit. Hæreſim, per Tanchelinum poſtea
Iun.6. ſparſam, *S.Norbertus*, ord. Præmonſtratenſis conditor, an. 1124. profligauit: vt Baronius in Annalibus, & nos in Chron. Præmonſtratenſi, & lib. De collegijs Canonicorum cap. 91. docuimus.

S.ENGELBERTVS Archiepiſcopus Colonienſis & martyr.
Martyrol. Rom. 7 *Nou.*

MAtrem habuit filiam Comitis Geldrenſis. Paſſus eſt an. 1225. pro defẽſione eccleſiaſticæ libertatis, & Rom. Eccleſiæ obedientia. Conditus eſt Coloniæ in baſilica *S.*Petri per Conradum Brabantinum, Card. & Legatum *A*poſtolicum. De rebus ab eo præclarè geſtis libros tres ſcripſit

Cæ-

Cæſarius monachus ord. Ciſtercienſis, & Surius evulgauit.

S. WILLEHADVS I. Bremenſium Epiſcopus. *Martyrol. Rom.* 8. *Nou.*

WIllehadus, S. Bonifacij diſcipulus, vnà cum magiſtro ſuo, in Friſia & Saxonia Euangelium propagauit. Widekindo Saxonum Duce perſecutionem mouente, cum *S. Ludgero I.* Monaſterienſi Epiſcopo, an. 782. Romam ſe contulit ad *Adrianum* Papam, qui perbenignè vtrumque excepit. In Germaniam reuerſus, latuit deinde *VVillehadus* Epternaci, in diœceſi Treuerenſi, apud ſepulcrum *S. VVillibrordi.* Pòſt anno 785. cùm Windekindus baptiſmi gratiam, cum Saxonum magnatibus, adeptus eſſet, ab exilio reuocatus, Caroli Magni Imp. nutu, per *S. Lullum A.* Moguntinum cathedræ Bremenſi imponitur. Moritur apud Friſios, loco *Plecaſze*, nunc *Plexen*; ſed Bremam deportatus, in baſilica *S.* Petri ſepelitur, quam ipſe ædificarat. Vi-

tam eius bona fide proſequitur vetuſtus ſcriptor *Adamus* in Bremenſi ſua Hiſtoria, itemq́; Crantzius & Surius.

S. GODEFRIDVS Epiſcopus Ambianenſis. *Martyrol. Rom.*

SAcrum baptiſma & nomen ipſi cōtulit *Godefridus* Abbas Inſulæ S. Quinctini, patruus maior *Godefridi Buloniȷ*, qui Hieroſolymam an. 1099. expugnauit. Cùm Remis conſecraretur, *Lambertus A*trebatenſis, & *Ioannes* Morinenſis, Epiſcopi, adfuerunt; qui & *A*mbianos adeuntem ſunt comitati. Vitæ hiſtoriam à *Nicolao Criſpinienſi* ſcriptam *S*urius recitat.

S. MARTINVS Archiepiſcopus Turonenſis. *Martyrol. Rom.* 11. *Non.*

IS Tornaci in *monte S. Martini* (vbi nunc eſt Abbatia Benedictinorum) mortuum ad vitam reuocaſſe, & apud *Fanopinenſes* templum idolorum euertiſſe traditur. Ioannem Cognatum in Hiſt.

Falepin

Hiſt. Tornacenſi lib. 1.cap.32. conſule. Eccleſiam metropolitanam, atquè vniuerſam diœceſim Vltraiectinam, ipſi deuotam fuiſſe, ob fluuium coercitum, qui per agrum omnem exundarat, Volaterranus ſcribit. Prouincia certè Vltraiectina S. Martini,equo inſidentis,effigiem ſcuto pro inſigni à multis retrò ſæculis prætulit. In vrbe Ambianenſi, quo loco adhuc catechumenus & miles chlamydem ſuam ſcidit, pauperique petenti partem dedit, hodie exſtat illuſtris Canonicorũ regularium Abbatia. Rei geſtæ fidem adſtruit columna, ante aram ſummam ibi poſita, quam an. 1609. me ibidem videre memini. Obijt autem S. Martinus an. 400. vt Bucherius & alij cũ eo ſupputant. Diſcipulum inter alios habuit *S. Seuerum Sulpicium*, non Epiſcopum (vt per errorem Baronius, aut alius neſcio quis, Rom. Martyrologij tabulis 29. Ianu. inſeruit) ſed presbyterum Primuliacenſem, qui præter alia ſcripſit vitã magiſtri ſui S. Martini. Ab iſto fuit alius *S. Sulpicius Seuerus*, cog-

S. Martin des Gemeaux.

nomento *Pius*, Bituricenſis Archiepiſcopus, qui an. 594. obijt, Romanis pariter Faſtis 17. Ianuarij adſcriptus.

B. BERTVINVS Epiſcopus.

Maloigne. EX Hibernia veniens, *Maloriæ* ad Sabim fl. in ditione & diœceſi Leodicenſi, oratorium ædificauit, quod nunc eſt Canonicorũ regularium Abbatia; vbi & obijt, & nunc quieſcit. Vide ſupra 10. Iulij.

S. LIVINVS Epiſcopus & martyr, Gandenſium patronus.

Martyrol. Rom. 12. Nou.

LIuinus in Scotia nobili genere natus, præceptoribus vſus eſt, primùm egregio Dei ſacerdote *Benigno*, deinde ſuſceptore ſuo è ſacro fonte magno illo *Auguſtino*, Anglorum primo Epiſcopo, A quo tandem etiã ſacerdotij ordine decoratus, tanta cum laude eo in ſtatu verſatus eſt, vt cum Scoti haut multò pòſt in Archiepiſcopum

pum ſuum eligere nō dubitarint. Pòſt relicto in Scotia vicario, magnæ ſanctitatis & virtutis viro, *Siluano* Archidiacono, ipſe Euāgelij plantandi cauſſa tribus cum diſcipulis, *Foliano, Helia*, & *Kiliano*, Oceano traiecto, deuenit in Flandriam. Et ingreſſus cœnobium Gandenſe, à B. *Amando* Epiſcopo tunc recens exſtructum, humaniter à *Florberto* Abbate fratribuſq; exceptus eſt. Vbi cùm B. *Bauonem*, à triennio defūctum, magnis coruſcare miraculis cōperiſſet, triginta continuos dies ſuper eius ſepulcrum Miſſarum ſolennia celebrauit. Pòſt inde, prædicationis cauſſà, digreſſus, innumeros ad Chriſti fidem verbo, exemplo, ac miraculis conuertit. Sed homines impij, quibus Chriſtus & pietas omnis erat exoſa, animaduertentes S. Epiſcopum tantā hominum multitudinem ad Religionem, erroribus priſtinis vitijſq; ſpretis, adducere, miris eum modis perſequebantur. Nec omnino deſtiterunt, donec linguam eius extractam, canibus deuorandam proijcerent (quæ ta- An. 633

men illi mox fuit miraculo reſtituta) ac tandem apud *Eſcham* Flandriæ vicum, multis vulneribus ſaucium, an. 633. obtruncarent. Quo eodem loco, nobilem quoque ac religioſam matronam *Craphaildem*, Liuini hoſpitam, vnà cum filiolo eius *Brixio*, quem Liuinus de ſacro fonte ſuſceperat, cùm palam quererentur immeritò interfectū eſſe ſanctum Epiſcopum, immaniter trucidarũt. Diſcipuli porrò corpus martyris, ſimul cum B. Brixij corpuſculo, vno eodemque in ſepulcro in *Hauthem* vicino pago, decenter ſepelierunt, ac iuxta eos ſeorſim S. Craphaildem. Sic ferè legitur in Officijs proprijs SS. Eccleſiæ Gandenſis, auctoritate Corn. Ianſenij Epiſcopi an. 1572. editis.

Crapahildem, in ms.

Eſt autem *Hauthem* pagus, tertio milliari à Gandauo ſitus, in cuius baſilica parochiali viſitur tumulus ingentis molis, cum cauea ſubterranea, verſibus aliquot additis, ſed rudioribus: quibus ſignificatur, tumulũ bellicis furoribus euerſum, per *Iacobum* Abbatem monaſterij S. Bauonis fuiſſe inſtauratum.

Porrò S.*Liuini* (qui & *Libuinus* interdum dicitur) vitam ac martyrium deſcripſit S.*Bonifacius* Archiepiſcopus *Iun.5.* Moguntinus: quam hiſtoriam cũ Nic. Serario, Soc. Ieſu Theologo, ſuppeditatem, an. 1605. eam Moguntiæ typis edendam curauit, cum Epiſtolis eiuſdem Bonifacij. Vocatur autem S. Liuinus Scotorum Archiepiſcopus, quòd apud illos primarius & prę ceteris eminens Epiſcopus fuerit. Nam vt in Hibernia *Eugenius III.* anno 1151. *Oct.23.* Archiepiſcopatus quattuor, ſupra à nobis commemoratos, ſic demum anno 1471. Sixtus IV. in Scotia duos Archiepiſcopatus, *Andreopolitanum* & *S.Andrews.* *Glaſcuenſem*, inſtituit. *Glaſguo.*

S. LEBVINVS confeſſor, Dauentrienſium Apoſtolus.

OThelgrimus, in vita S. *Ludgeri I.* Monaſterienſis Epiſcopi, per Chriſtoph. Brouuerum, edita, ipſum nuncupat *Liafwinum* ſeu *Liatwinum*; ita lib. 1. cap. 6. ſcribens: Temporibus Grego-

Gregorij III. Vltraiectenſis Epiſcopi, *venit & alius homo ſanctus*, Liafvvinus *nomine, ex Anglorum gente, Domino vocante, adductus. Etenim referebat, trina omnipotentis Dei admonitione, terribiliter ſe exire iuſſum, vt illo in loco, & illis gentibus miſeratoris noſtri Euangelium prædicaret. Petijtq́, à* Gregorio *demonſtrari ſibi locum diuinitus commendatum. Gauiſus ille de diuina clementia, direxit eum, in cōfinium Francorum & Saxonum, iuxta fluuiū* Iſala, *ad locum, qui dicitur* Dauentre, *dās ei comitem & cooperatorem verbi Dei, ſeruum Domini* Marchellum, *& ipſum ex Anglorum genere, à S.* Wilbrordo *à pueritia enutritum. Ibi cùm eccleſiam conſtrueret, & plurimos conuertiſſet ad Dominum, ſanctam animam reddens Domino, locum illum ſuo honorificauit corpore. Poſt mortem illius, Saxones, zelantes inibi collectionem Chriſtiani populi, locum illum præda & incendio vaſtauerunt, combuſtaq́, eccleſia, corpus eius, dum quærerent, inuenire nequiuerunt. Ea quoque tempeſtate* Gregorio *profecto ad Dominum,* Albricus *in Epiſcopatu ſucceſſit.* Hactenus Othelgrimus.

Dauentrienſis eccleſiæ origo.

Iul. 14.

Nou. 14

Vitam

Vitam porrò S. Lebuini ſcripſit *Hucbaldus* monachus Elnonenſis ad *Baldricum* XV. Epiſcopum Vltraiectinum, qui S. Lebuini pignus è ſepulcro leuauit, & altiore loco condidit. *Bertulfus* *Nou.* 14
verò XX. Epiſcopus, ex Vltraiectino S. Saluatoris Canonicorum collegio, Dauentriam veluti coloniam Canonicorum deduxit, & nouum ibi in S. Lebuini honoré templum excitauit.

Alius ab iſto fuit S. LIVTVVINVS *S. Liutvvinus.*
LVI. Archiepiſcopus Treuerenſis, cuius vitam, vt & S. VVillibrordi, ſcripſit Thiofridus Abbas Epternacẽſis. Idem ſcripſit Sermonem in Natalem S. *VVilgiſi*, qui pater fuit S. VVillibrordi: exſtantque mss. omnia Epternaci, breui edenda à R. P. *Ioanne Roberti*, Soc. Ieſu Theologo.

S. MAXELLENDIS virgo & martyr, in agro Cameracenſi.
Nou. 13. *Surius.*

TEmporibus S. Vindicani Præſulis Cameracenſis, an. 670. Maxellẽdis

vigo,

virgo, in territorio Cameracenſi, nobiliſsimis orta natalibus, circumuenta eſt, à quodam iuuene Harduino, vt eius coniugio iure matrimonij copularetur. Quæ dum nec auro, nec gemmis, nec vllo ornamentorum genere frangi potuiſſet, quò minus virginitatis propoſitum laxaret, nec parentes ſuos ſuper huiuſmodi conſilium audire vellet, deſperato iuuenis amore, captaq; oportunitate, qua puellam paternis ædibus ſolam poſsit offendere, aſſumpta ſecum nefandorum turba ſociorum, domum omnem circumuallauerunt, & inuentam virginem violenter traxerunt vſque ad locum, vbi nunc conſtructa eſt baſilica in honore omnium Sanctorum, præcipuè quidem S. Vedaſti, *& ipſius ſacræ virginis. Funeſtus itaque carnifex, dentibus frendens, euaginato gladio percuſſam interfecit. Qui mox vt ſanguinem virginis vidit, iuſto Dei iudicio, cæcus factus eſt. Sepultaq; eſt in baſilica SS. Apoſtolorum* Petri *&* Pauli, *ſanctiq;* Sulpicij *confeſſoris, quæ conſtructa eſt in villa, quæ vocatur* Pomeriolas. *Triennio verò expleto poſt paſsionem eius, quædam matrona nobilis, nomine* Amaltrudis, *voce diuina commonita eſt, vt* B. Vindicianum

Came-

Cameracenſem Epiſcopum adire deberet, vt ipſe cum clero ſuo ac plebe vicina, ſacrum corpus ad locum interfectionis, cum ſumma veneratione, referret, quia locum illum Dominus ſignis & miraculis clarificare diſpoſuerat. Quod B. Pontifex, mox vt referentis verba audiuit, implere curauit. Porrò Harduinus,*qui eam interfecerat, miſerrimè, & cum ignominia, adhuc in cæcitatis ſuæ tenebris viuebat. Qui vt ſacrum virginis corpus ad locum memoratum referri audiuit, damnans & recognoſcens peccatum ſuum, obuiam corpori ſe iubet duci, & ante feretrum ſe proſtrauit. Ad quem mox vt ſacri corporis baiuli peruenerunt, lumen recepit, currenſque ad Epiſcopum narrauit, quanta ſibi acciderant. Ex præſentis igitur occaſione miraculi, Epiſcopus verbo dato ad populum, ſanctum corpus in eccleſia ſupra memorata ſepeliuit.* Ita Baldericus lib. 1. cap. 23. &24. in Chron. Cameracenſi. Sacrum virginis corpus poſtea tranſlatum eſt ad Benedictinorum *S. Andreæ* monaſterium, quod in Caſtello Cameraceſij (opidum id eſt Epiſcopi Cameracenſis) *Gerardus I.* Epiſcopus an. 1021. fundauit, *Chaſtean en Cãbreſſi.*

dauit, eiuſque ſucceſſor *Lietbertus* perfecit.

S. CHILIANVS ſeu Chilenus Epiſcopus. 13. *Nou.*

CIrca an. 648. floruit *S. Chilianus* ſeu *Kilianus* Epiſcopus, patria Hibernus, quem frater *S. Faro* Meldenſis Epiſcopus ad Atrebates miſit: vt in vita eiuſdem Faronis legitur. De quo ſic lib. 2. c. 17. Baldericus Chronographus Cameracenſis: *In vico Albiniaco eſt monaſterium Canonicorum S. Chiliani, qui Scotus fuiſſe traditur.* Eius vitæ hiſtoria exſtat ms. in cœnobio Montis S. Eligij prope Atrebates, nuncupaturque in illa *Killianus Epiſcopus Hibernienſis.* Hoc loco ſemel monuiſſe ſuffecerit Hibernos apud veteres frequentiſſimè Scotos nuncupari. Quieſcit etiamnū Albiniaci, qui pagus eſt Baroniæ titulo clarus, & Prioratus Canonicorum regularium, à vicino Monte S. Eligij dependens.

Aulbignij. *Mart.* 11.

Ab

Ab hoc noſtro alius fuit S. *Chilianus* I. Epiſcopus Herbipolenſis. *Is diſcipulus S. Liuini Epiſcopi & martyris fuiſſe perhibetur* : vt loquitur Chronographus Gandenſis. Eiuſdem vitæ hiſtoriam cum Notis edidit Nic. Seratius. *S. Chilianus E. Herbipolenſis.*

B. *Milo*, B. *Siardus*, & alij Belgæ, ſanctitatis opinione clari, ex ordine Præmonſtratenſi.

B. MILO primùm fuit Abbas cœnobij S. Iudoci in Nemore, quod hodie *Dom-Martinenſe* vocatur, apud Heſdinum Arteſiæ opidum. Creatus poſteà Epiſcopus Teruanenſis, an. 1158. piè obdormiuit : ad cuius tumulum mulier cæca viſum recepit. De B. Milone, itemque S. Norberto, ac S. Bernardo Clareuallenſi vulgare illius ętatis iudicium atque elogium fuit : *In Norberto fides, in Bernardo caritas, in Milone humilitas elucet.*

V. HVGO, patriâ Cameracenſis, vt primus S. Norberto paupertatis ac religioſæ vitæ ſocius fuerat, ſic eidem in

Præmonſtratenſis Abbatiæ regimine ſucceſſit, ſuiſque laudatiſſimè præfuit.

B. EVERMODVS, ex intimis S. Norberti ſocijs, primùm Præpoſitus monaſterij S. Mariæ Magdeburgenſis, poſteà Raſeburgenſis in Germania Epiſcopus, inſtitutum Præmonſtratenſe Raſeburgum primus adtulit. De eo fusè Albertus Crantzius in ſua Metropoli & VVandalia.

B. GAREMBERTVS ſeu VVALIMBERTVS, Abbas Montis S. Martini, diœceſis Cameracenſis, in *Vulpen* Flādriæ pago apud Furnas opidum natus, vitam primò ſolitariam in ſilua quadā egit: *vbi diſcipulos congregans, tantâ vixit ſanctitate, vt ab Lietardo Epiſcopo Cameracenſi primus creatus ſit Abbas dictæ eccleſiæ*: vt Meierus in Annalibus Flandriæ tradit. Floruit anno 1132.

B. SIARDVS, Abbas quintus Horti B. Mariæ, cum annis 36. ſuis magnâ vitæ integritate præfuiſſet, an. 1230. ad meliorem vitam tranſijt. Vitam & miracula ſui prædeceſſoris Sibrandus ſextus Abbas litteris conſignauit.

B. RA-

B. RADVLPHVS, Abbas Viconienſis in Hannonia, *vir lenis, parcus ſibi, largus egenis*, an. 1217. deceſſit: ad cuius tumultum plurimi olim infirmi ſunt curati.

B. WALTERVS, Abbas Viconienſis, B. Radulpho in præfectura ſucceſſit: qui anno 1229. moriēs cùm ad ſepulcrum deferretur, tanta lux diuinitus immiſſa defuncti corpus irradiauit, vt ſodales adſiſtentes eam vix ferre poſſent.

B. IACOBVS Viconienſis, adhuc Nouitius, pijs operibus ac cantu in choro admodum ſe oblectans, poſt Antiphonam, *Aue mundi ſpes Maria*, decantatam, an. 1279. ſuauiſſimè obdormiuit. Cuius corpus triennio pòſt illæſum prorſus atque incorruptum eſt repertum.

B. ARNOLDVS à SVALMA, Paſtor Niniuenſis in Flandria, an. 1221. exſpirauit, miraculis poſt obitum clarus.

B. HERMANNVS Steinfeldenſis, qui & IOSEPH, ob ſingularem Deiparæ cultum, eſt nūcupatus, obijt an. 1236.

quieſcitque Steinfeldiæ, in diœceſi Colonienſi, è terra eleuatus. Vitam eius ſcripſit Raſo Bonuſ-Vicinus.

V. ADRIANVS Hiluaribecanus, *Brabantus*, & V. IACOBVS LACOPIVS, Aldenardenſis, Flander, an. 1572. Brilæ pro Chriſto martyrij palmâ ſint donati. Paſſionis hiſtoriam ſcripſit Guil. Eſtius. Sed de his & alijs plura qui volet, Chronicon noſtrum Præmonſtratenſe conſulat.

S. ALBRICVS Epiſcopus Vltraiectinus. 14. *Nou.*

Traiectum ad Rhenum hodie Vtrecht.

S*Eneſcente S. VVillibrordo in opere Dei, & ſtabilito in Epiſcopatu, in loco, qui nũcupatur Traiectum, & alio nomine VViltaburg, & migrante ad Dominum de hac luce, ſucceſſit S. Bonifacius, idem Archiepiſcopus & martyr, quem oculis meis ipſe vidi candidum canitie, & decrepitum ſenectute.* Hæc S. Ludgerus I. Epiſcopus Monaſterienſis in vita S. Gregorij Vltraiectenſis Epiſcopi. Sic & *Kixfridus*, Vltraiectẽſis pariter Epiſcopus, in epiſtola ad S. Lud-

Ludgerum diſertè S. Bonifacium *Archiepiſcopum Traiectenſem ſecundum* appellat; ipſe verò S. Ludgerus in epiſtola de S. Suitberto cap. 2. *Moguntinenſis & Traiectenſis eccleſiæ Archiepiſcopum* nominat. Sed videtur aut latiore modo id accipiendum aut dicendum, non ſtatim atque in Friſiam remigrauit, *Archiepiſcopatum* illum tenuiſſe. Exſtat enim eius ad Stephanum Papā Epiſtola, mox à nobis recitanda, in qua narrat abs ſe, *Carolomanni* Francorum Principis iuſſu, poſt S. Willibrordi mortem, Epiſcopum illic ordinatum. Ideoque vel tantummodo, quà Legatus Apoſtolicus, & inſignis ea in vinea operarius, eccleſiæ illius Archiepiſcopus videtur dſcendus; vel verè fuit Archiepiſcopus, ſed à *Sergio* Papa poſtea inſtitutus, cùm B. *Lullum* Moguntiæ Archiepiſcopum iam conſtituiſſet, & in ipſa Friſia multa hominum millia Chriſto adiungeret. Huc facere videtur quod Othlonus, vitæ Bonifacianæ ſcriptor, lib. 2. cap. 23. narrat: *Tantam*, inquit, *gratiam Dominus famulo ſuo Bonifacio*

S. Bonifacius an fuerit Archiepiſcopus Vltraiecti.

nifacio *contulit, vt poſt paucos dies multa*
millia virorum ac mulierum, cum commili-
tone ſuo Chorepiſcopo Eobano *baptizaret.*
Hunc namq; ad ſubleuandam ſenectutē ſuā,
iniuncto ſibi Epiſcopatu, in vrbe quæ dicitur
Trecht. Thret, *ſubrogauit.* Eadem alijs paulùm
verbis VVillibaldus in eiuſdem *S.* Bo-
nifacij vita cap. 10. cōmemorat. *Sic-*
que Vltraiectenſis Epiſcopus quidem
S. Eobanus. ſecundus fuiſſet *S. Eobanus,* ſed *A*rchie-
piſcopus ſecundus *S. Bonifacius,* cuius
ætate fracti, plurimiſque negotijs diſ-
De Chorepiſc. Bell. l. 1. de Cler. c. 17. tenti fuerit ille Chorepiſcopus, ſeu
vicarius Epiſcopus: quo modo in S.
Ludgeri uita cap. 7. *Alubertus S.* Gre-
gorij Chorepiſcopus dicitur.

Porrò qui tam *Eobano* Epiſcopo (is
fortaſſe *Dadanus* aut *Edanus* in Ratiſpo-
Supra pag. 723 nenſi ſynodo an. 742. habita nomina-
tur) quàm *Bonifacio A*rchiepiſcopo in
eccleſia Vltraiectina ſuccederet, ordi-
natus ſeu deſignatus fuit ab ipſo S.
Bonifacio idem S. Gregorius. Sed quia
is (vt Nic. Serarius Hiſt. Mogun. lib.
3. not. 30. docet) Epiſcopali ordine
initiatus nunquam fuit, Chorepiſco-
pum

pum habuit *Alubertum* natione Anglū, ſucceſſorem verò *S. Albricum* nepotē: quem Othelgrimus & VVerdenenſes monachi in vita S. Ludgeri mirificè laudant. Quieſcit autem S. Albricus in monaſterio *Suſterenſi*, quod hodie eſt nobilium virginum Canonicarū collegium, in diœceſi Leodicenſi & Ducatu Iuliacenſi, à S. *VVillibrordo* fundatum. *Suſterē.*

Qualiter verò poſt S. Willibrordi obitum, Colonienſis Archiepiſcopus Vltraiectinam eccleſiā ſibi vindicare conatus fuerit, ex S. Bonifacij epiſtola ad Stephanum Papam circa an. 754. ſcripta datur intelligi: *Venerando ac diligendo Domino Apoſtolatus priuilegio prædito* Stephano *Papæ* Bonifacius, *exiguus Legatus vel miſſus Germanicus Catholicæ & Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ, optabilem in Chriſto charitatis ſalutem. Tempore* Sergij *Apoſtolicæ ſedis Pontificis, venit ad limina SS. Apoſtolorum preſbyter quidam miræ abſtinentiæ & ſanctitatis, generis Saxonum, nomine* VVillibrodus, *& alio nomine* Clemens *vocatus, quem præfatus Papa Epiſcopum*

piſcopum ordinauit, & ad prædicandam paganam gentem Freſonum *tranſmiſit in littoribus Oceani occidui. Qui per L. annos prædicans præfatam gentem* Freſonũ *maxima ex parte conuertit ad fidem Chriſti, fana & delubra deſtruxit, & eccleſias conſtruxit, & ſedem Epiſcopalem & eccleſiam in honore* S. Saluatoris *conſtituens, in loco & caſtello, quod dicitur* Traiectum *& in illa ſede & eccleſia* S. Saluatoris, *quam conſtruxit, prædicans vſque ad debilem ſenectutem permanſit, & ſibi* Coëpiſcopum, *ad miniſterium implendum, ſubſtituit & finitis longæuæ vitæ diebus, in pace migrauit ad Dominum. Princeps autem Francorum* Carolomannus *commendauit in ſedem illam ad conſtituendum & ordinandum Epiſcopum, quod & feci. Nunc autem* Colonienſis Epiſcopus *illam ſedem præfati Epiſcopi* Clementis *à* Sergio *Papa ordinati ſibi vſurpat, & ad ſe pertinere dicit propter fundamenta cuiuſdam deſtructæ à paganis eccleſiolæ: quam* VVillibrordus *dirutam vſque ad ſolum in caſtello* Traiecto *repperit, & eam proprio labore à fundamento conſtruxit, & in honore* S. Martini *conſecrauit. Et refert,*

S. Saluatoris eccleſia Vltraiecti.

S. Martini.

fert. quia ab antiquo Rege Francorum Dagoberto *caſtellum* Traiectum, *cum deſtructa eccleſia, ad Colonienſem parochiã donatum in ea conditione fuiſſet, vt* Epiſcopus Colonienſis *gentem* Freſonum *ad fidem Chriſti conuerteret, & eorum prædicator eſſet: quod & ipſe non fecit. Non prædicauit, non conuertit* Freſeos *ad fidem Chriſti, ſed pagana manſit gens* Freſonũ, *vſque quò venerandus Pontifex Rom. Sedis* Sergius *ſupradictũm ſeruum Dei* VVillibrordum *Epiſcopum ad prædicandum ſupradictæ genti tranſmiſit, qui illam gentẽ, vt præfatus ſum, ad fidem Chriſti conuertit. Et modò vult* Colonienſis Epiſcopus *ſedem ſupradicti* VVillibrordi *prædicatoris ſibi contrahere, vt non ſit Epiſcopalis ſedes ſubiecta Rom. Pontifici, prædicans gentem Freſonum. Cui reſpondebã, vt credidi, quod maius & potius fieri debeat præceptum Apoſtolicæ Sedis, & ordinatio* Sergij *Papæ, & legatio venerandi prædicatoris* Willibrordi, *vt & fiat ſedes Epiſcopalis ſubiecta Rom. Pontifici prædicans gentem Freſonũ, quia magna pars illorum adhuc pagana eſt, quàm deſtructæ eccleſiolæ fundamẽta diruta,*

& à paganis conculcata,& per negligentiam Epiſcoporum derelicta.Sed ipſe non conſentit. Sed modò Paternitatis veſtræ iudicium mihi intimare dignemini; etſi hoc iuſtum ſit reſponſum,& vobis placeat,quod illi Colonienſi Epiſcopo *reddidi, veſtra auctoritate roborare, vt præceptum* Sergij *Papæ & ſedes illa ſtabilis permaneat. Sic enim poteſtis nos, ſi vobis placet, adiuuare, ſi de ſcrinio eccleſiæ veſtræ exemplare iubetis,& mihi tranſmittere quidquid præfato Epiſcopo* Willbrordo *ordinato* S. Sergius *præciperet & conſcriberet, vt ex auctoritate Sanctitatis veſtræ contradicentes conuincere, & ſuperare valeam. Si autem aliter iuſtius Sãctitati veſtræ videatur,conſilium Paternitatis veſtræ mihi inſinuare dignemini, vt ſequar.*

Ex iſta Bonifacij epiſtola diſcimus, ſedem Epiſcopalem a S. *VVillibrordo* in S. *Saluatoris* templo Vltraiecti collocatam fuiſſe: quę paulò poſt eius obitum ad S. *Martini* templum eſt tranſlata, viuente adhuc S. *Bonifacio:* vt patet ex *Pipini* Frãcorum Regis diplomatibus, lib. de Canonicorum collegijs cap. 20. per nos productis: in quorum altero idem

idem Bonifacius *vrbis Traiectenſis Epiſcopus*, in altero *cuſtos caſæ Dei & S. Martini* nuncupatur.

S. Lavrentivs Epiſcopus Dublinienſis in Hibernia.
Martyrol. Rom. 14. *Nou. & Surius.*

MEritò hîc nobis laudandus videtur, vtpote qui cœnobiticam vitæ regulam ab *Aroaſia*, Canonicorũ regularium apud Arteſios Abbatia, mutuatus, S. *Patritij* monaſterium apud Dublinienſes condidit, & Canonicos ſæculares in regulares, iuxta reformationem Aroaſienſem, transmutauit. De qua Origines Canonicorum regularium, an. 1614. Coloniæ à nobis editas, cap. 10. lege, ſi placet. Diuis adſcriptus eſt per Honorium III. Papam. **Dublin.**

S. Ev-

S. EVGENIVS martyr, & I. Epiſcopus Toletanus.
Martyrol. Rom. Nou. 15. die.

SAraceni è Mauritania cùm in Hiſpaniam irrupiſſent, corpus S. *Eugenij I.* Toletani Antiſtitis in Galliam eſt trãſuectum, & in *S. Dionyſij Abbatia*, Regum tumulis clariſſima prope Pariſios, collocatum. Inde pars corporis à *S. Gerardo Abbate* in Belgicã, ad Bronienſe monaſterium, diœceſis hodie Namurcenſis, eſt tranſlatum: vbi etiamnum religiosè adſeruatur. Pars altera anno 1565 à *Carolo IX.* Galliæ Rege ad *Philippum II.* Regem Catholicum eſt tranſmiſſa, & ſolenni pompa in baſilicam Toletanam regijs humeris inuecta. Fuit autem S. Eugenius *S. Dionyſij* primi Pariſienſis Epiſcopi diſcipulus: qui an idem fuerit cum *Dionyſio Areopagita*, diſputant eruditi. Non fuiſſe eundem, ex *veteri Martyrologio Romano*, per R. P. *Heribertum Roſueidum*, Soc. Ieſu Theologum, an. 1613. typis Plan-

S. Denis en Frãce.

S. Dionyſius E. Pariſiẽſis an idẽ cũ Areopagita.

Plantinianis edito, conuinci videtur; in quo de Areopagita 3. Oct. ſic legitur: *Athenis, Dionyſij Areopagitæ, ſub Adriano diuerſis tormentis paſſi: vt Ariſtides teſtis eſt in opere, quod de Chriſtiana religione compoſuit. Hoc opus apud Athenienſes inter antiquorum memorias clariſſimum tenetur.* De Dionyſio Pariſienſi 9. Oct. ita legitur: *Pariſijs, Dionyſij Epiſcopi, cum ſocijs ſuis à Feſcennino gladio animaduerſi.* Huic ſententiæ *Nic. Faber, Ant. Oiſelius, Fronto Ducæus, Iac. Sirmondus, Io. Sauaro,* & alij plerique in Gallia eruditi ſubſcribunt. Nemo certè, ante Caroli Magni & Ludouici Pij Impp. tempora, ſcriptis, quæ ad nos peruenerint, aſſeruit, S. Dionyſium Pariſienſem eundem fuiſſe, qui in Areopago à Paulo Apoſtolo ad Chriſti fidem eſt conuerſus: quin imò omnes contrà ſenſerunt. *Seuerus Sulpitius*, presbyter Primuliacenſis, S. Martini Turonenſis diſcipulus, ſcribit, *perſecutione demum quinta, martyria in Gallijs viſa fuiſſe, ſeriùs trans Alpes Dei religione ſuſcepta.* Ea autem perſecutio circa an. 170. agitata fuit: quo tempore

Lugduni

Lugduni & *Viennæ* Vetium, Fotinum, Ireneum, Blandinam, & alios ſexus vtriuſque plurimos martyrium feciſſe teſtatur Euſebius. Ad hoc verò tēpus Dionyſius Areopagita peruenire non potuit. *Gregorius Turonenſis* Epiſcopus, diligentiſſimus hiſtoriæ Gallicanæ ſcriptor, tradit Dionyſium Epiſcopū Pariſienſem in Galliam veniſſe, *Decio* ſecundùm & *Grato* Conſulibus. Decius autem ſecundùm cùm Grato circa an. 251. Conſul fuit. Hæc à *Nic. Fabro*, Ludouici XIII. Regis præceptore, cū an. 1610. Lutetiæ verſaremur, non ſemel accepimus.

S. MACLOVIVS ſeu Machutus Epiſcopus. *Martyr. Rom.* 15. *Nou.*

IN Britannia Aremorica, quā nunc Minorē vocamus, is fuit *Alethæ* vrbis Epiſcopus, quæ ab ipſo hodie *Maclouiopolis* nuncupatur. Vitam eius ſcripſit ſeu potiùs emendauit Sigebertus noſter Gemblacenſis. Eiuſdem reliquiæ adſeruantur Gemblaci, in Benedictinorum Abbatia.

S. Malo en Bretaigne.

Febr. 4.

S. ED-

S.Edmvndvs Archiepiſcopus Cantuarienſis. *Martyr.Rom.* 16.*Nou.*

Inter Archiepiſcopos Cãtuarienſes, à Mariano Victorio (qui illorum catalogum ſcripſit, Romæ an. 1604. editum) tredecim nuncupantur Sancti, videlicet *Auguſtinus, Laurentius, Mellitus, Iuſtus, Honorius, Adeodatus, Theodorus, Odo, Dunſtanus, Elphegus, Anſelmus, Thomas* & *Edmundus*. Ex his tres *Dunſtanum, Anſelmum,* & *Thomam*, qui pro defenſione libertatis eccleſiaſticę, Anglia excedere iuſſi ſũt, Bertinẽſe olim monaſteriũ humaniſſimè excepit ac fouit. De *Dũſtano* 19. Maij egimus. *Anſelmum* innumerabilem ibi multitudinẽ ſacri chriſmatis vnctione confirmaſſe, Edinerus l.2. vitæ ipſius tradit. De *Thoma* martyre infra 29. Dec. tractabimus. *Anſelmus*, natione Burgundus, vt quidam ſcribunt Auguſtæ ad radices Alpium natus, libris editis clarus, an. 1110. exceſſit. *Edmundus* an. 1246. Pontiniaci in Gallia obijt, ab Innocentio IV. in Diuos relatus. De Odone vide p.320.

S.Mom-

S. MOMBOLVS Abbas. *Nou.* 18.

COllega fuit SS: *Furſei, Vltani, Foillani, Boetij, Eloquij, Adalgiſi* & *Columbani*: de quibus ſupra 10. Iulij egimus. *Laigny.* Abbas item fuit in *Latiniaco*: ſed relictis omnibus, cum paucis fratribus, ad locum, qui olim *Condrinus* vocabatur, ad Iſaram fl. ſeceſſit, ibique vitā duxit eremiticam. Gratus in primis *S. Eligio* Nouiomenſi Epiſcopo: cuius permiſſu per vniuerſam illam diœceſim verbū Dei ſparſit.

S. ELISABETHA, Andreæ Regis Hungariæ filia.
Martyrol. Rom. 19. *Nou.*

ELiſabetha, ex *Ludouico* Thuringiæ & Haſſiæ Lantgrauio, inter alias proles, *Sophiam* filiam peperit, quæ *Hērico II.* Brabantiæ Duci nupta, matrēque æmulata, ampliſſimum Louanij *Louen.* Xenodochium ad Diliam fl. condidit ac dotauit. Fuit autem Eliſabetha cul-

tui

tui Deiparæ addictiſſima: & ſeruantur etiamnum, *Hallis* & *Viluordiæ*, Virginis Matris ſtatuæ, quas ipſa olim in veneratione habuit: vt ſupra Kalendis Sept. explicuimus. Ad æternam quietem an. 1231. tranſijt, cæleſtium numeris an. 1235. per *Gregorium* IX. adſcripta, & *Marburgi* apud Haſſos, in ædicula Xenodochij à ſe cõditi ſepulta: Vnde non exigua oſſium ſacrorum portio Bruxellas eſt tranſlata, & in auguſto Carmelitanarum virginum cœnobio, ab *Alberto Pio* & *Iſabella Clara Eugenia*, Belgarum Principibus, exſtructo, honorificè collocata: quibus acceſſit portio altera ex *Loſdunenſi* virginum apud Hollãdos olim monaſterio. Penes camdem Sereniſſimam *Iſabellam* in ſecreto Oratorio eſt Caput S. Eliſabethæ, quod *Greio* Burgũdiæ opido, allatum *Philippus Guilielmus* Princeps Arauſionenſis, an. 1617. ipſi dono dedit.

Halle. *Vilvorde.* *Marpurg.* *Loſdunen.* *Orange.*

S. COLVMBANVS Abbas primùm Luxouienſis, pòſt Bobienſis.
Martyrol. Rom. 21. Nou.

Luxouiul. L*Vxouienſe* & *Fontanenſe* monaſteria in Burgundia fundauit: pòſt vrgéte Regina *Brunechilde*, an. 610. in exilium, iuſſu Regis *Theoderici*, pulſus, Veſontione aliquamdiu apud *S. Nicetium* Archiepiſcopum ſubſtitit, ac demum in Italiam tranſijt, & *Bobienſe* apud Inſubres cœnobium condidit: vbi & an. 613. aut 614 exſpirauit. Res eius geſtas *Ionas* monachus ac diſcipulus deſcripſit exſtantque apud Suriũ & Bedam. Alius ab iſto fuit B. *Columbanus*, Gandaui recluſus: de quo ſupra egimus.

S. ALBERTVS martyr & Epiſcopus Leodicenſis.
Martyrol. Rom. 21. Nou.

FVit is *Godefridi III.* Lotharingiæ Brabantiæque Ducis ex *Margarita*

Lim-

Limburgica filius, pro defenſione libertatis eccleſiaſticæ apud Remos in Gallia anno 1192. martyrio coronatus. Sacra eius oſſa *Melchior Demu ouaius*, Epiſcopus Brioceaſis, Ludouici à Lotharingia, Archiepiſcopi Remenſis, iuſſu, magna ſolemnitate è terra an. 1612. poſtridie Kal. Nouembris e-leuarat. Inde magno comitatu in Belgicam, ac demum Bruxellas tranſlatum Diuum, ſibi cognominem, ſanguineque iunctum, in Carmelitanarum virginum diſcalceatarum cœnobium ALBERTVS PIVS, Belgarum Princeps, anno eodem, die 11. Decembris, ſuis ipſe humeris inuexit; *Guidone Bentiuolo*, tunc Internuntio Apoſtolico, nunc S. R.E. Cardinale, *Matthia Houio*, Machlinienſi, *Ioanne Richardoto*, Cameracenſi, Archiepiſcopis, *Alfonſo Requeſenſi* Roſonenſi in Dalmatia Epiſcopo, Abbatibus plurimis, & aulæ proceribus vniuerſis comitantibus. Paulus V. fortiſſimum Dei athletam peculiari diplomate cœlitibus adſcripſit.

Pauli V. Papæ diploma.

Paulus V. Papa, ad perpetuam rei memoriam. Regis æterni, qui ſeruos probatos in tentatione immarceſſibili æternæ gloriæ corona donat in cælis, vices, quamquam immeriti, gerentes in terris, ex iniuncto nobis officij debito procurare tenemur, vt eorumdem ſeruorum Chriſti honos & veneratio in terris quoque indies magis promoueatur: ideoq; fidelium, præſertim verò Catholicorũ Principum votis, quæ peculiarem erga illos cultum reſpiciunt, libenter annuimus, prout in Chriſto conſpicimus expedire. Sanè nomine dilecti filij, nobilis vir. Alberti, *Archiducis Auſtriæ, & Belgicarum prouinciarum Principis, nobis nuper expoſitum fuit, quod ipſe ex ſingulari, quem erga S. Chriſti martyrem* Albertum, *Epiſcopum Leodienſem, S. R. E. Cardinalem, gerit deuotionis affectum, eius corpus ab eccleſia Remenſi, in qua per quadringentos annos requieuit, ad eccleſiam monaſterij monialium, ordinis B. Mariæ de monte Carmelo, diſcalceatarum nuncupatarum, in opido Bruxellenſi, Mechlinien-*

nienſis diœceſis, nuper à ſe ædificati & dotati, cum ſolenni proceſſione ritè & canonicè transferri curauit, & ad augendam Chriſti fidelium erga dictum Sanctum deuotionem, in omnibus eccleſijs tam ſæcularibus quàm regularibus dicti opidi Bruxellenſis, nec nõ in eccleſia Remenſi præfata Officium & Miſſam ſolenniter de eodem Sancto recitari poſſe plurimùm deſiderat. Quare nobis humiliter ſupplicari fecit, vt eius votis in primis annuere, aliàſq; deſuper oportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur dicti Alberti *Archiducis & Principis laudabile eiuſmodi deſideriũ plurimùm in Chriſto commendantes, ipſumq;* Albertum *Archiducem & Principem ſpecialibus fauoribus & gratijs proſequi volentes, & à quibuſuis excomunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, alijſq; Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure vel ab homine quauis occaſione, vel cauſſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harũ ſerie abſoluentes & abſolutum fore cenſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati de venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E.*

Cardinalium ſacris ritibus præpoſitorum, cõſilio, quod in poſterum perpetuis futuris temporibus, in omnibus dicti opidi Bruxellenſis ſecularibus & regularibus eccleſijs, nec non in eccleſia Remenſi præfata, in die natali S. Alberti *huiuſmodi, videlicet die 21. Nouembris, in die verò tranſlationis eiuſdem, in eccleſia ſolùm monialium Carmelitarum diſcalceatarum præfatarum dicti opidi, Miſſa & Officium de S. Alberto ſicut de Communi vnius martyris Pontificis celebrari ſolet, iuxta Miſſalis & Breuiarij Romani regulas & rubricas celebrari poſſit, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, licentiam & facultatem perpetuò concedimus & impartimur. Nõ obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, nec non eccleſiarum & Ordinis huiuſmodi, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſq; contrarijs quibuſcumq. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem, ſub annulo Piſcatoris, die 11. Auguſti 1613. Pontificatus noſtri anno 9. S.* Cobellutius.

S. AL-

S. ALBERTVS Patriarcha Hieroſolymitanus.

FVit is pronepos *Petri Eremitæ* ſupra 15. Iulij à nobis laudati, qui *Vrbano II.* Papæ auctor belli ſacri extitit. *Brocardo* Priori, ceteriſque fratribus in monte Carmelo agentibus, vitæ regulam (quam hodieque ſeruant monachi Carmelitæ) an. 1171. præſcripſit; ſi tamen in numeros mendum non irrepſit. Veterem nummum argenteũ ex *Philippi II.* Regis Catholici bibliotheca depromptum, diu poſſedi, & poſtea R. P. *Thomæ à Ieſu Bratienſi*, Carmelitarum diſcalceatorum in Belgica Præfecto, dono dedi, cuius iſta eſt inſcriptio ex vna parte: *Albertus Patriarcha Hieroſolymitanus, anno M.CC.VI.* Ex altera parte: *Hieroſolyma à Saracenis capta, Sede Aconem tranſlata. Nummus peregrinorum.* Spectantur illo in nummo inſignia vrbis Hieroſolymitanæ, itemque inſignia gentilicia *familiæ Eremitanæ*, quæ ad Petrum Eremitam, patria Ambianen- *l'Hermite.*

bianenſem, olim coniugatum, genus ſuum refert, & apud Francos Hannoneſque etiamnum floret. Ceterũ huius *S. Alberto* feſtiuitatem Carmelitæ diſcalceati die 8. Aprilis quotannis celebrant: vt ex Officijs proprijs illius Ordinis, à Sacra Rituum Congregatione Romæ approbatis & Antuerpię per Plantinianos an. 1617. editis conſtat. Vide Origines noſtras Carmelitanas cap. 1. & Chronicon noſtrum, cum Sigebertino editum, ad an. 1206.

S. Autbodus. De *S. Autbedo* ſiue *Aubodio*, confeſſore, ſupra 10. Iulij vide.

S. TRVDO Confeſſor, & fundator Abbatiæ Trudonenſis, in diœceſi Leodicenſi.

Martyrol. Rom. 23. *Nou.*

S. Trudo, an. 628. in agro Hasbanienſi natus, anno ætatis ſuæ 27. à *S. Cedulpho* Epiſcopo Metenſi ſacerdos cõſecratur. Anno 647. cœnobium *Sarcinienſe*, quod hodie ſub inſtituto Benedictinorum in opido S. Trudonis floret,

floret, in prædio ſuo auito, ſuis ipſe facultatibus magnificè extruxit ac dotauit; exſtructumque à *S. Theodardo* Epiſcopo Traiectenſi, in honorem SS. Quintini & Remigij, III. Idus Octobris, dedicandum curauit. Anno ætatis ſuæ ſexageſimo quinto, diem obijt. Corpus eius in monaſterio prædicto, in ærea vrna magnificè conditum, viſitur. Hæc, vt & ſequentia, hauſimus ex illius loci archiuis, cùm illac anno 1621. iter haberemus. Vitam S. Trudonis accuratè ſcripſit *Gerardus Meringus*, Theologus Louanienſis.

B. *Adela*, mater S. Trudonis.

ANno 664. B. *Adela*, ex Auſtraſiorum Ducum orta ſanguine, mater S. Trudonis, obijt, ſepulta in pago ſuo hereditario, *Zelem*, non longè ab opido Diſtenſi in Brabantia. Os magnum, & pars maxillæ eius, in monaſterio S. Trudonis viſuntur.

In eodem monaſterio adſeruantur corpora *S. Eucherij* Aurelianenſis Epiſcopi,

copi, & *S. Liberti* martyris : de quibus vide ſuprá 20. Febr. & 14. Iulij.

S. SARIVS presbyter. 24. *Nou.*

Cābreſy. QVieſcit *Cameraceſij* in S. Andreæ Benedictinorum monaſterio, per *Gerardum I.* Cameracenſem Epiſcopū ex vrbe Cameracēſi cò tranſlatus, vnà cum corpore *S. Maxellendis* virginis: vt ſupra 13. Nou. diximus. Colitur dictis in locis, itemq; *Lambris* prope Duacum vt patronus in magna eſt veneratione. *Lambre* Ceterùm *Lambræ*, ignobilis hodie pagus, olim fiſcus & portus regius fuerunt, quem locum, cum iure telonij ac monetæ cudendæ, *Carolus Simplex*, Galliæ Rex, *Stephano XXII.* Epiſcopo Cameracēſi circa an. 920. dono dedit: vt Baldericus l. 2. cap. 21. in Chron. Cameracenſi narrat. In eodem vico Lambrenſi ſepultus fuit *Sigebertus* Rex Auſtraſiæ, qui *Chilpericum* fratrē ſuum, Regem Pariſiorum, bello Tornacum vſque profecutus, dolo *Fredegundis* an. 575. cecidit ; inde poſtea tranſlatus Sueſ-

Sueſſiones ab eodem *Chilperico* Rege ad baſilicam, quam *S.* Medardo exſtruxerat. Cuius rei Venantius Fortunatus in vita eiuſdẽ Medardi meminit.

B. *Ludouicus* Comes, & fundator monaſterij Arenſte[in]enſis, ord. Præmonſtratenſis, in d. Treuirenſi.

ARenſtenium, in Longanæ tractu, clarum eſt familiæ Præmonſtratenſis monaſterium, de quo copioſè *Chriſtoph. Brouuerus*, Soc. Ieſu Theologus, in Notitia Monaſtices Treuirẽſis diœceſis pertractauit Scriptor vitæ B. Ludouici, ab aquila nominis originem deriuat. Locorum periti ab *Aura* riuo, qui contra *A*renſtenium in Longanam influit, trahi malint. Colonia hac aſcetica ex *Gratia Dei* (id cœnobio nomen fuit ad Salam fl. in Saxonia) deducta. Godefridus celebratur primus Abbas, ab *Alberone* Treuirorũ Archiepiſcopo, circa anno 1139. ordinatus. Monaſterij autem fundator fuit B. *Ludouicus*

douicus Comes Arenſtenius, qui annò 1139. quem dixi, caſtrū ſuum in monaſterium ord Præmonſtratenſis conuertit, factus ibidem ipſe Conuerſus, vt loquuntur: vbi & an. 1185. die 24. Nou. piè in Domino obdormiuit. Vitam eius à coætaneò ſcriptam Brouuerus Notis illuſtrauit, & Moguntiæ an. 1616. edidit.

B. Godefridus Cappenberg. B. GODEFRIDVS, Cappenbergenſis in Weſtphalia Comes, relicto ſæculo, in diſciplinam S. *Norberto* ſe tradidit & tria illuſtria monaſteria, *Cappenbergenſe*, *Varlarenſe*, & *Ilmſtadianum* ſuo ſumptu excitauit. Coniugem ſuam ſacro caſtitatis religioniſque ſtudio incēdit: fratrem ſuum *Othonem*, ab humilioris vitæ inſtituto abhorrentem, ad illud verbo exéploque ſuo traduxit, obijtque anno 1126. Vitam eius ex manuſcriptis libris Nic. Serarius, Soc. Ieſu presbyter, eruit, & Moguntiæ anno 1605. publicauit. Exſtat & alia vitæ eiuſdem hiſtoria apud *Surium*, auctore anonymo.

S. ODA virgo, Rodæ. 27. *Nou.*

VT patrona colitur & quieſcit *Rodæ*, quod amplum Brabantiæ eſt municipium, in diœceſi Siluiducenſi. Dicitur fuiſſe filia Regis Scotorum & ſeruandæ virginitatis ſtudio, fugiſſe à facie patris, qui ad ſæculares curas eam trahere conabatur. Obijt autem Rodæ circa annum 713 peregrina pro Chriſto eſtq; è terra eleuata an. 1103. per *Obertum* Epiſcopum Leodicéſem. Poſt quam eleuationem, cùm multa ibi fierent miracula, nobilis matrona *Hileuaris*, Becæ ac Rodæ domina, clericos ſeu Canonicos vtroque in loco conſtituit ac dotauit. *S. Oden Rode. Hiluerẽ Beeck.*

S. MAXIMVS Epiſcopus, Teruanæ olim, nunc Ipris clarus.

VVlgaris opinio habet, ipſum in *Lerinenſi* inſula, quæ S. Honorati nunc dicitur, primò monachum, pòſt Regienſis eccleſiæ Epiſcopum fuiſſe: quod

quod tamen Ioanni Molano non probatur. Veteres enim ſcriptores tradũt *S.* Maximum Regienſem Epiſcopum proprio in ſtratu ſepultum, & in Regienſi *S.* Petri baſilica defunctum fuiſſe. Vt vt ſit ſanctiſſimæ vitæ Epiſcopus fuit, & *Vimę*, quarto ferè lapide à Teruana ſpiritum Deo reddidit, cùm annos ampliùs octo, magna accolarũ ædificatione, ibi egiſſet, in oratorio à ſe fundato. Corpus inde an. 954. trãſlatum eſt *Teruanam* & Teruana anno 1553. deſtructa, *Ipras*, vrbem Flãdriæ inſignem, cum parte collegij Canonicorum, & prædiorium epiſcopalium.

VVismes.

S. AICHARIVS Nouiomenſis ac Tornacenſis Epiſcopus.

AIcharius ſiue Acharius apud Dagobertum Galliæ Regem magna auctoritate valũit. Ipſo namque apud Regem agente *S. Audomarus, ad inſtituẽdum & gubernandum Teruanenſis vrbis populum, Epiſcopi ſedem & dignitatem ſuſcepit:*

cepit:

cepit : vt Folcardus Bertinenſis in S. Audomari vita apud Surium loquitur. Eodem agente ac licentiam dante, S. *Amandus* doctrinam Euangelicam Gādaui prædicauit. Obijt autē S. Aicharius an. 646. aut 647. & ſuccèſſorem habuit S. *Eligium*, Kalendis Dec. laudandum.

S. RADBODVS XIV. Epiſcopus Vltraiectinus. 29. *Nou.*

VEtuſto *Radbodi*, Friſiorum Regis, genere natus, prima ætatis ſtudia apud *Gunterum* A. Colonienſem auuūculum ſuum, exegit. Pòſt in *Ludouici* Imp. aula, ſub *Nannone* philoſopho, condiſcipulos habuit *Stephanum* Tungrenſem & *Mancionem* Cabilonenſem, Epiſcopos. *Egilberto* Vltraiectēſi Præſuli defuncto, Arnulfi Regis, cleri populique ſtudio, ſucceſſor eſt datus. Danis ac Normannis agrum Vltraiectinum vaſtantibus, *Dauentriæ* & vicino in tractu plerumque egit. Itaque in pago *Trente* tandem febre correptus, an.

an.917. obijt in loco *Otmarſum* nuncupato, inde *Dauentriam* ad ſepulturam tranſlatus. Scripſit varia, quæ Tritthemius & Arn. Wionus recitant.

S. ACCA Epiſcopus Lindisfarnenſis. 30. *Nou.*

NOminatur tertius inter Apoſtolicos presbyteros, qui an. 690 ex Anglia *Vltraiectum* appulerunt ad Friſonum conuerſionem, *S. VVillibrordo* duce. Sed in Angliam reuerſus, ad *Suitberti* conſecrationem epiſcopalē, ibidem retentus eſt, & ad epiſcopatum Lindisfarnenſem aſſumptus. Eius encomia lib. 5 cap. 20. & ſeq. Beda fusè recitat.

B. *Ioſcio Roſeus*, monachus Bertinianus. 30. *Nou.*

ANno 1163. migrauit ex hac vita *Ioſcio Roſeus*, ad S. Bertinū in vrbe Audomarenſi monachus, Deiparæ Virgini ſingulariter addictus. Eius rei fidem

ſidem facit breue quidem, at pium, quotidianum, & myſticum erga Dominam & patronam modeſti clientis officium. Id fuit quinque Pſalmorum lectio, eorum nempe quorum initiales litteræ *Mariæ* nomen exprimunt: quos poſt matutinas preces, eius in honorem, ſingulis ſingulas *A*ngelicas præmittens ſalutationes, omni die ſolitus eſt recitare. Ieroſolymitanorum tunc mos is erat Chriſtianorum, quem à *Theobaldo* Cantuarienſi Epiſcopo, inde reuerſo, hic didicerat. Hanc *Ioſcionis* pietatem in Deiparam, quid mirandum, eo vita functo, ſecutum eſt. Enimuerò ex demortui capite, quinque purpureæ, eæque lectiſſimæ, roſæ mox proceſſerunt: in quarum prima *Mariæ* nomen manifeſtè ac mirabiliter effictum apparuit. Vna ex ore, duæ ex oculis, totidem ex auribus prodibant. Septem dierum ſpatio inhumatum iacuit beati viri corpus, pio omnibus ſpectaculo, magna fidelium, rem ſupra naturæ ordinem admirantium, religione. *Andreas* Atrebatium Præſul,

an.917.obijt in loco *Otmarſum* nuncupato, inde *Dauentriam* ad ſepulturam tranſlatus. Scripſit varia, quæ Tritthemius & Arn. Wionus recitant.

S. ACCA Epiſcopus Lindisfarnenſis. 30. *Nou.*

NOminatur tertius inter Apoſtolicos presbyteros, qui an. 690 ex Anglia *Vltraiectum* appulerunt ad Friſonum conuerſionem, S. *VVillibrordo* duce. Sed in Angliam reuerſus, ad *Suitberti* conſecrationem epiſcopalē, ibidem retentus eſt, & ad epiſcopatum Lindisfarnenſem aſſumptus. Eius encomia lib. 5 cap. 20. & ſeq. Beda fusè recitat.

B. I*oſcio Roſeus*, monachus Bertinianus. 30. *Nou.*

ANno 1163. migrauit ex hac vita *Ioſcio Roſeus*, ad S. Bertinū in vrbe Audomarenſi monachus, Deiparæ Virgini ſingulariter addictus. Eius rei fidem

ſidem facit breue quidem, at pium, quotidianum, & myſticum erga Dominam & patronam modeſti clientis officium. Id fuit quinque Pſalmorum lectio, eorum nempe quorum initiales litteræ *Mariæ* nomen exprimunt: quos poſt matutinas preces, eius in honorem, ſingulis ſingulas *A*ngelicas præmittens ſalutationes, omni die ſolitus eſt recitare. Ieroſolymitanorum tunc mos is erat Chriſtianorum, quem à *Theobaldo* Cantuarienſi Epiſcopo, inde reuerſo, hic didicerat. Hanc *Ioſcionis* pietatem in Deiparam, quid mirandum, eo vita functo, ſecutum eſt. Enimuerò ex demortui capite, quinque purpureæ, eæque lectiſſimæ, roſæ mox proceſſerunt: in quarum prima *Mariæ* nomen manifeſtè ac mirabiliter effictum apparuit. Vna ex ore, duæ ex oculis, totidem ex auribus prodibant. Septem dierum ſpatio inhumatum iacuit beati viri corpus, pio omnibus ſpectaculo, magna fidelium, rem ſupra naturæ ordinem admirantium, religione. *Andreas* Atrebatium Præſul,

oculatus inter alios huius miraculi teſtis, beatum *Ioſcionem* terræ mandauit. Iacet autem ſepultus in choro S. Bertini, ſub ara minore: iuxta quam, poſt chorum, candido ſculptus in lapide, dictis cum roſis viſitur. Multis poſt mortem ſignis claruit. Hiſtoriæ huius *Vincentius Bellouacenſis*, Speculi hiſt. cap. 116. meminit.

Quinque memorati Pſalmi, ſunt iſti:

AVE	≥ *agnificat.*	*Luc.* 1.
	≥ *d Dominum.*	*Pſal.* 119.
	≿ *etribue.*	*Pſal.* 118.
	⌐ *n conuertendo.*	*Pſal.* 125.
	≥ *d te leuaui.*	*Pſal.* 122.

Idem aut prorſus ſimile miraculum *Thomas Cantipratanus* l. 2. *Apum* cap. 29. de *Ioſberto* monacho, Dolenſi in diœceſi Bituricenſi, an. 1186. defuncto, recitat.

S. ANDREAS *A*poſtolus, Burgundiæ patronus.

IN vetuſtis rerum Burgundicarum commentarijs, dicitur *Stephanus* Burgundiæ Rex *Crucem S. Andreæ*, cx

ex *Achaia* in Galliam deportatam, apud Maſſilienſes collocaſſe, eamque pro vexillo militari ſibi ac ſuis primus accepiſſe. Stephanum hunc Ioannes Iac. Chiffletius lib.1.cap.48. in Veſontionis deſcriptione ſuſpicatur fuiſſe *Gundiochum* Burgundionum Regem, qui aduerſus *Attilam* pro Romano Imperio dimicans, in pugna cecidiſſe traditur, quique *Stephanus* in baptiſmo vocatus fuerit. Eam verò Crucē Paradinus, lib. De antiquo ſtatu Burgundiæ, ad an.401. dicit à Stephano Rege in Maſſilienſem S. Victoris baſilicam (in qua etiamnum ſeruatur) fuiſſe illatam. Sed ex certioribus documētis cōſtat, eam primò in agri Maſſilienſis *VVeaunenſi* virginum monaſterio, ad littus maris, altero à Maſſilia lapide, collocatam, indeque paulò ante annū Chriſti 1250. ad S. Victoris cœnobiū Maſſilienſe, vbi religiosè nunc habetur, tranſlatum fuiſſe. Crucis eiuſdem pars magna turri argenteæ inauratæ incluſa, iam inde à temporibus Philippi Boni Burgundiæ Brabantiæq; Du-

De VVeaune.

cis, qui ordinem equeſtrem Velleris aurei an. 1530. in honorem S. *Andreæ* inſtituit, adſeruatur Bruxellis in palatio, & quotannis ibidem in ſacelli ara exponi ſolet pridie Kal. Decembris.

Crux Burgundica. Ceterùm *Crux Andreana* ſeu *Burgundica* in formam litteræ X. effingi ſolet, quam veteres *Crucem decuſſatam* nuncuparunt. Habebat autem humi defixa duo brachia inferiora, vt artus ſuſpédioſi in quattuor crucis cornua extenderentur: vt Lipſius, Gretſerus & alij qui de Cruce ſcripſerunt, rectè notarunt. Plura apud eoſdem & Chiffletium loco cit. vide.

DECEMBER.

S. ELIGIVS Epiſcopus Nouiomenſis, & Tornacenſis.

Martyrol. Rom. 1. *Dec.*

S. Eloy. ELigius genere Lemouix, *Catalaci* Eucherio ac Terrigia parentibus natus, artem aurifabrorum didicit, in qua adeò excelluit, vt à *Clotario II.* in aulam

aulam adſcitus fuerit, apud quē, eiuſdē filium *Dagobertum*, & *Clodoueum* nepotem, ob vitæ morumque ſanctitatem gratiſſimus exſtitit. Mortuo *Aichario* in Epiſcopum Nouiomenſem ac Tornacenſem an. 646. electus eſt. Hunc *Flandri* & *Antuerpienſes* iure optimo, vt Apoſtolum ſuum, præcipuo honore venerantur. *Cortraci*, *Aldeburgi*, *Rodeburgi*, *Oiſtburgi*, *Brugis*, & alibi aras ac templa Deo conſecrauit. Feretra ſeu capſas Sanctorum auro & gemmis exornauit, ac demum anno Domini 660. deceſſit, *Nouiomi* in cathedrali baſilica conditus; vbi in hunc vſque diem miraculis coruſcat. Pars reliquiarum eius poſtea Brugas ad templum S. Saluatoris eſt tranſlata. Vitam eius ſcripſit S. *Audoënus* A. Rotomagenſis, coætaneus & amicus, quam Surius publicauit.

Vide ſupra pag. 659.

Noyon.

Hîc mihi ſilentio minimè prætereunda videtur Sodalitas Bethunienſiū in Arteſia ciuium, quam partim ab effectu, partim ab auctore *Caritatem Eligianam* nominant. Græcè, non ineptè, *Necrophoria*, ab exportandis cadaueribus,

Charitè de S. Eloy à Bethune.

bus, ſeu funeribus efferendis, nuncupetur: qua fit vt in opido Bethunienſi nemo, cuiuſcumque ſit conditionis, ſupremo pompæ funebris honore careat. Auctor ſeu potiùs ſuaſor huius inſtituti fertur fuiſſe *S. Eligius,* qui an. 1188. eodem temporis articulo, duobus fabris ferrarijs, vni Bethuniæ, al-
Bevry. teri Beuriaci (pagus eſt primo inde lapide) ſub noctem apparuiſſe, & vt Cereum illum memoratiſſimũ (qui etiãum viſitur, pompis ſolennibus circũfertur, ad ſacra accenditur, nec vlla tamẽ ſui parte deperire perhibetur) ornarent, commonuiſſe proditur. Quin rem, cùm *Rogon,* eccleſiæ S. Præiecti, ad muros opidi Bethunienſis, Prior, ſingulari vitæ ſanctimonia præditus, poſt diligentem inquiſitionem, cognouiſſet, ſuaſor fuit, vt eiuſmodi Sodalitas, caritatis & Chriſtianæ in defunctos pietatis alumna, inſtitueretur. Ad cuius adminiſtrationem quotannis XXI. viri ex honeſtiſſimis ciuibus deliguntur, qui communibus ſusfragijs *Præpoſitum* & *IV. Viros* creant (quos

Maio-

Maiores nominant) qui ſe duces præbeant, & ceteros, pro ſua auctoritate, ſeſe ſubſequi cogant in ædium mortualium penetralia, indeque cadauera, quocumque morbi genere, etiam peſtilenti, exſtincta exportare, & ad ſepulturam efferre, modò Sodalitati nomen dederint. Et ab annis ampliùs quadringentis compertum eſt, nihil vmquam contagionis ex infectis corporibus eos contraxiſſe, qui tam pium Chriſtianæ caritatis officium exercerent. Quod quidem beneficium Bethuniani ciues, cùm immenſi Dei clementiæ, tum aſſiduæ B. *Eligij*, tutelaris Diui, pro ſe ſuaque ciuitate interceſſioni meritò acceptum ferunt. Sic ferè *Andreas Hoius* Hiſtoriæ Profeſſor Duaci, in ſua Bethunia, ibidem anno 1518. edita.

Similis piorum hominum Societas eſt *Medunte*, ad Sequanam fl. medio ferè itinere inter Lutetiam & Rotomagum, quæ *Caritas S. Sebaſtiani* vocatur: efferuntque ij funera peſtifero etiam morbo ſublatorum intrepidi. *Charitè de S. Sebaſtiē a Mante.*

V. Ioannes Rusbroquius, Canonicus regularis, ord. *S.* Auguſtini, in Viridi Valle prope Bruxellam.
Decemb. 2. die.

IN Brabantia, haut procul à Bruxella, viſitur *ſilua Sonia*, longè ampliſſima in qua exſtant quattuor Canonicorum regularium cœnobia, videlicet *Viridis Vallis, Rubri Vallis, Septem fontes*, & *Buſcum Domini Iſaaci*. In eadem ſilua, aut eius vicinia, præter *Niſellam* monachorum ord. Ciſtercienſis Abbatiā, ſunt inſuper tria virginum inſtituti eiuſdem monaſteria, nimirum *Cameræ B. Mariæ, Aquiria*, & *Gualteri Brania*: quibus adde *Foreſtum*, Benedictinarū virginum Abbatiam. Adeò vt ad ſolitudinem ac quietem monaſticam *ſilua Sonia* diuina velut manu plantata eſſe videatur. In Rubra Valle (quæ olim fuit *Cluſa*, ſeu receſſus vnius eremitæ circa an. 1370. incohatus) perampla viſitur Bibliotheca, libris manuſcriptis referta, ex qua *Laur. Surius, Ioan. Molanus*, *Roode-clooſter.*

Herib.

Herib. Roſueidus, & nos multa de Vitis Sanctorum hauſimus.

In Viridi Valle olim quoque eremitæ habitarunt, quos inter primus memoratur *Ioannes Buſcius* ſeu *Siluius*, vir nobilis: cui *Ioannes* Brabātiæ Dux an. 1304. dictam Vallem dono dedit. Secundus eremita fuit *Arnoldus Diſtenſis*, tertius verò *Lambertus*, viri omnes moribus integerrimi. Anno 1343. *Ioannes Hencartius*, Canonicus maior Bruxellēſis ad S. Gudilam, *Franco Frigidomontanus*, Canonicus minor ibidem, & *Ioānes Rusbroquius*, Vicarius ſeu Capellanus eiuſdem eccleſiæ Bruxellenſis, vt Deo perfectiùs ſeruirent, Viridem Vallem incolere cœperunt; *Lamberto* eremita cedente, *Guidone* Epiſcopo Cameracēſi probante, & *Ioanne* Duce Brabantiæ dotante.

Groenendaeł

Ioannes Rusbroquius.

Anno 1349. Viridis Vallis fit monaſterium Canonicorum regularium ord. S. Auguſtini, dicto *Francone* ibidem Præpoſito, & *Rusbroquio* Priore, conſtitutis. *Hencartius* autem (quòd eſſet prouectioris ætatis & afflictioris

letudinis) apud eoſdem manſit in veſte clericali : ideoque velut quartus illius loci eremita habetur.

Obijt autem *Rusbroquius* an. 1381. poſtridie Kal. Decembris, octoginta & amplius annos natus, ſepultus primùm in ambitu clauſtri, pòſt ad chorũ templi tranſlatus : vbi hodieque tumulus eius, nondum è terra eleuati, viſitur ante aram ſummam. Scripſit opera varia aſcetica ſeu ſpiritualia, idiomate Flandrico, quæ tribus tomis manuſcripta vidimus non ſemel in Viridi Valle: ex quibus vnus tomus eſt Latinè redditus, partim per *Guilielmum Iordanum*, eiuſdem loci Canonicũ
Aug, 20. regularem, partim per *Gerardum Magnum* Dauentrienſem, qui fratres ſeu clericos vitæ communis inſtituit. Reliqui duo tomi Flandrico ſeu Teutonico idiomate conſcripta continent, digna certè quæ in Latinum transferantur.

An. 1412. *Viridis Vallis* acceſſit Congregationi ſeu *Capitulo VVindeſimenſi*, cũ alijs ſex Brabãtiæ monaſterijs, videlicet

licet *Rubræ Vallis*, *Septem fontium*, *Corſendoncano* prope Turnhautum, *Betlehemitico* prope Louanium, *Throno B. Mariæ* prope Herentaliam, & S. *Barbaræ*, quod eſt monialium in opido Thenenſi: vt Ioannes Buſchius in Chronico Windeſimenſi lib. 1. cap. 40. fusè commemorat. Quo loco de *Rusboquio* & V. *Ioanne Coco* hæc narrat: *In monaſterio Viridis-Vallis duo fuerunt magna Eccleſiæ Dei luminaria, ſpiritu ſapientiæ & intellectus illuſtrata, videlicet Dominus* Ioãnes Ruyſbroeck, *Prior ibidem, qui plures deuotiſſimos libros altiſſimæ contemplationis materna lingua compoſuit, ſcilicet* Ecce ſponſus, De calculo, De gradibus amoris, *& cõſimiles. Alter* eius cocus *fuit, qui in omni ſua occupatione altioris dicebatur cõtemplationis, quàm iſte Prior ſuus: pro vt libri Teutonicales ab ipſo editi legentibus manifeſtãt. De his duobus deuotis viris tractatum compoſuit frater* Ioannes de Sconhouia, *qui ſub hoc Priore nouitius fuerat inueſtitus.* Hactenus Buſchius. Dictus *Ioannis Sconhouij* ſeu *Pomerij* liber exſtat ms. in Viridi Valle.

V. *Ioan-*

V. *Ioannes Cocus*, cognomento *Bonus*, in Viridi Valle.

I*Nfirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia.* Non ſemper æterna Dei Sapientia per doctos Philoſophos, aut expolitos Oratores docere conſueuit: ſæpe doctos per rudes etiam erudit. Adoleuit enim ſacra noſtræ Religionis doctrina, non per torta *A*thenienſium ſophiſmata, neque per diſertas Romanorum orationes, ſed per piſcatorum & rudium diſcipulorum nō rudem, qui in illis vigebat, ſpiritum. Sic aſcetica diſciplina per hunc quoque virum, functione quidem cocum & humilem, ſed cæleſti ſapientia diuitē ac ſublimem, magna præſertim inter Belgas augmenta ſumpſit, cùm ille, diuino velut ſpiritu dictante, libros ſapientia plenos conſcripſiſſet. In quibus admirationem excitat rerum ſublimitas, quam ne Theologi multi, niſi affectionum diuinarum periti, aſſequi poſſunt. Doctores certè hac ætate ce-

lebres

lebres myſticarum paſſionum facilem ac leniter decurrentem explanationẽ adeò mirantur; vt pœnè illis incredibile videatur, Theologiæ myſticæ arcana ab vno homine illiterato tā perſpicuè ac concinnè explicari potuiſſe. Quod tamen fieri potuiſſe vt quiuis intelligat, moneo *Hildegardem, Gertrudẽ Iſlebienſem, Tereſiam*, & alias ſanctiſſimas virgines, noſtra & ſuperiori ætate, libros ſapientia pleniſſimos publicaſſe, quos omnis poſteritas admirabitur.

Ceterùm V. *Ioannes* cognomine *Leuuenſis*, Conuerſus, vt vocant, & primus Cocus monaſterij Viridis Vallis, ſub Ioanne Rusbroquio, XI. Kal. Februarij an. 1377. pijſſimè in Domino obdormiuit, in naui eccleſiæ ibidem ſepultus. Opera eius aſcetica ibidem Teutonico idiomate exſtant manuſcripta; digna profectò quæ in omnes linguas transfundantur. Habet itaque Viridis Vallis, quòd de duobus iſtis præſtantiſſimis viris glorietur, quorũ oſſa, erit ſpero cùm è terra per Antiſtites videbimus eleuata.

S. ELOQVIVS presbyter Hibernus.
3. Decemb.

Irlandt. HIbernia inſula, Orpheo, Ariſtoteli & Claudiano *Ierna*, Iuuenali & Melæ *Iuuerna*, Diodoro Siculo *Iris*, Britanniæ inſulæ omnium ampliſſimę (quæ Angliæ & Scotiæ regna cōplectitur) latus occiduum claudit. Poſteriori tempore *Scotia* etiam dicta fuit Iſidoro & Bedæ, à Scotis incolis: & inde Scotiæ nomen, cum Scotis & lingua veteri Hibernica, in Britanniam ſeu Albionem inſulam commigrauit. Oroſius certè, ſub Honorio & Arcadio Auguſtis, Hiberniam à Scotorum gētibus habitatam fuiſſe diſertè ſcribit. Vnde eius Synchronus Claudianus:

Hibernia olim Scotia dicta.

Scotorum cumulos fleuit glacialis Ierne.

Et alibi:

Totam cum Scotus Hibernem Mouit.

Hæc eſt illa, de qua Iſidorus lib. 14. Orig. c. 6. ſcribit: *Scotia eadem & Hibernia, proxima Britanniæ inſula.* Beda l. 1. hiſt. cap. 1. & lib. 5. cap. 14. *Hibernia,* inquit,

inquit, *eſt inſula omnium poſt Britanniam maxima, ad occidentem Britanniæ ſita: hæc propriè Scotorum patria eſt.* Conſtat quidē ex Hiſpania, cùm eam Vandali vaſtarent, plurimos in Hiberniam ſe ſubduxiſſe; Scoti tamen primas ſemper tenuerunt. Chriſto autem nomen dederunt Scoti ſeu Hiberni, circa annū 431. temporibus *Cæleſtini* Papæ, qui *Palladium* Epiſcopum ad eos miſit, & *Pelagiano morbo Britannias liberauit, ordinatoq́; Scotis Epiſcopo, dum Romanam inſulam ſtudet ſeruare Catholicam, fecit etiam barbaram Chriſtianam:* vt Proſper Aquitanus contra Collatorem loquitur. Palladium tamen, morte præreptum, parum aut nihil præſtitiſſe, auctor eſt *Nennius*, vetus ſcriptor; qui & Chriſtianā religionē à S. *Patritio* ea in inſula diſſeminatam primò ſcribit. Hîc enim natione Britannus, & S. *Martino Turonenſi* affinitate coniunctus, *Palladio* defuncto à *Cæleſtino* ſubrogatus, tanto ſucceſſu Chriſti doctrinam per Hiberniam propagauit, vt Hibernorū Apoſtoli nomen meruerit, eiuſque diſcipuli

Hiſpani in Hiberniā tranſierunt.

S. Patritius Hiberniæ Apoſtolus.

ſi tantos progreſſus in re Chriſtiana fecerunt, vt ſubſequenti ætate Hibernicis ſeu Scoticis monachis nihil ſactius aut eruditius fuerit, atque in vniuerſam pœnè Europam ſanctiſſimorum virorũ examina emiſerint. Huic profectò Scotiæ ſeu Hiberniæ inſulæ ſuum *Columbanum* debet Italia, *Gallum* Heluetia, *Kilianum* Franconia, *Eloquiũ, Furſeum, Vltanum, Foillanum*, & alios plurimos Belgica. De his item monachis Henricus Autiſſiodorenſis loquitur, cùm ad Carolum Caluum ſcribit: *Quid Hiberniam memorem, contempto pelagi diſcrimine, pœnè totam cum grege Philoſophorum ad littora noſtra nauigantem? quorum quiſquis peritior eſt, vltrò ſibi indicit exilium, vt Salomoni ſapientiſſimo famuletur ad votum.* Litterarum itaque ſtudijs cum pietate apud Hibernos florentibus, Anglo-Saxones in Hiberniam, tãquam ad mercatum bonarum litterarum, olim vndique confluxerũt. Vnde de viris ſanctis ſæpiſſimè in vetuſtis Angliæ ſcriptoribus legitur, *Amandatus eſt ad diſciplinam in Hiberniam,*

Hiberniæ Sãcti.

& in

& in Sulgeni vita, qui ante 600. amplius annos floruit:

Exemplo patrum commotus amore legendi,
Iuit ad Hibernos Sophia, mirabile, claros.

Quin imò Anglo-Saxones rationē formandi litteras inde videntur accepiſſe, cùm eodem planè charactere olim vſi fuerint, qui hodie Hibernis eſt in vſu. Quo quidem charactere, à reliquis Europæis prorſus diuerſo, non pauci libri, annis ſuperioribus Louanij, in collegio Hibernorum Franciſcorum, excuſi nunc exſtant, magno Catholicorum in Hibernia commodo. Vt his & alijs rationibus beneficia, iam olim ab Hibernis ſeu Scotis Euangelij præconibus accepta, quodammodo rependere ac refundere Belgica noſtra videatur.

S. *Eloquius* porrò ex Hibernia in Galliam venit cum viris Apoſtolicis, *Furſeo, Vltano, Foillano, Boëtio, Mombolo, Adalgiſo, Ettone, Helano, Treſano, Germano, Verano*, & *Columbano*: vt in eiuſdem vitæ hiſtoria per S. Forannanum ſcripta, & in monumentis Abbatiæ Walciodo- *VValcenſis court.*

renſis legitur, quæ eſt Benedictinorū in diœceſi Namurcenſi. Obijt autem
Laon. in diœceſi Laudunenſi, ibidem in eccleſia ad Iſaræ & Sommeronis confluentem ſita, ſepultus. Vnde poſtea per *Eilbertum* Comitem tranſlatus eſt Walciodorum, *Rodehardo* Laudunenſi Epiſcopo conſentiente. Vide ſupra 10. Iulij. Ceterùm ne quis miretur Sanctos ſupra memoratos & alios à vetuſtis ſcriptoribus nunc *Scotos*, nunc *Hibernos* nuncupari, moneo veteres *Scoti* nomine ſignificaſſe *hominem linguæ Hibernicæ*: quæ non ſolùm in ipſa Hibernia, ſed quoque in maiore regni Scotiæ parte etiamnū in vſu eſt. Hodie verò Scoti vocantur quicūq; regni Scotiæ finibus continentur, ſeu Hibernicè, ſeu Anglicè, ſeu Gothicè aut Noruegicè loquantur.

SS. WALFRIDVS & RADFRIDVS martyres, prope Groningam.

WAlfridus cùm morum ſanctitate clareret, vxorem ſibi conſimilē acce-

accepit: ex qua ei Deus B. *Radfridum* filium dedit. Frequentabat quotidie eccleſiam urbis opulentæ, quæ *Groninga* vocatur. Prophetico ſpiritu inter alia præuidit Normannorum in Friſiã irruptionem, qui poſt occupatã Groningam, & *S. Martini* baſilicam ibi incenſam, inde redeuntes *VValfridum* in pago *Bedum*, loco habitationis ſuę, primo lapide à Groninga, orantem inuenerunt, ipſumque cum filio *Radfrido* interimerunt. Operante autem Domino per interuentũ vtriuſque martyris multas virtutes, baſilica primùm lignea, pòſt lapidea ibidem eſt exſtructa: quam Epiſcopus X. Kal. Iulij in honorem Deiparæ, S. Pauli Apoſtoli, & B. Walfridi conſecrauit, cuius & reliquias eodem die tranſtulit. Hæc ex Beduměſis eccleſiæ Lectionibus hauſimus.

S. WIHO Epiſcopus I. Oſnaburgenſis.

Oſembrug. CArolus Magnus Imp. *Oſnaburgi* apud Weſtphalos eccleſiam epiſcopalem, *primam in omni Saxonia*, in honorem S. Petri Apoſtoli, & SS. martyrum Criſpini & Criſpiniani conſtruxit, in eaque S. *VVihonem* primum Epiſcopũ circa an. 777. conſtituit: vt patet ex diplomate Aquiſgrani dato, quod Albertus Crantzius in ſua Metropoli l. 1. cap. 2. publicauit. Wihonem *Leouardiæ* in Friſia occidentali natũ fuiſſe, Bernardus Furmerius in Annal. Friſicis tradit.

S. ANNO Archiepiſcopus Colonienſis.
Martyrol. Rom. 4 *Dec.*

I*Nter Catholicos Domno Apoſtolico ſtudioſè fauentes* Anno *princeps & ſignifer iuſtitiæ fuit*: vt Marianus Scottus in Chronico loquitur, qui & anno 1077. ipſum obijſſe tradit. Alij ad annum 1075. eius obitum referunt.

S. NI-

S. NICETIVS Epiſcopus Treuerenſis.
Martyrol. Rom. 5. Dec.

NIcetius, miræ ſanctitaiis vir, anno 538. Aruernenſi, & an. 549. Aurelianenſi ſynodo quintæ interfuit. Eius epitaphium ſcripſit Venant. Fortunatus, cuius initium eſt,

Splendor, apex fidei, veneranda mente Niceti,
Totius orbis amor, Pontificumq́; caput.

Quæ quidem non poteſtatis, ſed eximiæ ſanctitatis cauſſa, Venãtius dixit. Res eius geſtas Greg. Turonenſis in Vitis Patrum cap. 17. & libro de gloria cõfeſſorum cap. 94. commemorat. Obijt Treueris, in baſilica *S.* Maximini ibidem conditus. De S. *Nicetio* A. Veſontino 8. Febr. tractauimus.

S. GERTRVDIS vidua, Abbatiſſa & fundatrix Hamaticenſis.
6. Decemb.

FVit *Adalbaldi* Ducis Duacẽſis auia, & poſt mortem *Rigomari* coniugis

ſui monaſterium in *Hamatico* ædificauit, vbi & an 655. viuere deſijt. In mo-
Maij 16 naſterij regimine ſucceſſit *S. Euſebia*, eius proneptis, quā educauerat. Vtraque ex Hamatico inde poſtea ad Mar-
Maij 16 chianenſe *S. Riĉtrudis* cœnobium eſt tranſlata.

S. AMBROSIVS Epiſcopus Mediolanenſis. 7. *Dec.*

MAgnum illud Eccleſiæ columen bis Treueros excurrit. Primùm an. 383. pro *Valentiniano* Imp. Legatus à Maximo *Gratiani* occiſi corpus repetijt, & tyrannum ſpe pacis repreſſit, Exinde an. 385. iterum à *Valentiniano*, eiuſque matre *Iuſtina* miſſus, poſt ſuum cum Maximo congreſſum, *cùm ab Epiſcopis (Ithacianis) abſtineret, qui Maximo communicabant, vel qui aliquos, deuios licet à fide (Priſcillianiſtas) ad mortem petebant: commotus Imperator iuſsit eum ſine mora regredi. Ego verò*, inquit, *libenter ingreſſus ſum iter: hoc ſolo dolore percitus, quòd Hyginum Epiſcopum (Cordubenſem)*

ſem) ſenem in exilium duci comperi : cui nihil iam niſi extremus ſupereſſet ſpiritus. Cùm de eo conuenirem comites eius, ne ſine veſte, ſine plumatio paterentur extrudi ſenem, extruſus ipſe ſuum. Hæc Ambroſius epiſt. 27.

S. ROMARICVS Abbas Luxouienſis.
Martyrol. Rom. 8. Decemb.

IS cùm in aula *Theodeberti* Regis primus eſſet, renuntians ſæculo, monaſtica obſeruãtia cæteris antecelluit, ac demum Luxouienſis in Burgundia Abbas obijt. Magiſtrum habuit S. *Euſtachium*, ſupra à nobis laudatum.

De S. *Euchario*, Petri Apoſtoli diſcipulo, & primo Treuerenſi Epiſcopo, vide ſupra 7. Iunij.

De varijs locis Diuæ Virginis cultu ac miraculis per Belgicam claris.

VT per vniuerſas orbis Chriſtiani prouincias, ſic per Belgicam noſtram plurima ſunt loca, Deiparæ cul-

tu, miraculis, & hominum piè peregrinantium concurſu illuſtria. Inter alia eminent *Hallæ* & *Cernia*, Hannoniæ opida, itemque *Colliſ-Aſper* & *Viluordia*, Brabantiæ opida. *Cerniæ* (nam de reliquis ſupra diximus) pia ac nobilis matrona *Ida*, illius opidi Domina, vidua, circa an. 1100. ædificauit Xenodochium pro ægris, & ſacellum in honorem Deiparæ, quod iam inde ab an. 1326. piorum hominum concurſu ac miraculis inclaruit.

Chierues *Sept.* 1. & 8.

Cãbron. Haut procul indè viſitur *Camberona*, monachorum ord. Ciſt. Abbatia, an. 1140. fundata: in qua magnam habet venerationem imago Deiparæ, in pariete depicta, quæ à perfido Iudæo an. 1326. ictibus aliquot haſtæ venaticæ impetita, cruorem copioſiſſimè effudit. Similia exempla leguntur apud Ioannem Damaſcenum, & alios ſcriptores veteres.

Tongre. Eodem in tractu Hannoniæ, haut procul ab Atho opido, *Tũgrenſis* pagus exſtat cuius in loci templo Virginis Matris imago adſeruatur; Angelorum opera

opera eòdem, vt tradunt, an. 1081. deſata. De tribus hiſce pijs locis exſtat Roberti Hauporti libellus Duaci an. 1604. editus, & alter Coloniæ.

Lacenſe templum, prope Bruxellam, conſtat iam inde à temporibus *S. Guidonis*, patroni Anderlacenſis, exſtitiſſe. Sunt qui tradunt *Carolomanni* temporibus, illud cælitus deſignatum, & Deiparæ apparitione illuſtratum fuiſſe. *Laken. Sept. 12.*

Blandinienſis apud Gandauenſes baſilicæ à S. Amandi Traiectenſi Epiſcopi æuo floruit. *Blandinberg.*

Anno 1590. apud Inſulas Flandriæ emporium, haut procul à *Laudenſi* Ciſtercienſium Abbatia, & an. 1618. apud Dionantum ditionis Leodicenſis opidum, non procul à *Fayo* pago, Diua miraculis cæpit inclareſcere. *Lo.* *N. Dame De Foy.*

Tranſlatio S. LEOCADIAE virginis & martyris, ex Belgio Toletum.

Martyrol. Rom. 9. Dec.

SAracenis Hiſpaniam deuaſtantibus cùm fideles ad munitiora loca cõ-

fugerent, ſecumque complures Sanctorum reliquias pio deuotionis affectu deferrent, corpus quoque beatæ *Leocadiæ*, virginis ac martyris Toletanæ, primò *Ouetum* (vt creditur) deinde in Hannoniam tranſlatum, in vetuſto ac nobili monaſterio S. Giſleni in Cella, monachorum Benedictinorũ quod eſt in diœceſi Cameracenſi, decenter repoſitum, magnam apud loci habitatores viciniſq; venerationem habuit, per annos ſupra quadringentos, quoad *Philippus II.* Hiſpaniarum Rex Catholicus, & Belgij Princeps, re diligenter cognita ac perſpecta pio ſacri corporis in patriam reportãdi deſiderio exarſit. Quare à Gregorio XIII. Pontifice facultate impetrata, Archiepiſcopus Cameracenſis & Abbas monaſterij, corpus ipſum ex arca extractum, in qua venerandæ antiquitatis veſtigia & probationes repertæ ſunt, religioſo ſacerdoti ad id delecto ſolemniter tradiderunt, à quo in Hiſpaniam magna cum diligentia eſt perlatum.

Cùm igitur beatæ virginis corpus, ad

ad Toletanos fines, ingenti omnium lætitia perueniſſet, & Catholicus Rex ipſe, qui eius rei cauſſa Toletum venerat, vnà cum *Maria* ſorore, vidua, Auguſta, *Philippo* Principe filio, & *Iſabella* primogenita Infante, pòſt Belgarũ domina, præſens adeſſet, ſtatuto die, in frequentiſſimo hominum conuẽtu, vniuerſus clerus, Senatus, populuſque Toletanus, proceſſionis ritu maximè ſolemni, obuiam prodijt, & ciuem ſuã patronamque optatiſſimam, incredibili pietate, & magnificentiſſimo apparatu excepit: ipſoque Catholico Rege, Principe filio, & primarijs Hiſpaniæ proceribus, ſuaue onus piè ac deuotè efferentibus, ſacræ reliquiæ in nobiliſſimæ vrbis primarium templũ, cunctis præ gaudio collacrymãtibus, VI. Kalendas Maij, anno 1587. illatæ ſunt: quæ deinde regia manu Cardinali eidemque Archiepiſcopo & Canonicis traditæ, ac Toletanæ Eccleſiæ perpetuò dicatæ, tãquam pretioſus & planè cæleſtis theſaurus religioſiſſimè adſeruantur. Eius antem tranſlationis anni- *Anno 1587.*

anniuerſaria memoria, Sixti V. Max. auctoritate, celebratur. Sic ferè legitur in Officijs proprijs Eccleſiæ Toletanæ, à Sixto V. & Paulo V. approbatis.

V. *Cornelius Muſius*, martyr. 10. *Decemb.*

DElfis Batauorum, S. *A*gathæ monialibus annos ferè 35. præfuit, magna per vniuerſam Bataiam innocentiæ ſanctitatiſque fama: ſolitus ſæpe Deum venerans precari, vt deploratiſſimis hiſce temporibus ſanguinē ipſi condonare, à quo vitam acceptiſſet, mereretur. Teſtis in cognominem ſibi martyrem *S. Cornelium* hymnus, quem, vt erat poëta feliciſſimus, ipſę ſcripſit:

Beate Chriſti Pontifex,
Chriſtiq; martyr inclite,
Hanc gratiam Cornelio,
Tuo benignus impetra:
Vt exprimo quem nomine,
Te caritate, te fide,

Et

Et aſſerenda audacia
Te veritatis exprimam.

Annos 72. natus, immanitate pluſquam Turcica, an. 1572. Lugduni Batauorum è viuis ſublatus eſt: vt fuſè *Guil. Eſtius* lib. 4. de martyribus Gorcomienſibus cap. 12. & ſeqq. commemorat.

SS. Victoricus, Fuſcianus, & Gentianus, martyres.

Martyr. Rom. 11. *Dec.*

MAximiano imperante, apud Ambianos martyrium fecerunt, vnâ cum S. *Gentiano* hoſpite ſuo. Hi prima Religionis Chriſtianæ fundamenta non ſolùm *Ambianis*, ſed etiam apud *Morinos* ſeu *Teruanenſes* iecerunt: vt Ioannes Iperius in Chronico ms. Bertinenſi çap. 3. teſtatur.

B.*Ida* Niuellenſis, virgo, ord. Ciſtercienſis.

ANnos 16. in monaſterio tranſegit & anno Chriſti 1231. ætatis 32. die 11. Dec. ſanctiſſimè exſpirauit, in *Rameia* Brabantiæ cœnobio, vbi & quieſcit. Vita apud me ms. extat, & in Rubra Valle.

Ramey.

S. MAXENTIVS & ſocij martyres, Treueris. *Mart. Rom.* 12. *Dec.*

MAxentius, Conſtantius, Creſcẽtius, Iuſtinus, Leander, Alexander, & Soter, Treueris in perſecutione Diocletiani, ſub Rictiouaro Præſide paſſi ſunt. De quorum inuentione Sigebertus in Chron. ad an. 1071. & nos ſupra egimus.

S. AVBERTVS Cameracenſis & Atrebatenſis VIII. Epiſcopus, Hannoniæ Apoſtolus.

Martyrol. Rom. 13. *Decemb.*

POſt S. *Ablebertum* in ſede Pontificali B. *Aubertus* ſiue *Autbertus* ſucceſſit, temporibus *Dagoberti* Regis Francorum. Qui pro familiaris amicitiæ gratia, qua eum ſingulariter amabat, fratribus in Cameracenſi eccleſia B. Mariæ famulantibus *Onengiam* & *Quarubium*, inter Valentianas & Condatū, donauit. Aubertus porrò *Landelinum* puerum, ex baptiſmi fonte ſuſceptum, ſacris litteris imbuit. Hunc poſtea, fallentibus verbis deceptum, diabolus ad deteriora retraxit: adeò vt aſſumptis ſibi nequiſſimis hominibus, cæperit viatores infeſtare, trahere, ſpoliare. Sed poſt multas lacrimas iuuenem vir ſanctus demùm recepit, aluit, & ad ſacerdotium vſque promouit. In qua dignitate is conſtitutus, ad noxas adoleſcentiæ expiandas, monaſteria quat-

Onaing. *Courroube.* *Iun.* 15.

tuor

Lob. tuor *Laubienſe, Alnenſe, Criſpinienſe,* &
Aſne. *VVaſlerienſe* excitauit.
Creſpin. Eodem ferè tempore Aubertus ec-
VVaſer cleſiam, quam *S.Giſlenus*, ab Athenis
S.Giſlam. digreſſus, conſtruxerat, aſſumpto ſe-
cum B.*Amando* Traiectenſi Epiſcopo,
in honorem Apoſtolorum conſecra-
uit. Idem B.*Vincentium* Comitem, qui
*Iul.*14. ante *Madelgarius* dictus eſt, cùm vitæ
ſæcularis actibus & militaribus ne-
gotijs occupatus teneretur, & regij
generis coniugio eſſet nobilis, in tan-
tum diuini amoris feruore accendit,
vt militiæ cingulo depoſito, monaſ-
tico habitu ſumpto, ſub ſanctæ con-
uerſationis regula ſe conſtringeret.
*April.*9. Cuius vxor B.*VValdetrudis*, cum ſorore
*Ian.*30. ſua *Aldegunde*, ſacrum velamen ab eo-
dem Antiſtite accepit. Atque illa qui-
Mons dem in monte, qui dicitur *Caſtrilocus*,
en Hainault. illa verò in loco, qui dicitur *Melbodiũ*,
diuinis ſe cultibus vſque ad finem ex-
Maubeuge. ercuerunt. Idem Pontifex monaſte-
rium, in Melbodio ab *Aldegunde* con-
ſtructum, in honorem B. Mariæ & *SS.*
Apoſtolorum conſecrauit.

Atrebati S. *Vedaſtus* in eccleſia B. Mariæ,haut procul ab altari, verſo ad auſtralem plagam ſepulcro, quieſcebat. Quem B. *Aubertus*, deſignato ſibi ab Angelo ædificandi oratorij loco, fundataque eccleſia,& adhibito ſecum B. *Audomaro* Teruanenſi Epiſcopo, tranſtulit. In qua tranſlatione idem *Audomarus*,cùm eſſet cæcus, receptum lumen parui pendens, amiſſam ſubitò cæcitatem reimpetrauit. Vbi hodieq; eccleſia parochialis conſtat in honorē S. *Autberti* conſtructa. In loco verò diuinitus deſignato vir Domini *Aubertus* monaſterium conſtruxit, & multa ex rebus ſuis eccleſiæ, in vſum famulantium, pro rerū oportunitate, donauit. Demùm populo ſuo ad cultum Dominicæ fidei mancipato feliciter diem clauſit, ſepultuſque eſt in eccleſia B. *Petri*, quæ extra muros vrbis Cameracenſis erat ædificata, nunc autem, amplatis mœnibus, eſt intra vrbem. Poſt eius exceſſum, B. *Vinditianus* Cameracenſis eccleſiæ ſedem regendam ſuſcepit, temporibus *Theoderici* Regis,

Sept. 19.

Vedaſtina Abbatia à S. Auberto cōſtructa.

S. Auberti nunc Abbatia.

Mart. 11.

filij Clodouei ex Bathilde. Sic ferè *Baldericus*, Nouiomenſis ac Tornacenſis Epiſcopus, lib. 1. cap. 20. & ſeqq. in Chronico Cameracenſi. Vitam porrò S. Auberti circa an. 1040. ſcripſit *Fulbertus* Doctor clariſſimus, quã Surius mutilam edidit. Exſtat autem integra Cameraci in S. *Auberti* Canonicorum regularium Abbatia, quæ patroni ſui ſacrum corpus religiosè adſeruat. De cuius origine ac progreſſu Colueneriumin Notis ad lib. 2. cap. 9. cit. Chronici conſule.

S. OTHILIA virgo.
Martyrol. Rom. 13. *Dec.*

OThilia virgo, à natiuitate cœca, cùm à S. *Erardo* eſſet baptiſata, viſum recepit diuinitus, & monaſticam diſciplinam in Alſatia circa an. 700. exercuit. Acta eius deſcripſit Hieronymus Sebuuilerius. Fuerat in cœnobio Palmenſi, diœceſis Biſontinæ, educata: vbi hodieque ſacrum eius velum adſeruatur.

S. IV-

S. IVDOCVS confeſſor. *Mart. Rom.*

IVdocùs, *Iuthail* Regis Britonum filius, & *Iudicail* Regis frater, pro more illius æui, Romam ſe contulit. Inde reuerſus, in *Pontiuo* diu Deo militauit, ſepultus in eccleſia, quam *Haimo* Pontiui Dux conſtruxerat. Duo nepotes eius, *VVinnochus* & *Arnochus* ibidem ipſi ſucceſſerunt. Sic *Ordericus Vitalis*, monachus Vticenſis, lib. 3. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ; qui addit corpus S. *Iudoci* aſſeruari in eccleſia de *Parnis* monachis Vticenſibus commiſſa. Sed iſta nonnihil differunt ab ijs quæ ex Iperio ſupra 6. Nou. retulimus. *Pontiu.*

S. NICASIVS Archiepiſcopus Remenſis, & martyr.
Martyrol. Rom. 14. *Decemb.*

S. Nicaſius Remis ædificauit eccleſiam B. Mariæ, eamque fecit cathedralem, quam & ſanguine ſuo cõſeçrauit. Eſt enim in ea an. 407. occi-

ſus, cum ſorore ſua *Eutropia*, & multis alijs ciuibus. Corpus eius iacuit in eccleſia S. Agricolæ, vſque ad tempora Fulconis *A*rchiepiſcopi, qui illud ad dictam eccleſiam cathedralem anno 893. tranſtulit. Partem verò capitis habet *A*trebatenſe *S.* Vedaſti monaſterium.

S. FOLQVINVS Epiſcopus Morinenſis.

OBijt an. 855. in *Heclesbeke* Mempiſci vico, eſtque ſepultus Audomaropoli in *S.* Bertini monaſterio, & an. 928. è terra eleuatus: vt in Iperij Chronico ms. Bertinenſi legitur. Vitam eius ſcripſit *Folquinus* ſeu *Fulcuinus*, Abbas & Chronographus Laubienſis, qui ab ineunte ætate monachus ad S. Bertinum fuerat.

S. Ado *Archiepiſcopus Viennenſis,*
Martyrol. Rom. 16. *Dec.*

PRæter *Chronicon*, quod vſque ad annum Chriſti 880. deduxit, ſcripſit & *Martyrologium*, quod ad fidem veterũ codicum *Heribertus Roſueidus*, Soc. Ieſu presbyter, an. 1613. typis Plantinianis euulgauit. Iſto poſterior fuit *Ado Treuerenſis* Archiepiſcopus, qui circa an. 1076. floruit: de quo ſupra diximus.

S. Everardvs Comes, & fundator
Abbatiæ Ciſonienſis. 16. *Dec.*

EVerardus Comes potentiſſimus vxorem habuit *Giſlam*, Caroli Calui Imp. & Galliæ Regis ſororem germanam: ex qua plures vtriuſque ſexus liberos ſuſtulit. Poſſedit autem prædia ampliſſima varijs in locis, vt in *Longobardia, Comitatu Taruiſino, Alemannia, Haſbania, Taxandria, Condruſio, Auſtrouandia, Ciſonio*, *Vitriaco* & alibi: vt ex Teſtamento conſtat, quod an. 837. ſcripſit,

quodque ex authographo *Florentius Haræus* Canonicus & Theſaurarius lib. de Caſtellanis Inſulenſibus publicauit. Idem Ciſonij eccleſiam ædificauit ac dotauit: de qua ſic in dicto ſuo Teſtamento loquitur: *Tertius filius mius Adalardus, volumus, vt habeat cortem noſtram in Ciſonio, cum omnibus, quæ ad ipſam eccleſiam in ſupradicto loco Ciſonio pertinere diſpoſui, in tali tenore, vt ipſam eccleſiam eo ordine, quo ego cõſtitui, ſemper cuſtodiat, & nihil auferri de ijs quæ ei dedi permittat per ſe aut per quemcumque.*

Porrò in dicta Ciſonienſi eccleſia *Rainaldus* Remenſis *A*rchiepiſcopus an. 1129. ordinem Canonicũ inſtituit, *Angelone* primo Abbate regulari ibidẽ collocato, cùm antea *Hermannus* cognomẽto *Inſulanus*, Præpoſitus & Theſaurarius Ciſonienſis, loco ceſſiſſet. Obijt autem S. Euerardus in Italia, indeque corpus eius Ciſonium eſt aduectum, per *Vnrochum* filium primogenitum.

S. BEG-

S. BEGGA vidua, Abbatiſſa & fundatrix Andennenſis.
Martyrol. Rom. 17. *Dec.*

BEgga, *Pipinum I.* Ducem Brabãtiæ, ac Maiorem domus regiæ in Auſtraſia, patrem habuit; fratrem verò *Grimoaldum*, & ſororem S. *Gertrudem* Niuellenſem. Cùm ad perfectam perueniſſet ætatem, matrimonio iuncta *Anſegiſo*, S. *Arnulfi*, ex Maiore domus regiæ Metenſis Epiſcopi, filio nobiliſſimæ ſobolis mater exſtitit. *A*nſegiſo autem in venatione perempto, Romam adijt. Vnde cum benedictione Pontificis, & varijs Sanctorum reliquijs reuerſa, in honorem ſeptem eccleſiarum Romanarum, totidem oratoria ſiue eccleſias *Andennæ* ad Moſam *Anden.* conſtruxit; quæ ibidem hodieque ſuperſunt. Ibidem cœnobium ſimile Niuellenſi fundauit, in quo virgines ſub religione congregauit, quas, ſecũdum Canonum præcepta, clauſtris regularibus muniuit. Ex Niuellenſi au-

tem *S. Gertrudis* monaſterio probatas virgines euocauit quas clauſtro & regimini puellarum præfecit. Quibus peractis, plena bonis operibus, ad illũ, cuius honori ſemper ſtuduerat, migrauit: & in *Andrennenſi* eccleſia, quam conſtruxerat, depoſitionem accepit. Sic ferè legitur in Officijs proprijs SS. diœceſis Namurcenſis, iuſſu *Ioannis Dauini* Epiſcopi, an. 1619. ibidem editis.

Andennenſe collegium Canonicarum.

*A*ndennenſe monaſterium à *S. Begga* fundatum, eſt hodie XXXII. nobiliũ virginum Canonicarum collegium, in diœceſi Namnrcenſi; quibus Canonici X. in ſacris ſubſeruiunt. Ceterùm vt nobiles in Belgio ac Germania virgines *Canonicæ*, ſic & *Begginæ* virgines (quarum laudatiſſimè viuentium plurimi per Belgicam ſunt conuentus) ad nuptias tranſire poſſunt. Diſputant autem antiquitatis eccleſiaſticæ ſcrutatores, an à S. *Begga*, aut à *Lamberto Beguo*, pio ſacerdote Leodicenſi (qui an. 1170. vixit) *Begginæ* ſeu *Beguinæ* nomen & inſtitutum acceperint.

Begginæ unde dictæ.

perint. Qua de re diſſerui in Chronico noſtro Ciſterciéſi, Coloniæ edito.

S. VIVINA virgo, Bigardienſis Abbatiæ fundatrix prope Bruxellam.
Martyrol. Rom. 17. *Dec.*

DVo ſunt in agro Bruxellenſi virginum Benedictinarum monaſteria, *Bigardiæ* nomine illuſtria, quorum alterum *Bigardia maior*, alterum *Bigardia minor* nuncupatur. Bigardiam maiorem S. *Viuina*, eiuſque ſocia *Emuuara*, piæ virgines, condiderunt, in loco quē ipſis *Godefridus Barbatus*, Lotharingiæ Brabantiæque Dux, an. 1133. dono dedit. Cuius diploma, in Originibus Benedictinis an. 1606. Antuerpiæ excuſis, publici iuris fecimùs. Obijt autem *Viuina* anno Chriſti circiter 1170. ætatis 67. eſtque è terra eleuata, & in feretro collocata an. 1177. per *Arnulfum VII.* Abbatem Affligemienſem, iuſſu *Alardi* Cameracenſis Epiſcopi, qui Bigardienſem eccleſiam anno eodem conſecrauit. *Bigardia maior.*

Birgardia minor. Bigardia minore an. 1234. ædificari cœpta eſt à *Ioanne Montano* & *G. Bellengemio*, viris nobilibus. Cuius dotem poſtea an. 1251. auxerunt *Godefridus à Louanio*, Henrici II. Brabantiæ Ducis frater, & vxor eius *Maria*. Horum, vt arbitror, filius fuit *Ioannes à Louanio*, cuius tumulus marmoreus etiamnum viſitur in choro Bigardiæ minoris, hac inſcriptione: *Hic iacet ſepultus Ioannes à Louanio, qui olim fuit Dominus Louanij, Herſtalli, & Gasbecæ: & obijt* 6. *Aug. anno* 1324.

S. WINIBALDVS presbyter. 18. *Dec.*

WInibaldus ſeu Wunibaldus, preſbyter laudatiſſimus, filius fuit S. *Richardi Anglorum* Regis, Lucæ in Italia ſepulti. Fratrem habuit S. *VVillibaldum* I. Eiſtatenſem Epiſcopum, & *S. VValburgem* virginem: quos ſuis ſupra locis laudauimus. De Winibaldo breuiter ſic Ludgerus I. Epiſcopus Monaſterienſis in vita S. Gregorij Antiſtitis Vltraiectini: *VVillibaldi germanus, nomi-*

nomine VVinibaldus, presbyter, magiſtro meo Gregorio valdè carus fuit: qui poſt obitū ſuum, quid viuens fecerit, magnis miraculis oſtendit.

S. MEGENGOSVS Geldriæ Comes. 19. *Decemb.*

MEgengoſus ſiue *Megengorus*, vulgò *Mengo* dictus, illuſtris Geldriæ Comes, coniugem habuit *Girbergam* ſeu *Gerbirgam*, Godefridi Ducis filiam. Habuerunt ij filium *Godefridum*, eiuſdem cum auo materno nominis, & filiam *Adelheidem* ſeu *Aleidem*, ſanctimonialem virginem. Cùm igitur *Godefridus*, Imperatori aduerſus Bohemos in bello militans, occubuiſſet, eiuſque corpus in patriam honorificè eſſet deportatum, pij parentes, cùm vt filij Manibus bene precarentur, tum vt viam ſibi ad cælum ſternerent, totā Godefridi hereditatem in pios vſus conuertere, & Deum illius heredem ſcribere ſtatuerunt. Itaque à fundamentis *Vilicenſe* templum, prope Bōnam,

De S. Aleide vide 5. Febr.

nam, in diœceſi Colonienſi, exſtruxerunt, & prædijs ampliſſimis locupletarunt: vbi in hodiernum vſque diem celebria duo exſtant *Canonicorum* & *Canonicarum virginum*, ab illis coniugibus affluenter dotata, collegia. Ipſi verò coniuges, vt Deo religioſiùs ſeruirent, mutuo inter ſe conſenſu, ſtatuerunt continenter deinceps vitam ducere. Qua facta promiſſione *Gerbirga* apud Vilicenſes habitationem elegit, nocte dieque orationibus vacans. Viditque læta eo in loco ſub regimine B. *Adelheidis*, filiæ ſuæ, primæ illius monaſterij Abbatiſſæ, numeroſum virginum ſanctè viuentium cœtum. Sed cùm non multò pòſt, à duobus Imperatoribus, *Othone III.* & *Henrico*, duo illa collegia multis priuilegijs donata eſſent, B. *Gerbirga* rebus humanis exépta in Domino obdormiuit. Maritus verò illius *Megengoſus*, qui vt ciuilis Princeps mundo ſpecie tenus ſeruire cogebatur, poſt triennium, in loco, qui dicitur *Geldria*, migrauit ad Dominum, & ab *Adelheide*, filia ſua, *Vilicæ*

apud

apud coniugem ſuam honorificè eſt tumulatus. Cuius epitaphium, in ære inaurato exciſum, ſic habet:

Regum dulcis amor, patriæ pater, alter egentũ,
Ecce Megengaudus *hic tumulatus ineſt.*
Scit ſeruare fidem Diua Girberga *marito,*
Quam mors non ſeparat coniugis à gremio.
Hoc templum proprijs ſtruxerũt ruribus ambo,
Felices quorum prædia, præda Dei.
Cum quartis decimis ſol voluitur ante horizõtē
Ianum, tunc ſenior raptus ad aſtra fuit.

Sic ferè legitur in Officijs proprijs Eccleſiæ Ruremundenſis, quæ *Henricus Cuquius*, illius in Geldria vrbis Epiſcopus, concinnauit, & Coloniæ anno 1605. publicanda curauit.

S. IVLIVS martyr, Geldubæ.

Martyrol. Rom. 20. Dec.

IN Martyrologio Romano, & apud Vſuardum, ita legitur: *XIII. Kal. Ianuarij, Geldubæ S. Iulij martyris.* Suſpicor hunc martyrem fuiſſe vnum ex militibus legionis Thebææ, quos magno numero, in Germania noſtra inferiore, ad Rhenum, an. 298. cæſos fuiſſe, ſupra

pra 10. Oct. docuimus. Plinius certè lib. 19. cap. 5. dicit Geldubam eſſe caſtellum Rheno impoſitum.

De S. THOMA, & alijs Germanorum primis Apoſtolis. 21. *Dec.*

THomam, qui ex primis XII. fuit, Germaniæ Apoſtolum fuiſſe, S. *Hieronymus* in Catalogo, *Sophronius*, & ante vtrumque, vetuſtiſſimus Chriſti martyr *Doſitheus* in Synopſi, teſtantur. Vnde & in antiquitiſſima illa Græco-Latina litania, Germanis inferioribus, maximè ad oſtia Rheni, etiamnunc vſitata, proximum ſtatim à SS. Petro & Paulo locum S. *Thomas* obtinet: vt non immeritò poſt illos primas ipſi veteres Chriſtiani cõſecrauerint ædes

Straſburg. *Argentorati, Vltraiecti*, & alibi.

Vtrecht. Sunt præterea, qui tradunt *Lucium*, Cyrenæi illius, qui Chriſto ſub mole Crucis fatiſcenti, in illa geſtanda, vicariam operam præſtitit, filium, S. Pauli ſectatorem & comitem per Illyricum

Regenſpurg. ac Germaniam, primùm *Ratiſponæ* Euangelij

gelij legem promulgaſſe.

Illud conſtat, ſub annũ Chriſti 176. *Germanis* & *Marcomanis*, quos inter tũc *Boij* quoque cenſebantur, lucẽ Chriſtianæ religionis affulſiſſe, M. *A*urelio Antonino Philoſopho Imperatore, cùm Chriſtianę & *fulminatricis legionis* precibus cæleſtes aquæ ſunt impetratæ: vt Euſebius in Chron. tradit. Hoc porrò quibus præconibus ſit factum, vt Chriſti lex per Germanos & Marcomanos vulgaretur in obſcuro eſt. Irenęus certè, qui S. Policarpi diſcipulus fuit, lib. 1. cap. 3. meminit *eccleſiarum in Germania fundatarum.* Romanæ Eccleſiæ Faſti S. *Lucium* Britànniæ Regem celebrant, qui à *Fugatio* & *Donatiano*, S. *Eleutherij* Papæ Legatis, Chriſti ſacris initiatus, relicto patrio ſolo & regno, in Germaniam circa an. 182. venit, & Norico, Vindelicia, Rhætiaque peragrata, demum Curiæ Rhætorum beato fine obdormiuit. In qua diœceſi Abbatia viſitur ord. Præmonſtratẽſis, eius nomini inſcripta, vbi & quieſcit.

Legio fulminatrix.

Vide pag. 306

S. Lucius Britan. Rex. Dec. 3.

V. *Pe-*

V. *Petrus Caniſius*, Soc. Ieſu.

POſt exortam Lutheri hæreſim, velut nouus Germanorum, ac præſertim Heluetiorũ Apoſtolus *Caniſius*, patrum memoria, floruit: qui Nouiomagi ad Vahalim fl. in Geldria anno 1521. natus, adoleſcens Societati Ieſu nomẽ dedit. Exinde Academias Germaniæ illuſtriores, in his *Ingolſtadienſem*, *Viennenſem*, *Pragenſem*, *Dilinganam*, *Colonienſem*, & *Friburgenſem* docendo illuſtrauit. Concionibus in *Ferdinandi I.* & *Maximiliani II.* Cæſarum, *Guilielmi* & *Alberti* Bauariæ Ducum, aliorumq; Principum aulis plurimùm valuit. Cõtra Nouatores, verbique Dei corruptores *Catechiſmum* verè aureum, & alia varia eleganti ſtilo publicauit. Friburgi demum in Heluetijs an. 1597. non ſine opinione ſanctitatis deceſſit. Res eius geſtas *Matthæus Raderus* & alij literis conſignarunt.

De S. SEVERINO XXII. Treuerẽſi Epiſcopo, vide ſupra pag. 302.

B. *Hun-*

B. *Hungerus* Epiſcopus Vltraiectinus, natione Friſius. 22. *Dec.*

NOrmannis vrbem agrumque Vltraiectenſem an. 856. vaſtantibus ad *Lotharium* Regem ſe recepit. Is monaſterium *S. Petri*, ad Moſæ & Ruræ confluentem ſitum, & *Bergo* nuncupatum ipſi tradidit: vt Ioannes Becanus in hiſtoria Vltraiectina narrat.

S. IRMINA virgo.
Martyrol. Rom. 24. *Dec.*

FVit filia Dagoberti Francorũ Regis & Treueris viuens, an. 706. S. Willibrordo Archiepiſcopo Vltraiectino medietatem fiſci Epternacenſis dono dedit: vt ſuprà 7. Nou. narrauimus.

S. HILDVARDVS Epiſcopus. 29. *Dec.*

TEneramondæ in Flandria eſt inſigne Canonicorum B. Mariæ collegium, quod an. 1106. *Ringotus Caluus*, opidi Dominus, fundauit *Adelwidis* eius vidua pòſt auxit, & *Odardus* *Dermonde.*

Cameracenſis Epiſcopus an. 1118. confirmauit. In hoc templo oſſa S. *Iul.26.* *Hilduardi* Epiſcopi, & *Chriſtianæ* virginis, à multis retro ſeculis, adſeruantur. Hilduardum ſunt qui ſcribunt, Tullenſem Epiſcopum fuiſſe: in tabulis tamen Epiſcoporum Tullenſium, quas Ioannes Chenutius, cum reliquis Galliæ, an. 1621. Pariſijs edidit, nomen eius non inuenitur. Obijt autem circa *Dickel-uenne.* an. 750. *Dicqueluennæ*, teſte Meiero; inde ſæuientibus Normannis, Teneramondam ſub annum 846. tranſlatus. Guilielmum Lindanum in Teneramonda, Antuerpiæ an. 1612. publicata, conſule.

S. THOMAS Cantuarienſis Archiepiſcopus & martyr.

CAntuarienſes Archiepiſcopos, ſanctitatis nota claros ſupra 16. Nou. recenſuimus. Inter alios fuit *Odo* cognomento *Seuerus*, Græcè ac Latinè doctus, primùm Sarisburieñſis pòſt Cantuarienſis Antiſtes, qui inter alia ſcripſit *De fide Euchariſtiæ* ad Floria-

riacenſes in Gallia monachos, itemq; *Statuta Synodalia*. Obijt an. 956. & pars oſſium eius Boxtellæ (quod Brabantię eſt municipium in d. Siluiducenſi) adſeruatur.

S. THOMAS, pro defenſione libertatis eccleſiaſticæ in exilium pulſus, aliquamdiu in *Bertinenſi*, *Marchianenſi* & *Aquicinctino* apud Belgas monaſterijs vixit. Martyrio coronatus an. 1170. per Alexandrum III. in Diuos eſt relatus.

B. RICHARDVS Aduuertenſis monachus., ord. Ciſtercienſis, in Friſia, & d. Groningenſi.

HVnc Molanus in Natalibus Belgicis, ſub finem menſis Decembris, celebrat. De quo, & alijs plurimis inſtituti Ciſtercienſis monachis ac monialibus, ſanctitatis opinione olim in Belgica claris, Origines noſtras monaſticas lib. 5. cap. 15. ſi placet, conſule.

ANACEPHALÆOSIS
CHRONOLOGICA.

Anno Chriſti		*pag.*
50.	MAternus in Belgicam venit.	534.
	Eius ſocij Eucharius & Valerius.	
182.	Lucius Britanniæ Rex floret.	
298.	Thebæa legio martyrizatur:	588.
	Ex ea Victor cum ſocijs, Coloniæ:	*ibid.*
	Caſſius & Florentius, Veronæ:	589.
	Florentius Tilæ in Geldria:	636.
	Iulius Geldubæ ad Rhenum.	749.
302.	Sub Diocletiano martyres plurimi:	
	Victoricus & Fuſcianus Ambiani.	733.
	Piatus & Chryſolius Tornaci.	68.
	Treueris ſub Rictiouaro plurimi.	577.
306.	Conſtantinus cæpit imperare:	
312.	Maxētio victo, pacē Eccleſiæ dedit.	248.
	Seruatius fit Tungrorum Epiſcopus.	*ibid.*
314.	Arelatenſe I. concilium.	248.
338.	Athanaſius Treueris exulat.	249.
347.	Sardicenſe Concilium.	*ibid.*
349.	Agrippinenſe concilium.	250.
350.	Seruatius in Orientem mittitur.	251.
357.	Iulianus Apoſtata vincit Aſemannos.	
359.	Ariminenſe concilium.	
367.	Apud Atrebates lana è cælo defluxit.	

376. Hun-

376. Hunni in Gallias erumpunt.
382. *S*eruatius Romam proficiſcit. 254.
383, *S*eruatius moritur Traiecti ad Moſā. 255.
383. Vrſula martyr cum ſodalibus. 625.
383. Ambr. Mediolano Treueros venit. 627.
384. Synodus Treueris contra Priſcillianiſtas. 256.
385. Ambroſius iterum Treueros venit
388. Franci in Germaniā inferiorē irrūpunt.
390. Diogenes Epiſcopus Atrebati,
Seuerinus A. Colonien. Tūgros viſitat.
Victricius E. Rotom. Morinos excolit.
400. Martinus E. Turonenſis moritur.
406. Vandali trans Rhenū in Galliā veniūt.
607. Nicaſius Epiſcop. Remis martyrizatur.
412. Treuerorū vrbs à Francis diripitur.
451. Attila in Belgicam irrumpit.
482. Clodouæus fit Rex Francorum.
496. Clodouæus Rex baptizatur. 563.
497. Vedaſtus Atrebatibus Epiſcopus datur.
501. Eleutherius fit Tornacenſis Epiſcopus.
510. Synodus Aurelianenſis prima.
511. Clodouæus Rex moritur.
520. Epaunenſe concilium.
523. Eleutherius E. Tornacen. moritur.
525. Remigius A. Remenſis moritur. 564.

527. Sigiſmundus Rex Burg. capitur.
533. Aurelianenſis ſynodus ſecunda.
537. S. Vedaſtus E. Atrebatenſis moritur.
Aurelianenſis ſynodus tertia.
538. Aruernenſe concilium habetur.
542. Aurelianenſis ſynodus quarta.
546. Eleutherius E. Tornacen. moritur,
Medardus ſuccedit.
546. Dominicus E. Atrebatenſis moritur,
Succedit Vedulfus.
549. Aurelianenſe concilium quintum.
555. Vedulfo ſuccedit S. Gaugericus.
559. Pariſienſis ſynodus prima.
564. Medardus Epiſcopus moritur.
567. Turonenſe concilium ſecundum.
570. Domitianus E. Traiectenſis moritur,
575. Chilpericus Rex fugit Tornacum. 102.
578. Monulfus dat Dionantum S. Seruatio,
581. Eidem templum ædificat Traiecti.
584. Chilpericus Rex occiditur.
587. Radegundis Pictauis moritur.
594. Gregorij Turonenſis hiſtoria deſinit,
Guntramnus Rex moritur.
609. Monulfus E. Traiecten. moritur.
614. Columbanus moritur.
617. Gondulfus E. Traiecten. moritur,

Per-

Perpetuus Dionanti patronus ſuccedit.
625.Arnulfus E.Metenſis floret.
630.Perpetuus E.Traiecten.moritur.
Audomarus fit Teruanen.Epiſcopus.
631.Mahometes pſeudopropheta moritur.
635.Cunibertus E.Colonien.floret.
637.Ioannes Agnus E.Traiecten.moritur:
Amandus ſuccedit.
640.Ablebertus E.Cameracenſis moritur.
646.Pipinus Landenſis moritur.
Eligius fit Tornacen.Epiſcopus.
649.Martinus Papa ad S.Amandum ſcribit.
651.Eligius Flãdris & Andouerpis prædicat
Aubertus Epiſcopus Cameracẽſis.735.
Vincentius Comes Hannoniæ,
Waldetrudis eius coniux,
Landricus Epiſcopus Meldẽſis,florent.
654.Sigebettus Rex Auſtraſiæ moritur.
Adroaldus donat Sithiu S.Bertino.
655.Theodardus Epiſc.Traiecten.occiditur.
654.Vedaſti corpus transfertur.
655.Gertrudis vidua moritur Hamatici.725
658.Rictrudis floret Marchianis.
660.Eligius E.Tornacen.moritur.
661. Audomarus E.Teruanen.moritur.624.
662.Amandus moritur Elnone.

Anno *Pag.*
664. Gertrudis Niuellenſis moritur. 151.
Aldegundis Melbodij moritur. 66.
665. Wandregiſilus Abbas moritur.
672. Leodegarius martyrizatur. 567.
673 Begga monaſterium Ardennæ fundat.
676. Audoënus moritur Rotomagi. 489.
Vindicianus fit Epiſcopus Cameraci.
684. Madelberta Melbodij moritur.
688. Ansbertus E. Rotomagen. moritur.
Amatus E. Senonenſis moritur.
689. Radbodus Rex Friſiæ vincitur à Pipino.
Trudo moritur Sarçinij.
690. Willibrordus in Friſiam venit. 653.
691. Vindicianus E. Cameracen. moritur.
Remaclus obijt Stabuleti. 510.
693. Ewaldi fratres martyrizantur. 569.
695. Carolus Martellus naſcitur.
696. Lambertus Leodici martyrizatur. 644.
Willibrordus conſecratur Archiep. 654.
697. Vltraiecti ſedem epiſcopalē ſtatuit. *ibid.*
698. Amati corpus eleuatur in Broilo. 532.
701. Maurōtus Duaci patronus moritur. 236
702. Oda S. Huberti amita floret. 633.
706. Willibrordo Epternacum datur. 654.
706. Sedes E. Traiecto Leod. trāsfertur. 647
713. Vrſmarus Abbas Laubien. moritur. 195.
717. Wi-

717. Winocus moritur Wormholti. 652.
719. Radbodus Rex moritur idololatra.
Bonif. Roma in Germaniã venit. 278.
723. Bonifacius creatur Epiſcopus. 279.
725. Luglius & Luglianus florent. 622.
727. Hubertus E. Leodicenſis moritur. 648.
729. Hadulfus E. Cameracenſis moritur.
731. Beda finem imponit hiſtoriæ ſuæ. 655.
737. Erminus Abbas Laubienſis moritur.
739. Willibrordus A. Vltraiecten. moritur.
741. Carolus Martellus moritur.
742. Beda presbyter moritur.
Erquenbodo E. Teruanenſis moritur.
743. Liptinenſis ſynodus in Hannonia.
746. Florebertus E. Leodicen. moritur. 280.
747. Carolomannus fit monachus.
751. Lætienſe monaſterium fundatur. 552.
752. Pipinus Rex coronatur à Bonifacio.
755. Bonifacius in Friſia martyrizatur. 281.
Lullus ſuccedit. 617.
Carolom. monachus Viennæ moritur.
767. Synodus in villa Gentiliaco.
768. Pipino ſuccedit Carolus Magnus.
771. Synodus apud Valentianas.
774. Deſiderius Rex Longob vincitur.
777. Wiho I. Epiſcopus Oſnaburgi, 714.

78. Willehadus I. Epiſcopus Bremæ. 661.
787. Nicæna ſynodus VII, Oecumenica.
799. Leo III. Papa in *S*axoniam venit.
Suitbertus canonizatur per Leonē III,
801. Saluius martyr prope Valentianas.
809. *A*quiſgranenſe concilium.
810. Normanni in Friſiam claſſe appellunt
Carol. M. teſtamentū cōdit *A*quiſgrani,
813. *A*melharius Treu. it Conſtātinopolim,
814. Carolus Magnus Imp. moritur.
Ludouicus Pius filius, ſuccedit.
817. *A*quiſgrani conuentus generalis.
S. Huberti corpus *A*ndainum trāsfertur.
818. Ebo *A*. Remenſis prædicat Danis:
820. Normanni Flandriam depopulantur.
822. Rabanus Maurus fit *A*bbas Fuldenſis.
823. Corbeia *S*axonica fūdatur per *A*lardū. 3.
Drogo Lud. Pij frater fit E. Metenſis,
827. *SS.* Marcell. & Pet reliquiæ trāsferuntur
828. Halitgarius Epiſcopus Cameracen. mittitur Conſtantinop.
832. Valcandus E. Leodicenſis,
Theodericus E, *C*ameracen. moriuntur.
833. *A*nſcharius *A*. Bremen. venit Turholtū.
835. Ebo Remenſi Epiſcopatu priuatur.
836. Normanni Antuerpiam incendunt.

838. Lo-

838. Lothario Pij filio datur Lotharingia.
Freder. E. Vltraiectinus martyrizatur.
840. Ludouicus Pius Imp. moritur; ſuccedit Lotharius.
842. Ebo ex *A.* Remenſi fit E. Hildesheim.
845. Hincmarus fit Remenſis Epiſcopus.
847. Rabanus Maurus fit A. Moguntinus.
Sueſſionenſis ſynodus ab Hincmaro celebratur.
855. Lotharius Imp. fit monachus Prumiẽſis.
856. Rabanus Maurus A. Mogunt. moritur.
860. *S.* Hermetis reliquiæ Roth. allatæ. 494
861. Balduinus Ferreus Iuditham rapit.
Erat ea Caroli Franciæ Regis filia.
876. Carolus Caluus Imp. moritur Vercellis.
878. Ioannes E. Cameracenſis moritur.
879. Ludouicus Balbus Imp moritur.
881. Normanni Neomagum, Traiectũ Moſæ, Leodicum, Tungros *A*quas-Grani, Col. *S*tabuletum, Cameracum & *A*trebatum vaſtant.
882. Normanni Prumiam & Treueros vaſtãt
882. Hincmarus *A.* Remenſis moritur.
883. Succedit Fulco, antea *A*bbas Vedaſtinus.
Ioannes Scotus moritur.
Libert. Trudonopoli à Nor. cæſus. 404

884. Nor-

Anno *Pag.*

884. Normanni Louanium occupant.
887. Galliæ pars datur Normannis ; inde Normannia dicta.
889. Franco E. Leodicen. fit Abbas Laubien.
891. Normanni apud Louanium ſternuntur.
895. Oxonienſis Academia fundatur,
901. Fulco *A.* Remenſis occiditur, 327.
903. Grimbaldus *A*bbas in *A*nglia moritur.
906. Reginonis Chronicon definit.
913. Bronienſe monaſterium incohatur.
917. Hungari Germaniam & Lotharingiam vaſtant,
919. Flodoardi Chronicō Pithæanū incipit
922. Gemblacenſe monaſterium à *S.* Guiberto fundatur.
929. Carolus Simplex Rex Franc. moritur.
935. S. Petri baſilica Leodici inſtauratur.
937. Hungari Rheno tranſmiſſo Franciam infeſtant.
944. Otho Dux Lotharingiæ moritur. Conradus ſuccedit.
948. Flodoardi hiſtoria Remenſis deſinit.
953. Bruno fit *A.* Colonienſis. 603.
Hungari Laubium vaſtant.
Cameracenſem quoque agrū incendūt.
958. Gerardus fundator Bronienſis moritur.

959. S.

959. S. Euergiſlus Tũgris Coloniã trãsfertur
962. Guibertus fũdator Gemblacen. moritur
963. *S.* Martini baſilica Leodici fundatur.
965. Bruno *A.* Colonienſis moritur. 604.
966. Flodoardus, *A*bbas S. Remigij, moritur Remis.
Eiuſdem ab an. 919. Chronicon deſinit.
967. S. Pauli collegium Leodici incohatur.
970. Theophania Othoni II. *C*æſari nubit.
S. Laurentij monaſterium Leodici incohatur.
971. Notgerus fit Epiſcopus Leodicenſis.
Magdeburgenſis Epiſcopatus fundatur.
973. Otho Imp. moritur.
979. Leodici templum *S.* Crucis ædificatur.
1080. Notgerus ſcribit vitam *S.* Landoaldi.
983. Otho II. Imp. moritur.
984. Otho III. coronatur *A*quiſgrani.
985. *C*omitatus Huienſis, Notgero datus ab *A*ufr. *C*omite, cõfirmatur ab Othone.
987. Templũ *S.* Io. *E*uang dedicatur Leodici.
990. *C*arolus Lotharingiæ Dux capitur.
Hugo *C*apetus regnum occupat.
Fulcuinus Hiſtoricus Laubien. obijt.
Templũ S. Dionyſij cõſecratur Leodici.
991. *C*arolus Dux in carcere moritur. 17.

*S*uc-

Succedit in Ducatu Otho filius. *ibid.*
993. Harigerus ſcribit geſta *EE*. Leodicen.
996. *S*. Ioannis collegium Canonicorum fundatur Leodici.
998. Hugo Capetus Rex Franc. moritur.
1002. Otho III. Imp. moritur.
S. Henricus Dux Bauariæ ſuccedit.
1005. Otho Lotharingiæ Dux moritur. 17.
Ducatus Godefrido Virdunenſi datur.
1007. Notgerus E. Leodicenſis moritur. 182.
1012. S. Macarius Gandaui moritur. 183.
Florinenſe monaſterium per Gerardũ *E*. abſoluitur.
1014. *S*. Iacobi Abbatia Benedictinorum incohatur Leodici.
1015. Baſilica *S*. Lamberti dedicatur Leodici, quam ſtruxerat E. Notgerus.
1017. Baldricus *E*piſcopus Leodicenſis, Godefridus item Dux Arduennæ, occumbunt.
*S*uccedit Wolbodo vir ſanctiſſimus.
1020. Adelheidis Abbatiſſa Vilicẽſis moritur
1021. Wolbodo moritur.
Heribertus A. Colonien. obdormit.
1023. Aquiſgrani ſynodus celebratur.
1024. *S*, Henricus Imp. moritur,

Suc-

Succedit Conradus Dux Franconiæ.
1027. Conradus Romæ coronatur.
1032. Rudolphus Rex Burgund. poſtremus moritur.
Burgundia Imp. Germanico adiūgitur
1036. Spiræ templum conditur à Conr. Imp.
1039. Conradus Imp. moritur Vltraiecti.
Henricus III. filius ſuccedit.
1044. Gothelo Dux Loth. moritur.
Succedit filius Gothelo ſeu Gozzilo.
1047. S. Gudilæ templū Bruxel. ſacratur. 22.
Canonicorum XII. collegium ibidem fundatur à Baldrico Comite.
1049. Bruno E. Tullenſis fit Papa, & nuncupatur Leo IX.
Gerardus I. Cameracen. E. moritur.
B. Lietbertus ſuccedit.
1052. Bonifacius Marchio, maritus Beatricis obijt.
1054. Leo IX. Papa moritur.
Beatrix nubit Godefrido Loth. Duci.
Baldricus Comes Loua. occiditur. 19.
Succedit Henricus filius.
Henrici ſoror fuit Ida, Godefridi Bullonij mater.
1056. Henricus III. Imp. moritur.

Suc-

Succedit Henricus IV. filius
S. Anno fit A. Colonienſis.
1057. Fredericus, frater Godefridi Ducis Arduennenſis, Papa creatur, & Stephanus IX. vocatur.
1058. Stephanus Papa Florentiæ moritur
1063. Einhamenſe m. in Flandria fundatur, Balduinus Pius Meiero eſt fundator, Balderico in Chron. Cam. eſt Godefrid. Comes cum Mathilde.
1064. Fredericus Comes Luxemb. moritur.
1066. Inſulis in Flandria S. Petri baſilica, Huij ad Moſam V. templum, ſacrantur.
1067. S. Macarij corpus Gandaui eleuatur. Balduinus Inſulanus Fland. Comes moritur.
1069. Godefridus Dux Loth. moritur.
1070. Godefridus Gibboſus filius ſuccedit. Gerardus Dux Arduen. moritur. Succedit Deodericus filius. Balduinus Montenſis & Fland. Comes obijt:
Richildis vidua cum filijs pellitur.
Robertus Balduini frater Flād. inuadit.
S. Godeleua ſtrangulatur Geſtellæ. 274.
1075. Henricus Tullenſis fit E. Leodicenſis:

Adiu-

Adiutor illi fuit Godefrid. Bullonius.
1076. Godefridus Gibboſus Antuerpiæ occiditur.
Marchia Antuerp. Godefrido Bullonio datur.
B. Lietbertus E. Cameracen. deceſſit.
Succeſſit Gerardus II. cui Chronicon dicauit Baldericus E. Nouiomenſis & Tornacenſis.
1077. Lamberti Scafnaburg. Chronicon definit.
1079. Berengarius hæreſin tertiò abiurat.
1081. Arnulfus fit E. Sueſſionenſis.
1083. Affligemium in Brab. conditur.
Mariani Scotti Chronicon deſinit.
Dodechinus Abbas continuat.
1084. Balduinus Montenſis Comes Idam ducit.
1086. Richildis Monten. Comitiſſa moritur.
Affligemienſis eccleſia in Brabantia, Aquicinctina item in Flan. dedicātur.
1087. Arnulfus E. Sueſſionenſis moritur.
1089. Godefridus Bullonius fit Lotha. Dux.
1091. Henrico E. Leodic. ſuccedit Otbertus.
1092. Gerardus II. Cameracenſis E. moritur.
Poſt hũc diuiditur Epiſcopatus ab Atr.

1094. Lambertus E. *A*trebatenſis Romæ cõ-
ſecratur.
1095. Claromontana ſynodus in Gallia.
Henricus Comes Louanien. perimitur
1096. Godefridus caſtrum ſuum Bullonium,
Balduinus Comes Hannoniæ Couinũ
vendunt.
Otbertus E. *L*eodicen. vtrumq; emit.
Bullonius Canonicos *A*nt. fũdat. 287.
Idem ad bellum ſacrum proficiſcitur.
1097. Nicæa à noſtris capitur.
1098. *A*ntiochia ab Europæis expugnatur.
Conradus *E.* Vltraiectinus occiditur.
Ciſtercienſis ordo incohatur.
1099. Hieruſalem à noſtris capitur. 423.
God. Bullonius Rex eligitur. *ibid.*
1100. God. Bullonius Rex Hieroſol. obit.
Balduinus frater eius ſuccedit.
Bertholdi Chronicon hîc finit.
1101. Stephanus Burg. Dux, & Guil. Comes
Niuernenſis, abeunt in Syriam. 123.
1103. S. Odæ corpus leuatur Rodæ. 701.
1105. Odo fit E. Cameracenſis. 585.
1106. Henricus Limburg. Dux capitur.
Ducatus Loth. datur G. Barbato. 20.
God. Barbatus crucem aſſumit. 423.

Hen-

Henricus IV.Imp.moritur Leodici.
Succedit Henricus V.filius.
1109. Anſelmus E.Cantuarienſis,
Hugo item Cluniacenſis,moriuntur.
1111. Robertus II.Comes Fland.moritur.
Balduinus Securis,filius,ſuccedit.
1112. Sigeberti Chronicon definit, qui hoc anno III. Non. Octob. Gemblaci obijt. Continuant Anſelmus Gemblacenſis,& Robertus Montenſis.
1114. Bellouacenſe conc. per Cononem.
1115. Tāchelinus hæreſiarcha occiditur. 287
Petrus Eremita moritur Huij.
1118. Balduinus Rex II.Hieroſol. obit.
Balduinus Burgenſis ſuccedit.
1119. Caliſtus II. God.Barbati leuir,fit Papa.
Otbertus E.Leodicenſis moritur.
1121. Fredericus E.Leodicen. moritur: ad cuius tumulum multa ſigna viſa.
1123. Adelbero fit E. Leodicenſis.
1124. Caliſtus II.Papa moritur.
Honorius II.ſuccedit.
1125. Henricus V.Imp. obit Vltraiecti: ſuccedit Lotharius.
1127. B.Carolus Fland. Comes occiditur, 124
1128. Adelbero E.Leodicenſis moritur.

1129. Lues ignis ardentis per *B*elgicam. 354.
1131. Innocentius II. Papa in *B*elgicã venit.
1134. S. Norbertus A. Magdeburg. moritur.
1136. Anſelmi Gembl. *C*hronicon deſinit.
1139. God. Barbatus Loth. Dux moritur.
Ludouicus Comes, pòſt ord. Præmõſt. obijt 699.
1146. Tornacenſibus proprius Epiſc. datur.
Villarium fundatur in Brabantia. 481.
1150. Famianus ord. Ciſtercien. moritur. 470
1153. S. *B*ernardus moritur. 482.
1158. Milo E. Morinenſis obijt. 673.
1163. Corpora trium Regum Coloniam aduehuntur.
Ioſcio Roſeus moritur Audomaropoli
1166. Caroli M. oſſa eleuantur Aquiſgrani.
1170. S. Thomas Cantuarien. martyrizatur.
1181. *A*lanus Inſulenſis ex ord. *C*iſt. obijt. 611.
1183. *B*ernardus Pœnitens moritur Audom.
Hatebrandus Abbas in Friſia obdormit. 540.
1192. Albertus E. Leodicenſis occiditur.
1196. Goſuinus Abbas Aquic. moritur. 584.
1204. *C*onſtantinopolis à noſtris capitur.
1213. Maria Ogniacenſis obdormit. 337.
1217. Guil. Holl. *C*omes in Syriam tendit.

1225.

Anno *Pag*

1225. Engelbertus *A*.*C*oloniē occiditur 660

1229. Simon *A*lnenſis moritur. 653.

1230. Siardus *A*bb. Horti Mariani obijt. 674.

1237. S. Ludouicus Rex Franc. moritur. 492.

1246. Corporis Chriſti feſtiuitas inſtituitur, B. Iuliana Cornelienſi petente.

1257. Miraculum Euchariſticum Duaci. 324.

1259. Albertus Magnus fit E. Ratiſponenſis.

1264. Vrbanus IV. feſtum *C*orporis Chriſti inſtituit.

1267. Deiparæ imago Hallis collocata. 508.

1274. S. Thomas Aquinas moritur.

1280. Albertus Magnus moritur Coloniæ.

1288. Woroncana victoria per Brabantos.

1308. I. Dunſius Scotus moritur Coloniæ.

1334. Anni initium à Nat. Dom. apud Leod.

1359. Ordo S. Brigittæ inſtituitur.

1370. Miraculum Euchariſticū *B*ruxel. 417.

1374. Miraculum Euch. Middelburgi. 323.

1377. Io. *C*ocus moritur in Viridi Valle. 717.

1380. Miraculum Euch. *B*oxtellæ. 319.

1381. Ioannes Rusbroquius piè obdormit in Viridi Valle. 714.

1384. Gerardus Magnus ſcholas Dauentriæ inſtituit.

1387. S. Petrus Luxemburg. moritur. 387

Anno *Pag.*

1405. Miraculum in *B*uſco D. Iſaaci. 519.
1412. Petrus Aliacus fit *C*ardinalis.
1419 Io Gandauenſis eremita moritur. 555.
1426. Louanienſis *A*cademia inſtituitur.
1430. Ordo Velleris aurei inſtituitur.
1434. Liduigis virgo moritur *S*chidami.
1452. *C*onſtantinopolis à Turcis capitur.
1471. Thomas Kempenſis moritur. 446.
1475. Alanus Rupenſis Dominic. obit. 520.
1492. Orbis nouus detegitur à Ch. Colũbo.
1494 Ioannes *S*tandoncus floret Pariſijs.
1517. Lutherus incipit nôua dogmata ſpargere.
1523. Adrianus VI. Papa moritur.
1525 *A*mſtelodami tumultus *A*nabaptiſtarũ.
1540. Soc. Ieſu à Paulo III. confirmatur.
1553. Franc. Titelin *C*apucinus moritur. 575
Adamus Sasboldus ord. Minorum decedit. 576.
1556. S. Ignatius *S*oc. Ieſu fundator moritur.
1559. Epiſcopatus noui in *B*elgio inſtituũtur.
1566. Geuſij *B*elgicam turbare incipiunt.
1571. Victoria contra Turcas apud Naupactum, 578.
1572. Gorcom. martyres per Geuſios. 385.
Ruremond. martyres per eoſdem. 443.

Corne-

Cornelius Muſius martyr Leidæ; 752.
1584. Carolus Borromæus Car deceſſit. 649.
1590. In Laudenſi m. apud Inſulas Diua Virgo miraculis claret. 729.
1602. Miracula in Colle Aſpero. 516.
1608. Fauerniaci miraculum *Euchariſt.* 265.
1613. Albertus E. Leodicenſis Diuis adſcribitur. 694.
1616. Villarij Deipara miraculis claret. 341.
1621. Ioannes Berchmannus, Soc. Ieſu, moritur Romæ. 476.
1622. Euæ Recluſæ corpus Leodici eleuatur, Ignatius Loiola, Franc. Xauerius, Philippus Nerius, Iſidorus Madritenſis, & Tereſia in Diuos referuntur. 642.

INDEX SANCTORVM ET BEATORVM.

ABel Archiep. Remenſis, Binchij. 5. Aug.
Ablebertus Epiſcopus Cameracé. 15. *Ian.*
Abundus monachus Villarienſis. 2. *Aug.*
Acca Epiſcopus Lindisfarnenſis. 30. Nou.
Achæus puer Thoroltanus. 11. *Iunij.*
Adalardus *A*bbas Corbeienſis. 2. Ian.
Adaldaldus Dux Duacenſis. 2. *Feb.*
Adelbertus *A*rchidiacon. Egmondæ. 25. Iun.
Adalgiſus presbyter Hibernus. 10. Iulij.
Adamus Saſboldus. 5. *Octob.*
Adela, mater S. Trudonis. 23. *Nou.*
Adelinus confeſſor, Criſpinij. 27. Iuni.
Adeltrudis virgo. 19. Martij
Adilia virgo, Orpij. 30. Iunij
Ado *A.* Viennenſis. 16. Decj
Adriani reliquiæ in Gerardi-monte. 8. Sept.
Adrianus internuncius Landoaldi. 19. Martij.
Adulphus Epiſcopus Vltraiectenſis. 17. *Iunij*
Agilolphus Epiſcopus Colonienſis. 9. Iulij
Agilus Abbas Reſbacenſis. 30. *Aug.*
Agnetis reliquiæ Vltraiecti. 21. Ian.
Agritius E. Treuerenſis. 13. Ian.
Aia Comitiſſa Hannoniæ. 18. *Aprilis*

Aiber-

Aibertus Recluſus Criſpinij. 2.Maij.
Aichardus Abbas Gemeticē.Haſpris. 15.Se.
Aicharius E.Nouiom.& Tornacen.27.Nou.
Alanus Inſulenſis ex ord.Ciſt. 14.*Octob.*
Alanus Rupenſis Dominicanus. 7.*Sept.*
Albertus Epiſcopus Leodicenſis, 21.Nou.
Albertus Patriarcha Hieroſol. *ibidem*
Albertus Magnus. 1.*Aug.*
Albricus Epiſcopus Vltraiectenſis. 14.Nou.
Aldebertus Comes Auſtrouandiæ. 22.*Aprilis*
Aldegundis Abbatiſſa Malbod. 30.Ian.
Aldegundis filia S.Baſini. 20.Iunij
Aldetrudis Abbatiſſa Malbodij, 25.Feb.
Aleidis Abbatiſſa Vilecenſis. 5.Feb.
Aleidis Scarenbecana. 19.*Feb.*
Alena virgo & martyr, Foreſti. 18.Iunij
Amandus Epiſcopus Traiect. 6.Feb.
Amantius diaconus Landoaldi. 19.Martij
Amatus E.Senonenſis, Duaci. 13.*Sept.*
Ambroſius E.Mediolanenſis. 7.Dec.
Amelberga virgo, Gandaui. 10.Iulij.
Amelberga vidua, Binchij. ibidem
Amoluinus Abbas Laubienſis. 7.Feb.
Amor confeſſor Beliſienſis. 8.Octob.
Amſtelodami miraculum Euchariſt. 16.Mart.
Andoletus martyr. 17.Septemb.
Albanus martyr. 22.Iun.

Andreas Apoſtolus, Burg. patronus.	30. Nou.
Angadriſina virgo Teruanenſis.	4. Octob.
Anianus A. Veſontinus.	5. Iun.
Annæ caput, Duræ.	26 Iulij
Anna de Ieſu, ord. Carmel. Bruxellæ.	4. *Mart.*
Ansbertus E Rotomagenſis.	9. Feb.
Anno A. Colonienſis.	4. Dec.
Anſcharius A. Hamburgenſis.	3. Feb.
Antidius A. Veſontinus.	25 Iunij
Arnoldus cytharædus Caroli M.	18. Iulij
Arnulfus Epiſcopus Sueſſionenſis.	15. Aug.
Arnulfus Epiſcopus Metenſis.	18. Iulij
Arnulfus martyr Ciſonienſis.	29. Ian.
Arnulfus Villarienſis.	30. *Iunij*
Athalarius martyr.	5. Iunij
Attala Abbas Luxouienſis.	10. Mart.
Aua virgo Dononij.	29. *Aprilis*
Aubodus confeſſor.	10. Iulij
Audoënus E. Rotomagenſis.	24. Aug.
Audomarus Epiſcopus Teruanenſis.	9. Sept.
Aufridus Epiſcopus Vltraiectinus.	3. *Maij*
Auſtreberta virgo Teruanenſis.	10. Feb.
Aubertus Epiſcopus Cameracenſis.	13. Dec.
Autor E. Treuerenſis.	20. Aug.
Babolenus Abbas Stabulenſis.	26. Iunij
Badilo Abbas, Lutoſæ.	8. Oct.
Bainus Epiſcopus Morinenſis.	20. Iunij

Baſinus

Baſinus martyr, Truncinij. 14. Iulij
Bauo Gandauenſium patronus. 1. Octob.
Begga Abbatiſſa Andennenſis. 17. Dec.
Benigni reliquiæ, Vltraiecti. 27. Iunij
Bercharius Abbas & martyr. 16. Oct.
Beregiſus A. & fundator Andainenſis. 2. Oct.
Berlendis virgo, Merbecæ. 3. Feb.
Berlerius, diſcipulus S. Giſleni. 9. Oct.
Bernardus Abbas Claræ Vallis. 20. Aug.
Bernardus Pœnitens, ad S. Bertinum. 19. *Aprilis*
Berno Abbas Cluniacenſis. *Ian.* 13.
Bernulphus Epiſcopus Vltraiectenſis. 19. *Iulij*
Berta Abbatiſſa Blangiaci. 4. Iulij
Bertilia virgo, Mareoli. 3. Ian.
Bertilia vxor VValberti. 7. *Sept.*
Bertinus Abbas. 5. Sept.
Bertinus filius S. VValberti. 2. *Maij*
Bertuinus fundator Malonienſis. 11. Nou.
Bertulphus confeſſor. 5. Feb.
Biſontinæ diœceſis Sancti. 18. Ian.
Bodo Epiſcopus Tullenſis. 11. Sept.
Bonifacius A. Mogunt. & Vltraiect. 5. Iunij
Bonifacius Epiſcopus Lauſanenſis. 19. *Feb.*
Boſo martyr cum Bonifacio. 5. Iunij
Boxtellenſe miraculum Euchariſt. 16. Iunij
Brictius martyr cum Liuino, Gand. 12. Nou.
Brigitta Sueca, vidua. 23. Iulij
Brigida

Brigida Hollanda *Aug.* 1.
Bruno *A.* Colonienſis. 11. Octob.
Bruno fundator Carthuſianorum. 6. Oct.
Bruxellenſe miraculum Euchariſtię. 15. Iul.
Burchardus Epiſcopus VVormatienſis. 20. *Aug.*
Buſco-Iſacenſe miraculum Euch. 8. Sept.
Cæci ſancti. 9. *Sept.*
Cæleſtini reliquiæ, Rotnaci. 17. Maij
Caliſti Papæ reliquiæ, Ciſonij. 14. Oct.
Candela miraculoſa. Vide Cereus.
Candidus Epiſc. Traiecti ad Moſam. 7. Iunij
Canutus Rex Daniæ. 7. Ian.
Carolomannus Princeps Auſtraſiæ. 17. *Aug.*
Carolus Magnus, Aquiſgrani. 28. Ian.
Carolus Borromæus Card. & A. Med. 3. Nou.
Carolus, Flandriæ Comes & martyr. 2. *Martij*
Caſſius & Floren. Veronæ in Holl. 10. Oct.
Celſa virgo. 3. Feb.
Celſus martyr. 28. Iulij
Cereus miraculoſus Atrebati. 30. *Iunij*
Alter Bethuniæ. 1. *Dec.*
Chilianus Epiſcopus, Albiniaci. 13. Nou.
Chriſtiana virgo Teneramondæ. 26. Iulij
Chriſtiana Mirabilis. 24. Iulij
Chryſolius Epiſcopus, Cominij. 7. Feb.
Claudius A. Veſontinus. 6. Iunij
Cloſendis virgo. 30. *Iunij*
Clo-

Clodulfus Epiſcopus Metenſis.	8.Iunij.
Coleta virgo, Gandaui.	6.Martij
Columbanus Abbas Luxouienſis.	21.Nou.
Columbanus Recluſus,Gandaui.	*2.Feb.*
Conradus E. Vltraiectenſis.	*27.Aprilis*
Conſtantinopolis victæ memoria.	*12. April.*
Corbicanus confeſſor.	10.Iulij
Craphaildis martyr.	12.Nou.
Cornelius Muſius martyr.	*8.Sept.&* 10.*Dec.*
Crucis Traiectenſis commemoratio.	*3.Maij*
Cruoris Chriſti memoria, Brugis.	*3.Maij*
Cunegundis Imperatrix. Vide	14.Iulij
Cunera virgo & martyr Rhenenſis.	12.Iunij
Cunibertus A. Colonienſis.	12.Nou.
Cyrici martyris reliquiæ, Amandiaci.	16.Iun.
Dentelinus filius S.Vincentij.	14.Iulij
Deppa martyr Tornaci.	14.Iulij
Deſideratus A.Veſontinus.	12.Martij
Deſiderius Epiſcopus Redonenſis.	18.Sept.
Dimpna virgo & martyr Gelæ.	15.Maij
Dionyſius Carthuſianus.	*27.Iulij*
Dominicanæ familiæ Beati.	*3.Iulij*
Dodo diſcipulus S.Vrſmari.	28.Octob.
Domitianus Epiſcopus Leodicenſis.	7.Maij
Domitianus,diſcipulus S.Landelini.	22.Iun.
Donatianus E.patronus Brugenſiũ.	14.Oct.
Donatus *A.*Biſontinus.	*7.Aug.*

Drogo

Drogo confeſſor prope Valentianas. 16. Apr.
Duacenſe miraculum Euchariſtic. 16. Iunij
Dunſtanus, Gandaui exul. 19. Maij
Edmundus A. Cantuarienſis. 16. No.
Egbertus presbyter. 24. Aprilis
Eleutherius Epiſcopus Tornacen. 20. Feb.
Eligius E. Nouiom. & Tornacenſis. 1. Dec.
Eliphius martyr Tullenſis. 16. Oct.
Eliſabetha filia Regis Hungariæ. 19. Nou.
Elmerus confeſſor Molhaniæ. 27. Aug.
Eloquius Abbas Walciodorenſis. 3. Dec.
Emebertus E. Cameracenſis. 15. Ian.
Engelbertus A. & martyr Colonien. 7. Nou.
Engelmundus ſiue Ingelm. Velſenæ. 21. Iunij
Eobanus martyr, Coëp. Bonifacij. 5. Iunij
Ermelindis virgo, Meldariæ. 29. Octob.
Ermenfredus Abbas in Burgund. 25. Sept.
Erminus E. & Abbas Laubienſis. 25. Apr.
Erquenbodo E. Teruanenſis. 12. April.
Etto Epiſcopus, Lætijs. 10. Iulij
Eubertus Epiſcopus, Inſulis Fland. 1. Feb.
Eucherius Epiſcopus Aurelianenſis. 20. Feb.
Euerardus Comes, & fundator Ciſon. 16. Dec.
Euergiſlus A. Colonien. & martyr. 24. Oct.
Euermarus Friſo, martyr, Ruthis. 1. Maij.
Euermodus ſocius S. Norberti. 13. *Nou.*
Eugenius A. Toletanus. 15. Nou.

Eugen-

Eugendus Abbas Iurenſis. 1. Ian.
Euſebia Abbatiſſa Hamaticenſis. 16. Martij
Euticius A. *Balmenſis.* 13. *Iunij*
Euſebius Romanus martyr. 25. Aug.
Euſtachius Abbas Luxouienſis. 29. Martij
Eunucius *E*piſcopus Nouiomenſis. 10. Sept.
Ewaldi martyres. 3. Octob.
Exuperij Thebæi reliquiæ, Gẽblaci. 22. Sept.
Famianus, ord. Ciſterc. 8. Aug.
Faſtradus Abbas Ciſtercienſis. 19. *Maij*
Fauerniaci miraculum Euchariſtic. 25. Maij
Fibitius E. Treuerenſis. 5. Nou.
Fledericus presbyter. 14. Sept.
Florentius martyr, Atrebati. 14. Iulij
Florentius martyr Tilenſis. 27. Octob.
Floribertus Epiſcopus Leodicenſis. 25. Apr.
Florbertus Abbas Blandinienſis. 1. Nou.
Foillanus E. & martyr, Foſſis. 30. Oct.
Folquinus Epiſcopus Morinorum. 14. Dec.
Forannanus E. & Abbas Walciodori. 30. *A*pr.
Franco Villarienſis. 20. *Aug.*
Fredegandus confeſſor. 17. Iulij
Franciſcus Titelmannus, Capucinus. 4. *Oct.*
Fredegerus martyr, Liræ. 11. *Octob.*
Fredericus martyr, & E. Vltraiect. 18. Iulij
Fredericus martyr, & E. Leodicenſis. 27. *Maij*
Fredericus Abbas Horti Mariani. 7. *Martij*
Fulc

Fulco Remenſis Epiſcopus. 17.*Iunij*
Furſeus Abbas Peronæ. 16.Ian.
Fuſcianus Apoſtolus Morinorum. 11.Dec.
Galenus & Val. martyres in Geld. 22.Iunij
Gangulfus martyr. 11.Maij.
Gaſpar Berzaeus,Ormutij Apoſtolus. 18.*Oct.*
Garembertus Abbas ord.Præmonſtratenſis. 13.*Nou.*
Gaugericus Epiſcopus Cameracen. 11.Aug.
Gedeon A.Veſontinus. 7.*Aug.*
Genoueſa Palatina. 2.*Aprilis*
Georgius Iuſtus, Birfliti. 5.*Aug.*
Gerardus Abbas Siluæ Maioris. 13.Oct.
Gerardus E.Tullenſis. 23.April.
Gerardus Abbas & fundator Bronien. 3.Oct.
Gerardus Mag.fundator FF.vitæ communis. 20.*Au.*
Gerebernus martyr, Sonsbecæ. 15.Maij.
Gerulfus martyr, Truncinij. 21.Sept.
Gereon & ſocij martyres. 10.Octob.
Gerlacus eremita. 5.Ian.
Germanus A.Biſontinus. 18.Ian.& 11.Oct.
Gertrudis Abbatiſſa Niuellenſis. 17.Martij
Gertrudis vidua, Marchianis. 6.Dec.
Gertrudis Oiſtenſis, Beggina. 6 *Ian.*
Geruaſius A.Biſontinus. 7.*aug.*
Geruinus Abbas Aldenburg. 17.*Aprilis*
Geruinus frater S. Leodegarij. 2.Oct.
Gerulphus martyr, Truncinij. 21.Sept.
Gillo,

Gilbertus fundator Gemblacenſis. 4.Febr.
Gingulfus martyr. 11.*Febr.*
Giſlenus Abbas,& fundator Cellæ.9. Octob.
Goar presbyter. 6. Iul.
Gobertus Comes, in Villario. 20. *Aug.*
Godehardus Epiſcopus Hildeshemẽſis. 4. Maij
Godegrandus E.Metenſis. 6. *Martij*
Godefridus E. Ambianenſis 8. Nou.
Godefridus Bullonius,Rex Hieroſol. 15. *Iulij*
Godefridus Comes Cappenberg. *Pag.* 700.
Godefridus Villarienſis. 20. *Aug.*
Godeleua martyr, Geſtellæ. 6. Iulij
Gondulphus Epiſcopus Traiectẽſis. 16. Iulij
Gondul. martyr, cum Grimoaldo. 16. Iulij.
Gorcomienſes martyres. 9. Iul.
Gordanius eremita, Aquicincti. 16. Oct.
Goſuinus Abbas Aquicinctinus. 9. Oct.
Gregorius Epiſcopus Vltraiectenſis. 25. Aug.
Gregorius II. Papa. 13. Febr.
Gregorius X. Pontifex Romanus. 10. Ian.
Gregorius & ſocij martyres Mauri. 15. Oct.
Gregorius I. Abbas Porcetenſis. 4. Nou.
Grimbaldus Abbas Wintonienſis. 8. Iulij
Grimoaldus ſubdiaconus. 16. Iulij
Gudila Bruxellenſium patrona. 8. Ian.
Gualterus Brugenſis E.Pictauorum. 22. *Ian.*

Guibertus fundator Gemblacenſis 4. Feb.
Guido confeſſor, Anderlaci. 12. Sept.
Guduualus, Blandinij. 6. Iunij
Guilielmus Dux Aquitaniæ. 10. Febr.
Gummarus confeſſor, Liræ. 11. Octob.
Guntramnus Rex. 26. Mart.
Gurdinellus confeſſor, Duaci. 16. Oct.
Guthagonus confeſſor. 3. Iulij.
Hadelinus confeſſor, Viſeti. 3. Feb.
Hadulphus Epiſcopus Atrebatenſis. 20. Maij
Hallenſis Diua Virgo. 1. Sept.
Hatebrandus Abbas in Friſia. 30. Iulij
Harlindis virgo, Maſeicæ. 12. Oct.
Helena Imperatrix. 22. Iul. & 18. Aug.
Helena martyr, Bruxellæ. 14. Iul.
Henricus Imperator. 14. Iulij
Henricus Calſtrius, Dominicanus. 18. Sept.
Heribertus A. Colonienſis. 16. Mart.
Hermannus Steinfeldenſis. *7. Aprilis*
Hermelendis, vel Ermelendis. 29. Octob.
Hermetis reliquiæ Rotnaci. 28. Aug.
Hiero presbyter. 17. Aug.
Hilarius E. Pictauienſis. pag. 253.
Hilarius E. Biſontinus. *22. Iul.*
Hildulphus Dux Laubienſis. 23. Iunij
Hildulphus Epiſcopus Treuerenſis. 11. Iulij

Hilduar-

Hilduardus E. Teneramondæ. 29.Dec.
Hildegrimus E.Halberſtadienſis. 19.Iulij
Hildebertus martyr,Gandaui. 4.*Ap & 1.Oct.*
Hildegundis virgo,ord.Ciſt. 19.*April.*
Hillonius,patronus Iſeghemij. 7.Ian.
Hiltrudis virgo, Lætijs. 27.Sept.
Himelinus conf. prope Thenas. 10.*Martij*
Hubertus E.Leodicēſis,in Arduenna. 3.Nou.
Hugo ſocius S.Norberti. 13.Nou.
Hugo Abbas Cluniacenſis. 29.April
Hugo E. Rotomag.Haſpris. 9.Aprilis
Hugo A.Biſontinus. *ibid.*
Humbertus in Maricolenſi mon. 25.Martij
Hunfridus Epiſcopus Teruanen. 8.Martij
Hungerus Epiſcopus Vltraiectenſis. 22.*Dec.*
Iacobi Aueſnenſis obitus. 7.*Sept.*
Ida Bolonienſis,mater G.Bullonij. 13 *Aprilis*
Ida Niuellenſis, ord.Ciſt. 11.*Dec.*
Iduberga vidua, Niuellis. 8.*Maij*
Ieron martyr, Egmondæ. 17.Aug.
Ilherus Epiſcopus,Brugis. 14 Octob.
Ingelmundus patronus Velſæ. 21.Iunij
Ioannes Agnus,E.Traiectenſis. 25.*Iulij*
Ioannes Agnus,Dominicanus. 1.*Aug.*
Ioannes Epiſcopus Morinenſis. 27.*Ian.*
Ioannes Berchmanus,Soc.Ieſu 13 *Aug.*
Ioannes Epiſcopus Cameracenſis. 5 *Aug.*

Ioannes Monchiacenus.	20.*Sept.*
Ioannes Euſtachius, Abbas Iardineti.	24.*Iunij*
Ioannes Rusbroquius.	1.*Dec.*
Ioannes Cocus.	*ibidem*
Ioannes Gandauenſis eremita.	29.*Sept.*
Ionatus Abbas Marchianenſis.	1.Aug.
Iorius Epiſcopus, Bethuniæ.	26.*Iulij*
Ioſcio Roſeus, monachus Bertin.	30.*Nou.*
Ioſephus Steinfeld.	7.*Aprilis*
Irmgardis virgo Zutphanienſis.	4.*Sept.*
Irmina virgo.	24.Dec.
Itisberga virgo, prope Ariam.	21.*Maij*
Iuetta Recluſa.	13.*Ian.*
Iudocus confeſſor.	13 Dec.
Iuliana Cornelienſis, virgo	5.*Aprilis*
Iuliana Nicomedienſis, Bruxellæ.	16.Febr.
Iulianus confeſſor, Gandaui.	19.Martij
Iulius martyr Geldubæ.	20.Dec.
Iulianus confeſſor Cameracenſis.	16.Oct.
Iuſtus A. Veſontinus.	22.*Iul.*
Iuſtus martyr.	18.Oct.
K. littera. Vide C.	
Lambertus patronus Leodicen.	17.Sept.
Lambertus E. Lugdunenſis.	14.Aprilis
Lambertus diſcipulus S. Giſleni.	9.Oct.
Landelinus Abbas Criſpinienſis.	15.Iunij
Landoaldus Archipresbyter, Gand.	19.Martij

Landrada

Landrada virgo Beliſienſis.	8.Iunij
Landricus E. Meldenſis.	17.Aprilis
Laurentij mart. reliquiæ Leodici.	10.Aug.
Lebuinus presbyter, Dauentriæ.	12.Nou.
Laurentius E. Dublinienſis.	14.Nou.
Leocadiæ reliquiæ Giſlenopoli.	9.Dec.
Leodegarius Epiſcopns & martyr.	3.Octob.
Leuinna virgo & martyr.	2.Iulij
Leopardus martyr.	30.Sept.
Liduina virgo Schidami.	14.*Aprilis*
Lietbertus E. Cameracenſis.	23.Innij
Libertus martyr.	14.Iulij
Linus Papa.	14.Sept.
Liephardus Epiſcopus & martyr.	4.Feb.
Liuinus martyr. Gandaui.	12.Nou.
Luglius & Luglianus, Lillerij.	23.Octob.
Ludgerus E. Monaſterienſis.	26.Martij
Ludouicus Rex Galliæ.	25.Aug.
Ludouicus Comes Arenſtenienſis.	24.*Nou.*
Ludouicus Alamannus Card.	5.Iunij
Lullus A. *M*oguntinus.	16.Octob.
Lupicinus Abbas Iurenſis.	21.*M*artij
Lutgardis virgo, Aquiriæ.	16.Iunij
*M*acarius Patriarcha, Gandaui.	10.Aprilis
*M*aclouij reliquiæ, Gemblaci.	15.Nou.
*M*adelberta Abbatiſſa *M*albodienſis.	7.Sept.
Mannæ cæleſtis memoria Atrebati.	8.*Sept.*

Marcel. Papæ reliquiæ in Alto Monte. 16. Ian.
Marcell. & Petri reliquiæ, Haſnonij. 2. Iunij
Marcellinus confeſſor Dauentriæ. 14. Iunij
Margarita Iprenſis. 20. *Iulij*
Margaretula Louanienſis. 2. Sept.
Maria Ogniacenſis. 23. Iunij
Maria Doloroſa, virgo & martyr. 18. *Iunij*
Maria Sulperia, Louanij. 25. *Febr.*
Marij reliquiæ, Gemblaci. 19. Ian.
Martinus E. Turonenſis. 11. Nou.
Mart. Apoſtolus Hasban. 21 Iun. & 26 Mart.
Maternianus A. Reméſis, Egmõdæ. 14. Oct.
Maternus Tungrorum Apoſtolus. 14. Sept.
Mathildis Marchioniſſa. 24. *Iuly*
Matthias Apoſtolus, Treueris. 24. Febr.
Maurontus confeſſor, Duaci. 5. Maij
Mauri martyris reliquiæ Florinis. 22. Aug.
Maurus eremita, Huij. 15. Ian.
Maxentius martyr, Treueris. 12. Dec.
Maxellendis virgo & martyr. 13. Nou.
Maximinus A. Biſantinus. 29. Maij
Maximinus A. Treuerenſis. ibidem
Maximus Epiſcopus, Ipris. 27. Nou.
Megengoſus Comes Geldriæ. 19. Dec.
Medardus I. Epiſc. Nouiomenſis. 8. Iunij
Milo E. Teruanenſis. 13. *Nou.*
Mengoldus martyr, Huij. 8. Feb.

Migetius

Migetius A. Veſontinus. 7. *Aug.*
Mildradæ reliquiæ, Dauentriæ. 13. Iulij
Miraculum Euchariſticum Bruxell. pag. 417. Boxtellenſe pag. 319. Amſtelrodamenſe pag. 151. Middelburgenſe ſeu Louanienſe pag. 323. Fauerniacenſe pag. 265. Duacẽſe 324. Buſco-Iſaccenſe, pag. 519.
Mombolus Abbas Latiniaci. 19. Nou.
Mommolenus Epiſcop. Nouiomen. 16. Oct.
Monegundis memoria, Chimaci. 2. Iulij
Mono martyr Naſſoniæ. 18. Octob.
Montis Acuti miracula. 8. *Sept.*
Monulphus Epiſcopus Traiecten. 16. Iulij
Nazarius martyr. 28. Iulij
Nicaſius Epiſcopus Remenſis. 14. Dec.
Nicetius Epiſcopus Treuerenſis. 5. Dec.
Nicetius E. Veſontinus. 8. Feb.
Noitburgis virgo. 31. Octob.
Nona virgo. 3. Feb.
Norbertus fundator ord. Præmonſt. 6. Iunij
Notgerus E. Leodicenſis. 9. *Aprilis*
Nuntius confeſſor, Haſteriæ. 10. Octob.
Oda virgo, Rodæ. 27. Nou.
Oda vidua, Amanij. 23. Octob.
Oda virgo, ord. Præmonſt. 20. *Aprilis*
Odo Cameracenſis Epiſcopus. 9. *Octob.*
Odilia virgo, Huij. 18. Iulij

Odrada virgo, Alemi, 3.Nou.
Oduinus m.& presbyter, Hugardiæ. 25.Iunij
Odulphus Canonicus Vltraiectenſis. 12.Iun.
Oelbertus martyr, Oiſterhauti. 22.Octob.
Oliſiponis per Belgas captæ memoria. 18.Oct.
Olla virgo Cameracenſis. 9.Octob.
Oneſimus E.Sueſſionenſis, Duaci. 13.Maij
Ortrudis virgo. 22.Iunij
Oſualdi Regis reliquiæ, Bergis. 5.Aug.
Othilia virgo. 13.Dec.
Otgerus leuita, Ruremondæ. 10.Sept.
Pacificus, ord. Minorum. 10.Iulij
Pancharius A.Veſontinus. 22.Iulij
Pancratij reliquiæ, Vltraiecti. 12.Maij
Pantaleon martyr. 27.Iulij
Papolenus Abbas Stabulenſis. 26.Iunij
Paulinus E. Treuerenſis. 1.Aug.
Perpetuus E. Traiectenſis. 4.Nou.
Petri Eremitæ memoria. 8.Iulij
Petrus martyr, Leodici. 17.Sept.
Petrus Luxemburgius, Cardinalis. 2.Iulij
Pharaildis virgo, Gandaui. 4.Ian.
Plechelmus Oldenſaliæ patronus. 15.Iulij
Piatus, martyr Tornacenſis. 1.Octob.
Pipinus I. Brabantiæ Dux. 21.Feb.
Polychronia martyr, Dionanti. 14.Iulij
Pollena in Hunonis curia. 8.Octob.

Pom-

Pompeius ſacellanus S. Odæ. 23. *Oct.*
Pontiani reliquiæ, Vltraiecti. 14. Ian.
Prædicatoriæ familiæ Beati. 1. *Aug.*
Poppo Abbas Stabulenſis. 25. Ian.
Protadius E. Veſontinus. 10. Febr.
Quinctinus & ſocij martyres. 31. Oct.
Quinibertus confeſſor. 18. Maij
Quirici mar. reliquiæ, Elnone. 16. Iunij
Quirini reliquiæ Malmundarij. 11. Oct.
Radbodus E. Vltraiectenſis. 29. Nou.
Radfridus martyr prope Groningam. 3. Dec.
Radulphus Tacens, Affligemij. 30. *Aprilis*
Ragenfredis virgo, Dononij. 8. Oct.
Ragenufla virgo, Aicuriæ. 14. Iulij
Ragnulphus martyr, Atrebati. 27. Maij
Raineldis virgo & martyr, Sanctis. 16. Iulij
Regina fundatrix Dononij. 1. Iulij
Relindis virgo Eikenſis. 6. Feb.
Remaclus E. Traiectenſis. 3. Sept.
Rembertus A. Bremenſis. 4. Febr.
Remigius A. Remenſis. 1. Oct.
Richardus Rex Angliæ. 7. Febr.
Richardus Adwertenſis in Friſia. 30. *Dec.*
Richarius Abbas Centulenſis. 26. Aprilis
Robertus fundator ord. Ciſt. 26. April.
Rolendis virgo Gerpinienſis. 13. Maij
Romanus Abbas Iurenſis. 28. Febr.

Romanus A. Remenſis. *ibid.*
Romaricus Abbas Luxouienſis. 8 Dec.
Rotrudis virgo Giſnenſis. 22. Iun.
Rumoldus patronus Mechliniæ. 1 Iulij
Rupertus Abbas Tuitienſis. 4. *Martij*
Ruremonden. martyres Carthuſiani. 23. Iul.
Sacramentum Venerabile. *Vide Miraculum.*
Saluius E. Ambianenſis. 12. Ian.
Saluius martyr prope Valentianas. 26. Iunij
Sandradus Abbas Gladbacenſis. 24. *Aug.*
Sarius presbyter. 24. Nou.
Saturnina virgo & martyr. 4. Iunij
Schetzelo eremita. 6. *Aug.*
Sebaſtiani martyris manus, Bruxellæ. 21 Ian.
Segerus Inſulenſis, ord. Præd. 1. *Aug.*
Seruatius Epiſcopus Tungrenſis. 13. Maij
Seuerinus Epiſcopus Colonienſis. 23. Oct.
Seuerinus Epiſcopus Treuerenſis. 24. Oct.
Seuerinus martyr, Valentianis. 14. *Iulij*
Seuerus Sulpicius presbyter. Vide 11. Nou.
Siardus Abbas, ord. Præmonſtratenſis. 13. *Nou.*
Sidronij reliquiæ Meſſenis. 3. *Iulij*
Sigebertus Rex Auſtraſiæ. 1. Feb.
Sigiſmundus Rex Burgundiæ. 1. Maij
Siluinus E. Toloſanus, Alciaci. 17. Feb.
Siluester A. Biſontinus. 10. Maij
Simeonis ſenis reliquiæ, Bruxellis. 8. Oct.

Simeon

Simeon monachus Treuerenſis. 1.Iunij
Simitrius presbyter & martyr. 6.Maij
Simon Alnenſis. 6.Nou.
Stadenſis victoria per Brabantos. 26.Iunij
Stephanus Papa IX. 29.Martij.
Sulpicius Epiſcopus Baionenſis. 27.Ian.
Sulpicius Seuerus A.Bituricen. 11.Nou.
Superius martyr, collega Saluij. 26.Iunij
Sura virgo & martyr, Dordraci. 10.Feb.
Suitbertus Epiſcopus. 1.Martij
Ternatius A.Biſontinus. 7.Aug.
Terentianus martyr, Duaci. 14.Iulij
Tillo, aliàs Hillonius Abbas. 7.Ian.
Theodardus martyr, Traiecten. 10.Sept.
Theodoricus Epiſcopus. 5.Aug.
Theodoricus Abbas Andainenſis. 24.Aug.
Theodulphus Epiſcopus, Binchij. 24.Iunij
Thomas Germanorum Apoſtolus. 21.Dec.
Thomas Aquinas, Thenis. 7.Martij
Thomas A. Cantuarienſis. 29.Dec.
Thomas Cantipratanus. 13.Maij
Thomas Kempenſis. 25.Iulij
Traiectenſium ad Moſam EE. catalogus. 7.Iunij
Treuerẽſes martyres ſub Rictiouaro. 6.Oct.
TreuerenſiumEpiſcoporum ſeries. 7.Iunij
Trudo confeſſor. 23.Nou.
Tungrenſium Epiſcoporum catalogus. 7.Iunij

Valen-

Valentinus Epiſcopus Tungrenſis. 7.Iulij
Valenus & Galenus martyres. 22.Iunij
Valeria virgo, in Hunulfi curte. 8.Oct.
Valerius E. Treuerenſis. 29.Ian.
Vedaſtus Epiſcopus Atrebatenſis. 6.Feb.
Venantius martyr, in Arteſia. 10.Oct.
Verona virgo, prope Louanium. 29.Aug.
Veronus confeſſor, Lembecæ. 30.Martij
Victor & ſocij martyres. 10.Oct.
Victor martyr, Inſulis. 14.Iulij
Victoricus martyr cum Fuſciano. 11.Dec.
Victricius Epiſcopus Rotomagenſis. 7.Aug.
Victoria Ieroſolymitana. 15.*Iulij*
Victoria Oliſiponenſis. 18.*Oct.*
Victoria Conſtantinopolitana. 12.*Aprilis*
Victoria contra Stadingos. 26.*Iunij*
Victoria VVoringana. 5.*Iunij*
Vigor Epiſcopus Baiocenſis. 1.Nou.
Villarienſis Diua virgo. 24.Iunij
Villarienſes Beati. 20. *Aug.*
Vincentius Comes Hannoniæ. 14.Iulij
Vincentius Ferrerius, ord. Prædic. 5.Aprilis
Vinciana virgo, ſoror Landoaldi. 11.Sept.
Vindicianus E. Cameracenſis. 11.Martij
Viuina Abbatiſſa Bigardienſis. 17.Dec.
Vlgiſus E. & Abbas Laubienſis. 4.Feb.
Vltanus Abbas, Foſſenſis. 1.Maij

Vrbanus

Vrbanus Papa IV.	4 Oct.
Vrſmarus E. & Abbas Laubienſis.	19. Aprilis
Vrſula cum ſodalibus.	22 Oct.
Walbertus Abbas Luxouienſis.	2. Maij
Walburgis virgo.	4. Aug.
Waldetrudis Abbatiſſa Montenſis.	9. April.
Walherus martyr Onhanienſis.	23. Iulij
Walericus Abbas.	1. April.
Walfridus martyr prope Groningam.	3. Dec.
Wandregiſilus Abbas Fontanellenſis.	22. Iulij
Waſnulphus confeſſor, Condati.	1 Oct.
Werenfridus presbyter, Elſtij.	14. Aug.
Wernerus martyr.	19. Aprilis
Wigbertus martyr.	13. Aug.
Wigbertus confeſſor.	ibidem
Wiho Friſius, E. Oſnaburgenſis.	3. Dec.
Wilibaldus Epiſcopus Eiſtadienſis.	6. Iulij
Willehadus Epiſcopus Bremenſis.	8. Nou.
Wilfridus Friſiorum Apoſtolus.	12. Oct.
Willeicus presbyter VVerdenſis.	2. Martij
Willibrordus A. Vltraiectinus.	7. Nou.
Williherus martyr, cum Bonifacio.	5. Iunij
Winocus confeſſor.	6. Nou.
Winibaldus presbyter.	18. Dec.
VVinwalocus Abbas.	3. Martij
VViro Epiſcopus.	8. Maij
VViuina fundatrix Bigardienſis.	17. Dec.

VVit-

VVittanus Epiſcopus.	1. *Maij*
VVolbodo Epiſcopus Leodicenſis.	20. *Aprilis*
VVoringana victoria per Brabantos.	5. *Iunij*
Wulframnus Epiſcopus Senonen.	20. Martij
Wulganius confeſſor Lenſij.	2. Nou.
Wlgiſus.	4. Feb.
Wlmarus Abbas.	20. Iulij
Wunibaldus Abbas.	18. Dec.
Zacharias Papa.	15. Martij.

FINIS.

Approbatio Cenſoris.

FASTOS BELGICOS & BVRGVNDICOS Viri Cl. AVBERTI MIRÆI, Protonotarij Apoſtolici, & Canonici Antuerpienſis (quibus is perſonarum vtriuſque ſexus, in Belgio, Burgundia, alijſque in locis, ſanctitate, ſeu eius opinione aliquando illuſtriũ vitas, monumenta, miracula ac memorias noua luce donat) vt alto ſtudio elaboratos, & veritati per omnia apprimè conſonos, ſummo cũ pietatis tum Religionis Catholicæ progreſſu, typis euulgandos cenſui. Datum Bruxellis die 14. Iulij 1622.

Henricus Smeyers, S. Th. L. Scholaſticus Brux. librorum Cenſor.

SVMMA PRIVILEGII REGII.

PHilippi *IV. Regis Catholici, Belgarumq́;* *Principis diplomate ſancitum eſt, ne quis* Auberti Miræi Faſtos Belgicos, *præter ipſius voluntatem, intra ſexennium imprimat, ſub pœna arbitraria: conceſſumq́; eſt eidem, vt dictos* Faſtos *cuicumque Typographo approbato excudendos tradere poſſit. Vti latiùs patet ex diplomate Bruxellis dato die XIV. Iulij, M.DC.XXII.*

Signat

Le Comte.

A01 1065220

[illegible]